


PARS SECUNDA

ACTUS INTERNOS

VARIARUM VIRTUTUM
COMPLECTENS,
Ex quibus

EXERCITIA

PRO
INCIPIENTIBUS, PROFICIENTIBUS,
ET PERFECTIS.
Secundùm triplicem viam
PURGATIVAM, ILLUMINATIVAM,
ET UNITIVAM
Concinnata,
Ac per omnes Ferias diſtincta,
& ſimul conjuncta cum Præſentia DEI
ſingulis Feriis deſtinata.
Quibus adduntur Actus variîs temporibûs exercendi,
Quæ ſunt pleraq; ex Sanctis Patribus,
& aliis piorum Virorum libellis collecta, & pro commodiori uſu
in ordinem redacta.



V I L N Æ.
Typis S.R.M. Academicis Societatis JESU.
Anno Domini 1741.

Ad Usum Frīs Thomæ Woyciekiewicz Augni



Quid pretiosiùs tempore? cætera, quæ habemus in mundo, aliena sunt; tempus autem propriè nostrum est, si tamen illô utimur ad salutem. Illud siquidem Divina nobis clemētia contulit ad plangendum errata, ad pœnitentiam faciendam, ad promerendam indulgentiam, ad virtutes acquirendas, ad multiplicanda merita, ad vendicandam gratiam, ad inferni supplicia evadenda, & ad æternam gloriam consequendam. *Laurent: Justin: lib: de vita sol: cap:* 10.

Nihil est virtuti par, quæ nos & in futuro sæculo è gehenna eripit, & Regnô cœlorum nobis frui concedit: & non hominibûs solùm, sed & ipsô salutis nostræ inimicô Diabolô fortiores efficit. *Sanctus Chrysostomus Hom:* 8. *in Genes:*



PRÆFATIO.

Necessitas istorum Exercitiorum & usus ostenditur.

QUicunque tenentur tendere ad perfectionem, sicut sunt omnes Religiosi, omninò debent tenere hanc triplicē viam perfectionis; videlicet, viam Purgativam, quæ est Incipientium: viam Illuminativam, quæ est Proficientium: & viam Unitivam, quæ est Perfectorum: & ideò necesse est eos hujus triplicis viæ exercitia servare, qui volunt citò ad perfectionem pervenire. Ut autem faciliùs id consequantur, Purgativæ viæ exercitiis à principio præcipuè incumbere debent, illaque in aliis viis continuare, ut magis ac magis purgatam animam ac puram habeant. Nam in via Purgativa propterea purgationi animæ insistendum est, ut pura anima nostra fiat: sed in via Illuminativa, ut purior sit, curandum: jam verò in via Unitiva, ut sit purissima, ad hoc, ut ad unionem intimam cum DEO disposita reddatur.

Sunt autem exercitia viæ Purgativæ; evacuatio & fuga peccatorum, pœnitentia, mortificatio ſenſuum & paſſionum, amoris proprii, voluntatis, & judicii, vitiorumquè extirpatio, quæ omnia in qualibet via exercenda, cum tali tamen differentia, quòd hæc in via Purgativa cum difficultate & labore fiant: verùm in via Illuminativa non ſentitur difficultas tanta: at in via Unitiva, ubi pax eſt in anima, & ſumma tranquillitas, poſt ſuperata in aliis viis bella, jam illa non tantùm facili negotio, ſed etiam cum delectatione peraguntur: qua de re habetur aurea doctrina P. N. Thomæ à JESU in libello dicto: Orationis mentalis via brevis & plana Cap: 15. cujus titulus eſt.

Quòd anima quæ proficere cupit, ab initio viæ purgativæ, uſq; ad omnimodam viæ unitivæ perfectionem, ſemper debeat eadem exercitia frequentare.

Quod caput, paucîs brevitatis causâ demptîs, hic inſeritur.

Una inter præcipuas exigui in ſpirituali vita progreſsûs cauſa eſt crebra exercitiorum mutatio, nimiaq; inconſtantia in cæptis relinquendis, & in novis ample-

amplectendis facilitas. Unde fit, ut plura diversaq; prosequentes, hodie hoc, cras aliud, perendie illud, in fine anni nihil reperiuntur apprehendisse.

Igitur ostendamus nunc, quæ potissimum ea sint exercitia, quæ ab initio conversionis usq; ad vitæ finem perseveranter continuari possint, ac debeãt, ad quæ tanquam ad certas stationes recurrens anima, reliquorum operum suorum seriem, debitô modô ordinare possit. Nequè enim aliud intendimus, quàm firmas fixasquè præfigere columnas & bases, quibus innixum spiritualis ædificii fundamentum, in perfectionis cœlestis fastigium & culmen exurgat.

Sunt autem tres columnæ vitæ spiritualis: Prima est Puritas sive purgatio, quæ nihil aliud est, quàm continuum, noxia omnia, quæ contra veram puritatẽ ac munditiam cordis in omni statu occurrunt, impedimẽta, tollendi studium: Quod consistit in vera peccatorum contritione, sui ipsius abnegatione, passionũ mortificatione, omnium curarum inutilium imaginumq; abstractione, usquè dum illud de nobis dici possit; Beati mundo

corde,

corde, quoniam ipsi DEUM videbunt. En itaq; lector charissime exercitium puritatis sive purgationis, quod à primo conversionis tuæ die, usq; ad ultimum vitæ tuæ continuò prosequi debes; quantumcunq; enim quis perfectus sibi videatur, semper tamen habebit in hac mortali vita quod mortificet; quod purget, nec unquã deerunt ei, quæ auferat, impedimẽta.

Secunda vitæ spiritualis columna, continuumquè ad quod recurrere debemus exercitium, est Lux, cognitio nimirum sui ipsius, & cognitio DEI: in quibus duobus universã Christianæ Philosophiæ perfectionem S. Augustinus complexus est, hîs ad hoc utens terminîs: noverim te. Et S. Franciscus: Quis es tu Domine, & quis sum ego? Hæc itaq; cognitio initium sumit in via purgativa, & in omnibus continuata viis, majorem semper acquirit perfectionem.

Primò siquidem peccata nostra, earũquè turpitudinem, nostramquè erga DEUM ingratitudinem agnoscimus. Deinde ipsum quoquè DEUM ex misericordiæ, justitiæquè, præcipuè verò acerbissimorum dolorum Christi Domini affectuosa

& com-

& compassiva consideratione cognoscimus. Hæc autem viæ Purgativæ imperfecta cognitio, in Illuminativa in virtutem transit humilitatis, desideriumquè proprii contemptûs. DEI quoquè notitia, quæ antea erat quasi rudis & animalis, & infantium spiritualium propria, crescit innumerabilium ipsius perfectionum contemplatione, præcipuè meditatione & imitatione virtutum omnium, eminentissimè in Sacratissimâ Christi Domini Humanitate resplendentium. Ac tandem in via Unitiva, ista sui ipsius cognitio in tantum excrescit, ut anima intra seipsam profundissimè humiliata, ab omnibus contemni, despici, pro nihilo haberi, quinimo si fieri posset seipsam annihilare concupiscat; & summô studiô omnem ignominiæ occasionem quærat, maximaquè exultatione omnem honoris proprii jacturam perferat: tantò enim perfectiùs seipsam anima cognoscit, quantò ampliùs in DEI cognitione perficitur: quæ profectò DEI cognitio, hac in via multò quàm in præcedentibus purior & perfectior, in subtimiorem ipsius DEI contemplationem, sive notitiã assurgit.

Tertia deniquè columna five perpetuum exercitium eſt Amor, ad quem cætera omnia tanquam in finem ordinantur. Hic in via Purgativa adhuc impurus, imperfectus, & quodammodo mercenarius per actus attritionis five contritionis exerceri ſolet. In Illuminativa verò à paſſionum noſtrarum inquinamentis magis depuratur, & cum ipſa cognitione magis perficitur. Ac deniquè cum in viæ Unitivæ ſtatu multò nobilior & eminentior ſit cognitio, multò quoquè ferventior & ardentior eſt illius amor. Atquè ita unus idemquè amor, in via Purgativa adhuc tepidus, aut ſaltem ſenſibilis & impurus, in Illuminativa fervet; in Unitiva omnibus contrariîs devictîs & expulsîs, exardeſcit. Eôdem modô, quô idem calor lignum primò remiſsè calefacit, poſtea intenditur, & eouſquê augetur, ut lignum in ignis formam tranſmutet. Quis autem eſt iſte calor, niſi de quo loquimur, amor? qui eouſquè excreſcit, uſquè dum feliciſſimâ metamorphosî hominem in DEUM convertat, & transformet.

Porrò

Porrò in multiplici affectuum horum exercitiorum varietate, illos ſeligere poterit anima, qui uberioris devotionis ſenſuum cauſare ſolent, vel à quibus, conſiderata officii vel perſonæ qualitate, majorem in ſe profectum vel ſubſidium emanaturum confidit.

Advertendum eſt conſeqnenter, quantoſcunquè quis in harum viarum exercitio faciat progreſſus, nunquam tamen priora eſſe deſerenda, ſed debito modo & ordine poſterioribus conjungenda. Quinimò quantò plùs proficit, tantò perfectiùs priora continuare debet. Exempli gratia, contritio & abominatio, quæ ſunt viæ Purgativæ, nequaquam in poſterioribus viis omittuntur, ſed perficiuntur. Similiter paſſionum mortificatio, & virtutum acquiſitio, quæ ad viam Illuminativam ſpectant, multò perfectiùs & ferventiùs in via Unitiva debent exerceri.

Ex quibus omnibus manifeſtò apparet, quomodo per totam ſpiritualem vitam eadem exercitiorum ſeries continuari & ſervari poſſit; immò ipſa eadem eſſe omnium viarum exercitia, ſolùm inter ſe

majori minorivè perfectione distincta.

Neminem terreat hæc multiplicitas & varietas actuum virtutum & affectuum: quia hæc collecta sunt pro omnibus Ascetis. Sunt enim multi, qui habent commoditatem, & tempus ad hæc exercitia præscripto ordine facienda: quibus verò tempus commodum deerit, ad omnes actus hic propositos exercendos, isti possunt saltem aliquos, vel aliquarum virtutum facere juxta beneplacitum suum. Sed sciendum est, quòd eò plura merita lucrabimur, quò plures virtutes exercuerimus.

Et quamvis unusquisq; specialiter illam virtutem exercere debeat, quæ ipsi pro mense cum Patrono sorte obvenit: tùm etiam, quam pro hebdomada aliqua sumpsit: vel quam ratione alicujus occasionis, officii & suæ necessitatis aliquis colere vellet: tamen neq; his omnibus ordo virtutum hic positus impedimentum aliquod afferet, quominùs virtutes dictas exerceant simul cum istis, quæ hic sunt pro qualibet Feria notatæ: tantummodo quilibet nostrûm designatas habeat certas horas, quibus hæc expediat.

Ut insignem ex his exercitiis percipiamus fructum, debemus omninô curare, ut fideliter adimpleamus hæc omnia, quæ hic proponimus dicendo: Domine, firmissimè propono, cupio, volo: aliàs nunquam in viæ perfectionis aliquem progressum faciemus.

Sed operæ pretium est scire, quamdiu unusquisq; nostrûm, in qualibet via, exercitiis propriis vacare debeat. Sunt aliqui Magistri spirituales, qui satis esse putant quatuor aut sex menses, pro exercitiis viæ Purgativæ: præsertim cum certa indicia perfectæ purgationis animæ suæ aliquis in se perspecta habuerit: videlicet, si ea, quæ prius movebant ad timorem, compunctionem, & dolorem, modô excitent ad amorem. Non obscurum etiam erit hujus rei signum, suiipsius odium, tantaq; peccatorum abominatio, ut pro toto mundo ea repetere nequaquam vellet. Itaq; jam aliquot mensibûs transactîs à principio vocationis suæ bonum erit, in exercitia viæ Illuminativæ incumbere, maximè, cum in Ordine nostro, Purgativæ & Illuminativæ exercitia simul proponantur.

Illuminativæ autem viæ exercitiis tam

diu incumbendum, donec animæ jam edomitas passiones habeat, habitusq; virtutum ita altè radicatos, ut in earum exercitio firmitatem facilitatemq; experiatur.

Unitivæ deniq; certum tempus præfigi non debet, cum quoddam æternæ unionis hæc sit initium: in qua via interim nemo negligat præcedentium viarum exercitiis sese perficere.

Hujus viæ Unitivæ Actibûs poterit quilibet uti, tum ei pro sua devotione placuerit; præsertim in certis Festivitatibus, & post SS. Eucharistiæ sumptionem, actibus Adorationis, Laudis, Gratitudinis, Amoris DEI, Desiderii videndi DEUM. Immò bonum esset sæpiùs exercere actus Desiderii amandi DEUM, & Petitionis amoris DEI, de quibus pag: 136. 145.

Isti verò omnes Actus potius mente, quàm ore exerceantur.



EXER-



EXERCITIA INCIPIENTIUM SEU, VIÆ PURGATIVÆ.

Hæc via consistit in purgatione animæ, quæ requirit.

1. *EVacuationem peccatorum: & hæc fit, tùm per Confessionem, tùm per veræ Contritionis actum.*
2. *Mortificationem sensuum externorum, & internorum.*
3. *Mortificationem passionum: Amoris proprij: Voluntatis propriæ: & Judicij.*
4. *Extirpationem vitiorum, quæ fieri potest, per fugam, & abominationem eorum, atquè per actus contrariarum virtutum.*

PRO DIE DOMINICO.

Hac die pro DEI Præsentia est Christus Dominus infantulus in præsepio reclinatus.

HInc haberi potest motivum ad actus contritionis: Mortificationem Sensuum externorum, & internorum in communi: Mortificatio-

nem Passionum in communi: Mortificationem Amoris proprij: Extirpationem vitij Acediæ, & virtutem Diligentiæ.

Actus Contritionis.

O Amantissime JESU, qui ex MARIA Virgine, in stabulo natus, in vili præsepio reclinatus, multa incommoda pro peccatis nostris pertulisti, & vagitum, vel potius gemitum edidisti, atquè lachrymas pijssimas effudisti.

Ecce quid pro me fecisti? ego autem quid retribui tibi Domino meo? nisi summam ingratitudinem pro tantis beneficijs, malitiam pro bono, & pro tam ineffabili charitate, impietatem maximam, per quam multîs peccatîs gravissimîs, te DEUM meum totâ vitâ offendi; de quo nunc ex amore tui doleo, & præ dolore ob tuam offensam coram te gemo.

Utinam te, Domine, nunquam offendissem! Utinam prius occubuissem, quàm tibi Domino meo displicuissem! jam potiùs moriar, quàm te vel leviter offendam.

Et quia infinitè bonus es: ideo omnium peccatorum meorum veniam à te spero.

O JESU, Pastor bone, qui venisti in mundi desertum quærere ovem perditam: ego sum, qui erravi, sicut ovis quæ periit, & longè à te Pastore optimo toties recessi, quoties in te peccavi: sed quære servum tuum Domine, & fac, ut nunquam à te recedam, & obliviscar mandata tua.

Ecce & ego jam revertor ad te, cum intimo cordis mei dolore, & detestatione peccatorum meorum; quia sunt offensa tua.

Ne, quæso, projicias me à facie tua; nec avertas à me oculos misericordiæ tuæ.

O quàm amarum mihi dereliquisse te Dominum, & DEUM meum! sed quia tu dixisti: Vivo ego, nolo mortem peccatoris; sed ut convertatur, & vivat.

Convertor jam ad te Domine, in toto corde, ut, & tu convertaris ad me, o unica spes mea!

Et quamvis abijceres me: quamvis infernum, quem promerui, reservares mihi: nihilominùs adhærebo tibi: & unum tecum esse volo in æternū.

Actus pro mortificandis sensibus externis & internis.

BEnignissime JESU, qui pro nobis incarnari, homo, & infans fieri dignatus es: sicut infantes sensibûs suîs externîs & internîs nesciunt malè uti; ita & ego, amore tui, nolo unquam sensibus meis externis, & internis uti in malum, & ad offensam tui.

Dulcissime JESU, in unione amoris tui, ex quo propter me omnia delectabilia tibi subtraxisti, volo abstinere ab omni sensuum delectatione ob amorem, honoremque tuum, & bene-placitum tuum.

Omnes sensus meos, & vires omnes animæ, & corporis, à noxiis, & vanis, & superfluis delectationibus,

onibus, viriliter, & cum labore ſtudioſo abſtrahere volo.

Clementiſſime JESU, omnes imagines vanas ex mea Imaginativa expungere, & tantummodo tuæ ſacratiſſimæ Humanitatis imagines varias formare mihi, & repræſentare conabor.

Dilectiſſime JESU, omnia illa, quæcunq; Æſtimativa mea judicaverit eſſe convenientia, ſeu bona; quia jucunda, & commoda, & honorifica; firmiſſimè ſtatuo fugere: & quæcunq; judicaverit diſconvenientia, ſeu mala; quia moleſta, & amara, & contemptibilia; illa, ex amore tui, eligere, & amplecti volo.

Omnes notitias noxias, & inutiles, & quæ per meum viſum, auditum, & alios ſenſus percepi, oblivioni tradere: jam verò notitias, quæ ad gloriam, honorem, amorem, & beneplacitum tuum ſpectant; vel etiam ad meam & proximorum ſalutem ſunt neceſſariæ, memoriâ retinere curabo.

Nolo Domine habere oculos, niſi ad te videndum: neq; aures, niſi ad te audiendum: neq; linguam, niſi ad loquendum de te: neq; cor, niſi ad te amandum: neq; memoriam, niſi ad recordationem tuæ dulcedinis: nequè intellectum, niſi ad cognitionem tuæ Majeſtatis: neq; manus, niſi ad tuum famulatum; neq; pedes, niſi ad tuum obſequium: neq; corpus, niſi tibi ad victimam: nequè vitam, niſi tibi ad ſacrificium.

Cupio, Domine JESU, ut quoties àërem ad me attraho, te ipſum cordiali affectu intra me attraham:

ham: quatenùs omnes meæ cogitationes, verba, & opera mea, tuis cogitationibus, verbis, & operibus uniantur, & ſic unita, DEO Patri, ad majorem ejus gloriam, repræſententur.

Extingue Domine omnes imagines extraneas in corde meo, ut pacem, ſive delectationem, nullibi, vel quæram, vel inveniam, niſi in te dulciſſime DEUS meus.

O Dilectiſſime JESU, omnes ſenſus meos, omnes vires, cogitatus, & affectus meos include in Cor tuum, ut tecum ſim totus, & maneam in æternum.

Actus pro mortificandis Paſſionibus in communi.

O Amantiſſime JESU, qui inter alia dona naturæ affectibûs dotaſti me, ut illîs tanquam inſtrumentis uterer ad tuum obſequium, ad benè vivendum, & acquirendas virtutes. Sed quia appetitus mei affectûs, qui paſſiones vocantur, ex vitiata per peccatum primorum parentum noſtrorum natura, ſemper propendent in malum: ideo eos ab omni malo cohibere, ne te per eos unquam offendam, firmiſſimè ſtatuo.

Scio, Domine mi benigniſſime, affectuum noſtrorum, & paſſionum actus, ex natura ſua eſſe indifferentes; hoc eſt, neq; bonos, neq; malos: fieri autem bonos, ſi ad verum bonum, & ad aliquid licitum, & modo ordinato, ac moderato tendunt: malos verò, ſi ad malum, ſi ad illicitum, & vetitum feruntur, vel modo immoderato: proinde ego

retrahere illos ab omni malo, & re illicita, ſed ſemper ad bonum, & licitum convertere, & ex immoderatis, facere moderatos omnibus viribus conabor.

Non tantùm ab illicitis rebus, & vetitis, ſed etiam à licitis; videlicet, à cibo, vel potu, à quiete, vel ſomno, à viſu, vel auditu, & aliis ſimilibus, ex amore tui, abſtinere ſtatuo.

Dulciſſime JESU, etiam ſi appetitus meus ſenſitivus nihil quærat, niſi commoda, & delectabilia, & honorifica; tamen nolo unquam commoditatē, niſi ex neceſſitate, ſeu magis ex tua Divina voluntate; jam verò omnia oblectamenta, & honorifica fugere ſemper volo.

Si quando appetitui meo oblatum fuerit aliquod bonum utile, ſive delectabile, ſive honorificum, tunc ego ſtatim ipſi alia bona meliora proponam: videlicet, bona virtutis, ſecundùm modum humanum, & omnibus hominibus communem: vel bona cæleſtia, ſecundum modum Chriſtianum: ſed præcipuè exemplar tuæ Vitæ ſanctiſſimæ, ſecundùm Religioſorum morem & modum.

Quæcunq; tibi Domine DEUS meus placita eſſe cognovero, ea ſola verè bona judicabo, amabo, deſiderabo, & ſolicitè quæram: & quæcunq; diſplicere tibi intellexero, illa verê mala cenſebo, & odiô habebo, & audacter ea perſequar, & fugiam: & ſi evenerint, de illis ex animo dolebo.

Actus

Actus pro mortificando amore proprio.

O Dulcissime JESU, qui veniens in hunc mundum, illa, quæ sunt magis molesta carni, & contemptibilia; hoc est, illa, quæ sunt amori proprio contraria, elegisti: proinde & ego ob amorem tuum talia exnunc eligo, amplector; & semper eadem quærere, & de inventis, & oblatis gaudere, atq; amori proprio perpetuus inimicus esse firmissimè propono.

Benignissime JESU, quia amor proprius est amori tuo contrarius: non enim te, nec honorem tuum, nec tuum bene-placitum, sed potius seipsum, commodumq; suum, & æstimationem, variaquê oblectamenta quærit: ideò tanquam hostem tuum, & meæ salutis pessimum, omnisq; peccati, & mali radicem odiô habere, nec illi unquam satisfacere volo.

Abominor amorem proprium; quia quæ sua sunt, quærit, non quæ JESU Christi.

Nolo Domine, ut reperiatur ille amor inordinatus in me, quô homo vult sibi omnia bona propter seipsum, & fugit omnia adversa propter seipsum: hoc est, quô homo diligit se propter se: sed super omnia, te solum, propter te, diligere volo; meipsum quoq;, & alia omnia ex charitate diligenda, propter te, & in te.

Absit à me Domine, ut aliquid unquam appetam illicitum, & ex licitis, propter meum commodum, honorem, & voluptatem meam, sed puré

propter te DEUM meum, tuumq; bene-placitum.

Profiteor, quòd ficut nemo poteft unô oculô fimul cælum & terram afpicere: ita nemo poteft, & tibi, & fibi, tanquam fini inhærere: ideo ego amoris proprii oculum elicere mihi volo; ut te folum, tanquam finem meum unicum afpiciam, tibiq; foli placere in omnibus intendam.

Domine DEUS meus, omnes cogitationes, defideria, verba, & actiones meas, ad tui folius gloriam, & honorem, dirigere firmiffimè ftatuo.

Nolo Domine mi, propter me ipfum ab alijs amari, laudari, timeri, revereri; fed potius contemni, vilipendi, & ignominiâ affici ab omnibus defidero: & propterea, nolo ex amore proprio, ob erubefcentiam, defectus meos, tam naturales, quàm morales, & imperfectiones, ac vitia occultare, aut illa excufare, vel extenuare, ut omnibus pateat vilitas & indignitas mea.

Pro nihilo habeo, hominibus placere, aut difplicere: fed tantummodo, tibi foli DEO meo, Creatori, & Domino meo.

Actus pro extirpando vitio Acediæ.

O Amantiffime JESU, quem venientem in hunc mundum fui non receperunt, & ad te in ftabulo natum, ac in præfepio jacentem, falutandum, adorandum, honorandum, accurrere gravabantur propter Acediam: quod vitium ego abominor ex amore tui.

Difplicet mihi valdè ob amorem tuum dulciffime

cissime Domine JESU, omnis tristitia de bono Spirituali: displicet tædium, quod aliquando in bonis actibus habui: displicet torpor mentis, propter quem, sæpissimè refugiens molestiam, & laborem, bona spiritualia, vel exercitia inchoare neglexi.

Heu me miserum! qui vocatus ad vitam Spiritualem, omnia spiritualia exercitia segniter, tepidè, & remissè perago. Namq; meditationes meas expedio sine recollectione, & sine fructu; orationes sine devotione; horas canonicas sine reverentia, & attentione; examen conscientiæ sine emendatione; totam vitam sine mortificatione, sine profectu, sine virtutum exercitatione; de quibus me nunc accuso, arguo, & reprehendo, coram tua Divina Majestate: & ex intimo corde, propter te DEUM meum summè dilectum, doleo; ac emendationem propono.

O utinam Domine mi benignissime! omnes præteritos dies gratiæ tuæ benè expendissem, quos mihi dedisti, ad dignos pænitentiæ fructus faciendos, ad benè operandum, ad salutis negotia diligenter peragenda; quos ego, in vanis negotiis, & occupationibus, in lectione inutili, in confabulationibus minimè necessariis, & in otio, expendi, vel potiùs perdidi, quorum omnium, ex amore tui, nunc me pænitet maximè. Te supplex rogo, per viscera misericordiæ tuæ, digneris indulgere, & me adjuvare, ut reliquum vitæ meæ tempus, benè, sanctè, & juxta beneplacitum tuum expendam.

Non solùm o Domine mi clementissime, ipsum vitium Acediæ abominor, & execror, verùm & alia hujus vitii pessima germina; videlicet, malitiam, seu detestationem ipsorum bonorum spiritualium.

Rancorem; hoc est, indignationem contra proximos me ad spiritualia inducentes.

Desperationem, de assequenda beatitudine, propter defectum gratiæ, & meritorum propriorum.

Pusillanimitatem, ad inchoanda illa bona, quæ propter te, facere debemus, & possumus.

Torporem, pigritiam, & negligentiam, ad explenda tua præcepta.

Evagationem mentis ad illicita, in his præsertim, in quibus tenemur attenti esse.

Per quæ omnia, quia aliquando te infinitè bonum offendi, doleo vehementer, & veniam humiliter peto.

Actus diligentiæ virtutis contrariæ vitio Acediæ.

O Dilectissime JESU, qui veniens in hunc mundum, exultasti ut Gigas, ad currendã viam mandatorum æterni Patris tui, quæ modô perfectissimô, & animô serventissimô semper fecisti: proinde & ego exemplum tuum secutus, expulsã acediã, socordiã, & tepiditate, summo cum fervore, & diligentia, omnia mandata tua, & voluntatem tuam facere semper, & adimplere volo.

Nolo

Nolo unquam dare locum triſtitiæ, vel alicui tædio in bono opere, & in actibus ſpiritualibus, quos cum omni animi alacritate, & lætitia incipere, & in eis continuandis perſeverare uſq; ad finem contendam.

Dabo operam, o Domine mi, ut nunquam, ob aliquam moleſtiam corporis, laborem, aut difficultatem, ea, quæ, pro tuo honore, vel proximorum ſalute, & ex præcepto agenda ſunt, tempore debito agere omittam: tantam diligentiam, & ſolicitudinem, ſingulis bonis operibus apponere curabo, ac ſi tota ſalus mea ex uno quoq; penderet.

Quemlibet actum bonum, eo cum fervore ſpiritûs, & curâ, expedire conabor, ac ſi illud opus ultimum eſſet; & ac ſi ſtatim eſſem moriturus, & rationem de eo, tibi diſtricto Judici redditurus.

Nolo unquam indignari contra aliquem, me ad benè agendum inducentem; immò pro eo ferventer orare ſtatuo.

Benigniſſime DEUS in laudibus tuis divinis, & in oratione attentiſſimus ero; nec unquam voluntariam diſtractionem, & evagationem animi admittam.

Amantiſſime DEUS ad omnia opera tibi grata, & ad omnem obedientiæ, ac omnium aliarum virtutum actum obeundum, me vigilem, expeditum, & alacrem eſſe propter te decerno.

PRO

PRO FERIA SECUNDA.

Hac die pro Præſentia DEI, eſt Chriſtus lavans pedes Diſcipulorum.

HInc incitamentum haberi poteſt ad Contritionem: ad mortificandum viſum, & paſſionem Amoris, & concupiſcentiæ, ſeu Deſiderij, & Judicij proprij, ad extirpandum vitium Superbiæ, & ad exercendam virtutem Humilitatis.

Actus Contritionis.

O Puritatis amator Dulciſſime JESU! qui pedes diſcipulorum tuorum lavando, eos ab omni macula mundare voluiſti; quiq; etiam me peccatorem per ſacrum lavacrum Baptiſmi, ſublatâ originali maculâ, mundum reddidiſti: quam munditiem, ô quâm ſæpiùs per actualia peccata amiſi!

O quam frequenter animam meam inquinavi! quàm crebrò fædiſſimîs ſceleribûs eam conſpurcavi!

Et quomodo ſine pudore apparebo conſpectui tuo? Mundi enim ſunt oculi tui, ne videas malum: & reſpicere iniquitatem non poteris.

Agnoſco Domine mi, & humiliter confiteor, me propter innumera peccata mea, eorumq; fæditatem, coram te, & Sanctis tuis, atq; omnibus creaturis, eſſe abominabilem, odibilem, omniq; confuſione, & pænâ eſſe digniſſimum. Ac propterea me ipſum, ſicut veritas & æquitas exigit, odi, deteſtor, arguo, vilipendo, & contemno: atq;

ab aliis, odio haberi, contemni, & pro meis contra te offensis, infidelitatibus, & inobedientiis castigari desidero, expecto, peto; & inde gaudere, & gratias agere propono.

Odi quoq; , & detestor, ex amore tui, offensam tuam, & omnem ingratitudinem meam erga te, & inobedientiam omnem, tuæ voluntatis transgressionem, eamq; dignis pænitentiæ fructibus, in me punire, vindicare, & ulcisci volo: ac illam magis horreo, & timeo, & cum majori solicitudine, ac studio eam fugere, & vitare desidero, & statuo, plùs quàm omne malum pænæ temporale, & æternum: credens, & sciens, eam esse infinitè majus malum, cæteris malis pænæ.

O clementissime Domine mi, qui dixisti per Isaiam Prophetam: Lavamini: mundi estote: auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite perversè agere. Tunc si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt.

Ecce jam nolo ampliùs perversè agere: jam nolo te offendere: jam nullum malum non modò facere, sed ne cogitare quidem volo. Tu verò Domine DEUS meus, lava me ab iniquitate mea: & à peccáto meo munda me.

Quis enim potest facere mundum de immundo, non ne tu, qui solus es? Si enim tu lavabis me; tunc super nivem dealbabor: quod à te humiliter peto, & me obtenturum, per tuam infinitam bonitatem spero.

Actus

Actus pro mortificando visu.

MOdestissime JESU, qui inclinatus ad pedes lavandos Discipulorum tuorum, etiam oculos ad terram inclinasti: cujus exemplô, semper oculis demissis incedam, nec illos, sine justa causa, & necessitate elevabo.

Dilectissime JESU, in unione amoris illius, ex quo tu propter me, omnia delectabilia tibi subtraxisti; ex amore tui, omnia visus oblectamenta vitare propono.

In incessu, domi, vel foris, in Choro, Claustro, Refectorio, & in aliis locis, diligentem oculorum meorum custodiam habebo; ut nullam rem videam, nisi ob meram necessitatem.

Firmissimè decerno me oculos à rebus minimê necessariis aversurum propter te.

Nolo mitissime Domine, aliquid in hac mortalitate pulchrum intueri.

Absit à me Domine, ut aliquid curiosè intuear.

Quin etiam illa, quæ videre licet, intueri nolo, ut te tandem videre queam.

Ex animo desidero, Dulcissime Domine, me nunquam (quod ego animadvertam) rem aliquam, quæ à te animum divertat, intuiturum.

Desideratissime DEUS averte oculos meos ne videant vanitatem.

Malo Domine, ut mihi oculi eruantur, quàm vel semel illis abuti.

Actus pro mortificanda passione: Amoris, & Concupiscentiæ, seu Desiderij.

O Mundissime JESU, qui pedes Discipulorum lavare voluisti, ut in conspectu tuo essent mundissimi: ecce affectus nostri pedes sunt animæ, quibus ambulat per terram; dum per amoris, & concupiscentiæ affectus, res terrenas sectatur, ipsisq; adhæret: proinde, ut sint mundi semper in oculis tuis, eos à rebus terrenis avertere conabor.

Nolo Domine mi, ut aliquid amem, & concupiscam terrenum,& noxium, & tibi displicens: sed tantummodo; ut te diligam super omnia.

Absit à me Domine, ut amem, & desiderem aliquid illicitum; videlicet, mundanos honores, divitias inutiles, vel impuras delectationes: siquidem & lumen rationis, & fides Sancta me convincit, vanos esse omnes mundi honores, falsas quoq; terrenas divitias, & momentaneas illas delectationes omnes, magisq; bestiis quàm hominibus convenientes: & ideò amoris mei, & desiderii affectum, ad cælestes Sanctorum honores, ad veras gratiæ & gloriæ cælestis divitias, atq; ad æternas beatitudinis æternæ delectationes, convertere curabo.

Quamvis, dulcissime JESU, aliquid licitum fuerit; tamen in illud amore immoderato, & nimis intenso nunquàm ferri volo.

Quod si me nimis inclinatum ad aliqua sensero; cogitabo, indigna hæc esse humano amore,

saltem

ſaltem tam vehementi: ſiquidem ſolùm ad bonum virtutis ſic tendere debeo.

Vel cogitabo, omnia bona terrena non mereri hominis amorem, qui ad cæleſtia, & æterna bona poſſidenda creatus eſt.

Inſuper, exemplum tuæ Sanctiſſimæ vitæ mihi proponam, dicendo intra me: Maximum eſſe inconveniens Religioſum hæc terrena tantopere affectare, qui tuarum actionum ſanctiſſimarum exemplar imitari debet.

O Clementiſſime JESU, ut tuâ gratiâ, paſſiones meas, & inordinatos affectus citiùs vincere poſſim, amorem præcipuè proprium, unde omnes paſſiones oriuntur, moderari volo: & ſtatim ut videro aliquid jucundum, utile, vel honeſtum, cor meum ab his avertere, & ad cæleſtia ſuſpirare feſtinabo.

Itaq; , ſi ad aliquod bonum delectabile, eſcam, ſcilicet, aut potum, amorem in me excitari agnovero; ſtatim cor in cælum efferam, ajens: Quanto mihi ſvaviùs convivium erit in cælo, ubi eſca erit, Panis Angelorum; & potus, ipſe fons vitæ.

Si ad aliquod utile; nempè cellam commodam, aut ſedile: tunc dicam ad me: Quanto mihi commodior erit ſedes in cælo, & manſio æterna ſuper domum David.

Si verò ad bonum honorificum, ſeu honorem, propter aliorum exiſtimationem, de aliquantulo meo ingenio, literatura, ſeu dexteritate ab aliis concepta: illicò ad gloriam cæleſtem cor meum

attollam,

attollam, ajens: Quantò mihi honorificentior erit concepta de me existimatio, in amplissima DEI curia, & universi mundi theatro.

Actus pro mortificando Judicio proprio.

O Sapientissime JESU, qui beatum Petrum Apostolum tuum, dum sibi lavari pedes recusaret, abnegare proprium Judicium voluisti: fac quæso, me mortificatum habere semper idem Judicium; prout & ego illud mortificare, & abnegare propono.

Volo Domine JESU, ut Judicium meum sit semper conforme Judicio tuo Divino, & aliorum hominum, præsertim Superiorum meorum.

Profiteor me nihil scire, nihil ad sobrietatem sapere; sed omnes alios prudentiores, doctiores, & sapientiores me esse reputo: & ideò nemini me præferre, nec ullum contemnere, firmissimè statuo.

Non illud, quod mihi rectum, & bonum videbitur; sed quod tu, & Superiores mei judicaveritis, eligam, & bonum esse credam, proprium sensum relinquens, illum abnegans, & in obsequium fidei, ac obedientiæ humiliter captivans.

Profectò Clementissime DEUS, tametsi Superiores mei homines agrestes, & ignari esse videbuntur: tamen quidquid mihi dixerint, quasi cælestia oracula suscipiam.

Absit à me Domine, ut aliquando improbem, quod Superiores mei, vel alii viri boni probaverint.

Quidquid est in Regula Sancta: quidquid in

Conſtitutionibus, Inſtructionibus, Ordinationibus, & Decretis Superiorum præſcriptum, nullô modô unquam examinare, & ad meum ſenſum explanare audebo.

Nunquam contra diſpoſitiones Superiorum, ob honorem, & amorem tuum, muſſitabo; vel diſcurſus aliquos admittam.

Nolo unquam eſſe contrarius doctrinæ, ſententiis, & dogmatibus manifeſtè notis, ac ſapientum hominum conſenſu approbatis.

In rebus dubiis libenter ab aliis conſilium petam, eidemq; facilè acquieſcam.

Non ſolùm Superioribus, & Confeſſariis meis; ſed etiam aliis ſpiritualibus viris, conſcientiæ meæ latebras, promptô animô aperire, & ab eis, in rebus ad ſalutem meam pertinentibus, dirigi volo.

Actus pro extirpando vitio Superbiæ.

HUmillime JESU, qui pedes Diſcipulorum tuorum lavando, exemplum humilitatis nobis dediſti; quod exemplum amore tui imitari propono, & per humilitatis virtutem, peſſimum vitium Superbiæ, ex animo meo, extirpare volo.

Abominor Domine mi clementiſſime, propter te, omnem inordinatum appetitum excellentiæ, cui debetur honor, & reverentia, in quo inordinato appetitu, conſiſtit vera ſuperbia.

Deteſtor ſimul, & hujus vitii abominandas ſpecies: & ideò nunquam præſumā aliqua bona, quæ

habeo

habeo à me ipſo habere: vel pro meis meritis, à te Domino meo illa accepiſſe: vel gloriari me habere, quæ non habeo: vel ex his, quæ habeo, ſingulariter excellens videri, cæteriſ deſpectis.

Diſplicent mihi illa vitia, quæ oriuntur ex Superbia; eaq; vitare firmiſſimè ſtatuo; videlicet, curioſitatem, & immodeſtiam oculorum.

Levitatem animi, quam verboſitas & clamor oſtendit.

Ineptam lætitiam; ut non ſim promptus ad riſum, & jocum; Jactantiam; cujus ſignum eſt multiloquium.

Singularitatem; ut teneam communem vivendi in Religione Regulam.

Arrogantiam: ne me credam aliîs meliorem.

Præſumptionem; ut non me putem aliîs utiliorem, aptiorem, & digniorem.

Defenſionem, & excuſationem peccatorum.

Simulatam peccatorum confeſſionem, quæ pro peccatis pænam ſubire non vult.

Rebellionem; ne me Superioribus ſubijcere detrectem, eoſq; contemnam.

Libertatem peccandi; ut non libenter voluntatem propriam faciam.

Peccandi conſvetudinem, per quam vivitur ſinè tuo Divino timore.

Odi maximoperè, & vanam Gloriam; hoc eſt, immoderatum appetitum inanis gloriæ, ſeu vanæ manifeſtationis propriæ excellentiæ.

Propterea nolo unquam appetere, vel gaudere,

laudari, aut honorari, pro re vana, caduca, & multò minùs, pro re vituperabili.

Odio habeo, & illa vitia, quæ vanæ gloriæ dicuntur filiæ: ſcilicet, jaſtantiam; ut nunquam verbis me extollam.

Præſumptionem novitatum; ne per illas excitem hominum admirationem.

Hypocriſim; ut nunquam per falſa dicta, vel facta, videri, aut laudari queam.

Pertinaciam; ut nunquam nimis propriæ ſententiæ adhæream, nolens cedere ſaniori, & meliori; ne inferior appaream.

Diſcordiam; ut à proprio ſenſu, & voluntate, facile recedere velim, & aliis conſentiam.

Inobedientiam; ut nunquam parere tuis, & Superiorum mandatis renuam.

Actus Humilitatis, virtutis contrariæ vitio Superbiæ.

O Humillime JESU, ſicut diſplicet mihi vitium Superbiæ; ita multùm mihi placet virtus Humilitatis, quam tu nos, & factô, & verbô docuiſti, dicens: Diſcite â me; quia mitis ſum, & humilis corde. In cujus virtutis exercitio, omnem operam collocare decerno.

Nolo Domine mi, appetere ullam excellentiam, & manifeſtationem ejus, atq; ab aliis honorari.

Deſidero, ut omnes cognoſcant meam vilitatem, meq; parvi pendant, & contemnant; de quo contemptu lætari, & contemptores amare volo: ſicut

cut & ego meipſum contemno, & vilipendo. Confiteor coram toto mundo, me eſſe omnium viliſſimum, & contemptibilem: quia nihil ſum, ſed gratiâ tuâ ſum id, quod ſum: nihil ſcio: nihil poſſum: nihil habeo, præter innumeram multitudinem iniquitatum, ſcelerumq; meorum.

Fateor, Domine mi Sanctiſſime, quòd ſim ſentina iniquitatum, vitiorum pelagus, ſcelerum abyſſus: quòd ſim ſacrilegîs, & latronibûs, publicanîs & veneficîs, gentilibûs & damnatîs, ipsîſq; dæmonibûs pejor.

Palàm dico, quòd ſim deformior omnibûs leprosîs, & ulcerosîs: imò ſum ſterquilinium, ac omnium immunditiarum, & ſordium colluvies, & receptaculum fædiſſimum; ſum ulcus, vel apoſtema fætidiſſimum, ex quo tanta ſanies peccatorum, tantaquè lues flagitiorum, & iniquitatum effluxit.

Omnia bona, quæ habeo, aut facio, tuæ bonitati, & liberalitati, non verò meæ virtuti, induſtriæ, vel meis meritis adſcribo: nec unquam patiar, pro aliquo bono laudari, & honorari: ſed omnem laudem, & gloriam, tibi ſoli tribuere ſemper volo.

Abſit à me, Domine mi benigniſſime, ut ex donis, quæ à te accepi, elever, aut ſuperbiam, vel propter illa vanè in me complaceam, & me alicui præferam, vel quempiam contemnam: verùm magis timere conabor, ob accepta hæc tua bona; ne in me ſint vacua, quibus me indigniſſimum

 eſſe,

esse, & præsentibûs, & futurîs sincerè judico.

Omnia opera mea contemno, nihil facio, & vilipendo, atq; confiteor, quòd sint indigna, quæ tibi placeant, aut sint coram te alicujus meriti.

Agnosco, & profiteor, me esse tuum servum inutilem, & ingratissimum, atq; ad omnia ineptũ, rudem, & inertissimum: & ideò omnibus aliis hominibus, non tantùm majoribus, & æqualibus, inferioribusq;, sed universis, etiam scelestissimis me subijcio, & subter omnes creaturas, me deijcio.

PRO FERIA TERTIA.

Hac die, pro præsentia DEI, est Christus Dominus orans in horto.

HInc motivum haberi potest ad Contritionem: ad mortificationem Odoratus: passionis Gaudii, seu Delectationis: propriæ Voluntatis: ad eradicandum vitium Avaritiæ: ad exercitium virtutis Paupertatis.

Actus Contritionis.

O Dulcissime JESU, qui in horto, copiosum sanguineum sudorem, ex toto corpore fudisti, & quasi omnibûs membrîs, pro peccatis nostris flevisti: O si & ego tecum amarè fleam! O si plorans plorem die ac nocte, propter peccata mea, quibûs permultîs, tuam infinitam bonitatem offendi!

Doleo, & ex toto corde detestor, & defleo tuam offensam, & injuriam infinitam, à me vilissima creatura tuæ Divinæ Majestati factam. Et

Et quia dolor meus, valdè modicus & imperfectus est; obsecro te; ut per dolores tuos internos, & cordis tui contritiones, tuæq; Matris compassiones. B. Petri, atq; Beatæ Magdalenæ, & cæterorum omnium, qui unquam verè pænituerunt, contritiones, & lachrymas quidquid mihi in hoc deest, benignè, & abundanter suppleas: & sicut potes, scis, & vis; & quantùm, ac quando vis; hunc veræ contritionis dolorem, in me, cæterosquè peccatores infundas, augeas, conserves, & perficias, ad tuam, Sanctorumq; tuorum gloriam, & meam, omniumq; peccatorum salutem.

Omnia singula peccata mea, unâ cum peccatis omnium vivorum, ac defunctorum, depono in charissima tua vulnera, & pretiosum sangvinem tuum; proijcio in immensum ignem amoris tui; demergo in pelagus exuperantium meritorum tuorum: & abscondo in abysso infinitarum misericordiarum, & miserationum tuarum; ut ibi, per merita sanctissimæ Humanitatis tuæ, & acerbissimæ passionis, nec non per preces & merita piissime Matris tuæ, Beatorum Angelorum, Patronorum meorum, & omnium Sanctorum, & electorum tuorum, expientur, absorbeantur, & ad nihilum redigantur.

Abrenuncio amore tui, & sicut vis, omnibus ac singulis peccatis, & vitiis parvis, & magnis, & ab omnibus, quæ tibi displicent, integrâ voluntate me averto.

Eligo, & propono, per gratiam tuam, vitare

deinceps quidquid tibi displicet: paratus mori potiùs, & quemlibet cruciatum perpeti, quàm scienter, & ex proposito te offendere.

Amore tui, & tui honoris, ac Justitiæ zelo, dignos pænitentiæ fructus facere firmissimè propono.

Esurio desideranter, omnia peccata mea, per tuam Justitiã, in me dignè castigari, & puniri: ut sicut peccando te inhonoravi; sic libenter pænam, pro peccatis meis patiendo; te honorem, & glorificem.

Agnosco me nullis meis operibûs, laboribûs, & passionibûs, posse pro illis dignè satisfacere: maximè, cùm æterna gehennæ pæna eis debeatur, ad quam perferendam, cum gratia, & amore tuo, quandocunq; & quomodocunq; tibi placuerit, me totum resigno, & paratum offero. Sed quia pro nobis dignatus es pati, & mori, ut ab æternis pænis nos redimeres, & ad tuam gratiam, & gloriam nos revocares; quia insuper vis, & gratum habes, ut hanc tuam passionem, & mortem tibi offeramus, & repræsentemus, in satisfactionem, & propitiationem pro peccatis nostris, & totius mundi; ideò, ut huic tuo satisfaciam desiderio, & possim, gratiâ tuâ recuperatâ, gratum tibi obsequium præstare; Offero tibi, per svavissimum cor tuum, in Spiritu S. tuam passionem & mortem, simul cum omnibus, quæ assumpsisti, fecisti, & pertulisti pro nostra salute, & cum omnibus meritis, passionibus, & exercitiis Beatissimæ Matris tuæ Virgi-

Virginis MARIÆ, & omnium Sanctorum, ac electorum tuorum.

Credo, hanc oblationem esse sufficientissimam pro peccatis, non solùm meis, sed etiam totius mundi. Pié etiam confido, per eam, omnia peccata mea expiari, & debitam pro eis pænam, plenissimè persolvi: gratiam, & amicitiam tuam mihi restitui; & ad spem vitæ æternæ me admitti.

Actus pro mortificando Odoratu.

O Amantissime JESU, qui à Judæis captus, ligatus, & ad Caipham deductus, ibidem in fætidum locum, & immunditie plenum detrusus fuisti; ubi sacratissimum tuum Odoratum maximè afflictum habuisti: gratias tibi ago pro his omnibus, quæ in hoc sensu pati dignatus es: ego quoq; ob amorem tuum, quacunq; oblata occasione, omnes fætores, & res malé olentes sustinendo; odoratum meum affligere propono.

Benignissime JESU, in unione illius amoris, ex quo tu omnia delectabilia tibi subtraxisti in terris; ego quoq; ex amore tui, omnia odoratûs oblectamenta fugere propono.

Absit à me carissime JESU, ut suffitus, vel ungventa, vel aliquas res gratissimi odoris, adhibeam in cella, ut odoratus meus suas experiatur delicias.

Si contingat, me per hortos ambulare, & ibi, inter flores, jucundissimos spirantes odores, commorari; nolo ex illis carpere quemquam, immò ne quidem tangere. Quæram

Quæram occasiones infirmis inservire; vel ex oblatis occasionibus gaudebo: & ibi, quantùmvis graves odores, libenter amore tui tolerabo.

Lætabor de officio humilitatis, mihi aliquando assignato, & de occasione, omnes immunditias domus purgandi, & fætores percipiendi.

Quoties, vel in Templo thuris odores, aut florum in horto sensero; toties illa odoramenta, erunt mihi, ad orationem, & laudes tuas Divinas incitamenta, ut dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Conabor semper, dare tibi Domino meo odorem svavitatis, per exercitium variarum virtutum, præsertim caritatis, & humilitatis, pænitentiæ, & mortificationis, obedientiæ, & mansvetudinis, patientiæ, & cordis puritatis.

Actus pro mortificanda passione Gaudij seu Delectationis.

O Piissime JESU, qui in horto, in summa angustia, mærore, & afflictione, exclusô omnî solatiô, propter meam salutem fuisti: ideò, & ego abrenuncio universis hujus vitæ solatiis, & oblectamentis, atq; omni vano gaudio, ob amorem tui.

Fugiam, quantùm erit possibile, omnium creaturarum delectationes, propter te summè dilectũ: & in te solo delectari propono.

Nolo unquam in rebus illicitis delectari, & potiùs malo mori, quàm talem delectationem, deliberato animo admittere, & in illa morari.

Dul-

Dulcissime JESU, si quando contingat me ex necessitate, & ex tua Divina voluntate, uti aliqua re delectabili, præcipuè escâ, vel potu; protestor, quòd nullam inde actu deliberato, delectationem haurire volo.

Mallem Domine, ut res illa mihi foret injucunda, & tunc uterer ipsâ propter te.

Utinam mitissime JESU Christe, res illa mihi molestiam citò generet, ne quid mihi placeat, præter te.

Non tantùm noxia, & illicita, sed quæcunquè alia terrena mihi proponantur, nolo in ipsis mihi complacere, nec delectari, nec illa desiderare: Tu enim solus, præ omnibus creaturis, eris dilectus mihi in æternum: Tu solus desiderabilis: Tu solus delectabilis.

Si licitam delectationem sensus meus aliquando perceperit, respuendo illam, & ad te cor meum elevando dicam: Ego verò delectabor in Domino.

Si gaudium aliquòd animæ irrepserit meæ, dicam: Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in DEO JESU meo.

Renuit consolari anima mea: Memor fui DEI, & delectatus sum.

Si quando dæmon impuras delectationes svaserit mihi, & objecerit appetitui meo, illicò Domine, timorem tuum, judiciorumq; tuorum terrorem, & suppliciorum inferni horrorem, atquè cæleftem gloriam, omne delectamentum in se habentem, mihi proponere curabo.

Actus

Actus pro mortificanda propria Voluntate.

HUmillime JESU, qui in horto ad Patrem tuum æternum dixisti: Pater, non mea, sed tua voluntas fiat: quibus verbis, voluntati tuæ propriæ abrenuntiasti: propterea, & ego amore tui, voluntati meæ propriæ renuntio, eamquê abnego.

Execror meam voluntatem propriam, quæ non est tuæ, vel vicarii tui voluntati conformis; & per quam aliquid cupio, & volo, non propter te, nequè secundùm te, sed propter me, meamquè utilitatem.

Credo voluntatem meam propriam, esse radicem, & causam præcipuā omnis peccati, & transgressionis tuæ voluntatis, ac totius mali: propterea illam, tanquam hostem salutis meæ perniciosissimum odi perfectè, & semper odio habere, & horrere volo propter te, & per te, propono.

Abominor tanquam detestabile malum, voluntatem propriam; non solùm, quia est omnium flagitiorum mater pessima, sed multò magis, quia est tibi inimica; per quam, homo subtrahit se, à tua gubernatione, & quasi aufert à te jubendi potestatem.

Profiteor Domine mi, quòd, qui mundum, & omnia terrena, propter te reliquit, voluntate propriâ retentâ, hic homo vilissima, quæq; obtulit tuæ Divinæ Majestati, & holocaustum pingve propriæ voluntatis, sibi, tanquam idolo consecravit: proinde ego, qui mundum, & omnia, quæ mundi

mundi ſunt, amore tui dimiſi, ſimul & voluntatem meam propriam dimitto, abnego, eamq; integræ tuæ voluntati ſubijcio : & ſic me totum, & omnia, totaliter in holocauſtum, tibi DEO meo vero conſecro.

Cavebo ſemper, ne propriam voluntatem ſequar, & ex ejus impulſu aliquid agam , vel dimittam: ſed tuam Sanctiſſimam voluntatem, ſemper inquiram, dicens: Domine, quid me vis facere ? Loquere Domine: quia audit ſervus tuus.

Abſit à me Domine, ut, poſtquam audiero vocem tuam, & cognovero voluntatem tuam, habeam obduratum cor meum, ne tuam voluntatem Sanctiſſimam adimpleam.

Dilectiſſime D E U S meus, ſi quando fecero, quòd voluero; nolo propter me ipſum, iſtud facere, ſed ad honorem tuum, & proximorum utilitatem: intendēdo, ſemper placere tibi, & aliis prodeſſe , non autem ſatisfacere , propriis affectibus meis.

Quidquid voluntas propria ſuggeſſerit , & gratum habuerit, id omnê quatenùs tale , hoc eſt , quatenùs à propria voluntate procedit , quæritur, & non propter te concupiſcitur, verè malum, & mihi nocium reputabo: ac ideò, illud recuſare, & fugere, propter te volo.

Si propter te , tuumq; honorem & bene-placitum, oportuerit me aliquid recipere, vel aſſumere, quòd propriæ voluntati, & ſenſualitati gratum, & jucundum fuerit, nolo unquam aliquid tale pro-

pter

pter delectationem sumere; seu, quia propriæ voluntati, seu sensualitati gratum est: sed duntaxat propter te, & secundùm te: hoc est, quia tu vis, & eô modô, ac mensurâ, quibûs vis, ut illud sumam.

Quidquid propriæ meæ voluntati durum, aut ingratum est, illud omne judicabo esse bonum, & mihi utilissimum: & propterea id semper amare, & desiderare, propter te, & per te decerno, vel aliunde mihi illatum, cum gaudio illud tolerare volo.

Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum, & facere quod vis, & dimittere illud, quando vis.

Volo, ut cibus meus sit dulcissimus, facere semper Sanctissimam voluntatem tuam.

Ut penitùs abnegem propriam voluntatem; ideò semper non meam, sed alienam voluntatem sequar, non tantùm Superiorum meorum, verùm etiam cujuscunq; fratris mei, modò non sit contraria tuæ Divinæ voluntati.

O Bone JESU doce me facere voluntatem tuam; quia DEUS meus es tu.

Fiat voluntas tua Domine, beneplacens, & perfecta, à me in terra, sicut facta est, & fit, à te JESU Christo homine, & à Matre tua Virgine MARIA, omnibusq; Angelis, & Sanctis in cælo.

Actus pro eradicando vitio Avaritiæ.

O Amantissime JESU, quem impius Judas, vitiô avaritiæ excæcatus, & seductus, inimicis tuis

Judæis

Judæis vilissimô pretiô vendidit: unde hujus vitii cognoscens malitiam, illud ex animo detestor propter te.

Execror immoderatam acquirendi, & habendi bona temporalia cupiditatem, sivè illa cum injuria, sivè absq; injuria proximi fiat.

Quia radix omnium malorum cupiditas, hoc afferente B. Paulo Apostolo: & quia avaritia, est idolorum servitus: ideò, sicut idololatriam, & omne scelus, quod tibi displicet; ita avaritiam, & pravam cupiditatem abominor.

Displicet mihi modò, quod ante placuit: placuerunt autem aliquando divitiæ, opes, aurum, argentum, & alia terrena; quæ, si nonnunquam habere, inordinatè desideravi, vel aliis invidi, ex amore tui doleo.

Confundor, & erubesco, quòd ego, qui creatus sum ad cælestes divitias, & bona æterna quærenda, terrenis divitiis, vanis, & caducis, immoderato affectu, aliquando adhæsi; quæ modò calco, & ut stercora arbitror, & æstimo.

Arguo me, & graviter, coram te Domino meo reprehendo; quòd sæpiùs necessariîs non contentus, superflua quæsivi.

Multi sunt, qui Avaritiam, sordes, & cænum appellant, & avaros homines, sordidos vocant: ideò, si quando hîs sordibûs, & cænô animam meam fædavi, & te offendi, nunc, ob purum amorem tuum doleo.

Execror, & pessimas Avaritiæ filias: videlicet,

obdura-

obdurationem, violentiam, inquietudinem, fallaciam, fraudem, perjurium, proditionem: & quòd per hæc, homines avaritiæ dediti, sæpè te Dominum DEUM noſtrum offendunt: dum obdurantur, nec ad miſericordiam flectuntur: dum in acquirendo, vim inferunt: cupiendo, ſoliciti ſunt: fallunt verbîs: fraudant operibûs: perjurant: & ſi opus eſt, produnt: & alii à fide deſciſcunt, multùm doleo.

Actus Paupertatis virtutis contrariæ Avaritiæ.

O Amantiſſime JESU, qui pro nobis egenus factus es, & pauperrimus, ita, ut non haberes, ubi reclinares caput tuum: ecce propter te, omnes divitias, & opes mundi contemno, & ſicut hæc in effectu dereliqui, ita ne minimo affectu illis adhærere volo.

Paratus ſum, ut verus pauper, etiam ſub ſcala, vel in aliquo angulo domûs pernoctare, & manere, ſi mihi cella, quà non ſum dignus non deſignaretur.

Deſidero etiam cibô pauperum veſci, hoc eſt, reliquiîs ciborum illorum, quibûs famuli tui veſcuntur, vel micîs cadentibûs de menſa ſervorum tuorum.

Nolo unquam eſſe ſolicitus, ne mihi aliquid deſit, ſive in cibo, ſive in veſtitu, ſive in commoda habitatione, & in aliis rebus.

Libenter tolerabo omnes neceſſitates, indigentias, carentias, defectus rerum neceſſariarum, & quidquid mihi defuerit, gaudebo. Vita-

visa; hoc est, non prævisa, nec præcognita: dicitur *Brevissima*; quia parùm durat. Mens enim tunc ex uno cogitatu, ad alium facilè transit, & per multa sinè ordine ullo vagatur, & in nullo stabilitur; ex eo, quòd non nititur profundiùs investigare veritatem.

Et ideò talis *Cogitatio* dicitur esse cum modico labore, & cum modico fructu. *Meditatio* autem fit cum labore, & fructu. Sed *Contemplatio* sinè labore, cum insigni fructu.

Meditatio propriè sumpta est discursus Intellectûs voluntatem nostram ad bonum hortantis, vel à malo dehortantis. Dicitur *discursus*, quasi per multas considerationes cursus, quas facit intellectus investigando veritatem: ut, si hanc veritatem vellemus habere notam, quòd virtus humilitatis sit amplectēda, & exercenda; debemus expendere hujus virtutis naturam, proprietates, & effectus ejus, quæ considerationes ostendunt nobis hanc veritatem; quòd necessariò debemus amplecti, & quærere hanc virtutem humilitatis.

Eodem modo, ut habeamus cognitam hanc veritatem, quòd vitium superbiæ est nobis fugiendũ; examinanda est nobis natura hujus vitii, proprietates, causæ, & effectus.

Dicitur *voluntatem nostram ad bonum hortantis, vel à malo dehortantis.* ut sciamus, quòd ideò illum discursum facere debemus, ut excitemus voluntatem nostram ad aliquod bonum amplectendũ; & retrahamus eam ab aliquo malo; ita, ut *Incipi-*

entes excitentur ad odium, & fugam peccati, ad vitia exſtirpanda, ad pœnitentiam, & verum dolorē de peccatis, ad mortificandos ſenſus, & inordinatos affectus, ex quibus vitia naſcuntur. *Proficientes* verò ad exercendas virtutes. *Perfecti* autem ad amorem DEI.

Hinc patet *ſumma neceſſitas meditationis rectè inſtituendæ:* tum propter quotidianam renovationem, & emendationem vitæ, quæ conſiſtit in fuga, & exſtirpatione vitiorum, & acquiſitione virtutū: tum propter acquirendam perfectionem, & ſanctitatem, quæ requirunt eadem: tum propter excitandam in nobis Devotionem, quæ nihil eſt aliud, quàm prompta voluntas offerendi ſe ad obſequiū DEI. Hæc *Devotio naſcitur in nobis* ex conſideratione bonitatis, & beneficiorum DEI, quæ excitat in nobis dilectionē eius, ex qua proponimus, vitare mala, & quidquid diſplicet DEO; & facere bona, ſeu in virtutibus nos exercere, paſſiones cohibere, & ſecundum vocationem noſtram DEO ſervire; & per hoc facimus gratum obſequium DEO: ex eadem Devotione, & bona meditatione oritur debita Gratiarum actio, & prompta Oblatio, & fervens Petitio.

Et quoniam Meditatio non fit propter ſe, verùm propter excitandos affectus bonos in voluntate: *Sciendum eſt*, quòd aliquando affectus citò excitatur, & citò evaneſcit; & tunc reſumenda eſt meditatio; ad quod plurimùm conducit breves quaſdā meditationes ultimis partibus intermiſcere, ut ſic affe-

ctus identidem excitentur. Aliquando non statim affectus per meditationē movetur; & tunc aliquantulum in ea persistendum, rogando DEUM, ut nos adjuvet. Sed si media hora Orationis transierit; relinquatur meditatio, atq; ad alias partes Orationis transeundum: videlicet, ad Gratiarū actionē, Oblationem, & Petitionem, Et idem dicendum; si nullum aliquis potest facere discursum.

De modo Meditandi.

MOdus Meditandi, *alius est* ex parte personæ meditantis; *Alius* ex parte materiæ meditandæ. *Ex parte personæ meditantis modus meditandi est*, ut facturus aliquis meditationē de quacunq; materia assūpta: *Primò*, faciat sibi præsentem Dominū in illa imagine, in qua Præsentiam DEI diurnam habet. Quodsi contigat Meditatio de alio mysterio Passionis Christi, non verò de illo, de quo habetur Præsentia DEI diurna, tunc relictâ diei Præsentiā, & imagine Christi, assumatur imago illius mysterii, de quo quis meditatur. Formentur autem istæ imagines, intra nos, hoc est in corde; vel propê nos, propter majorem recollectionem. Si verò aliquis in hoc difficultatē senserit, & per experientiam didicerit, ex modo alio Præsentiæ DEI, majorem fructum se percipere in Oratione, tunc potest illum modum tenere. Aliqui svadent, ut orantes imaginentur Cœlum esse apertum, & Sanctissimā TRINITATEM cum omnibus Sanctis illum aspicientem, & Angelos orationes nostras eidem offerentes: Alii,

ut concipiant DEUM, ut lucem splendidissimã totum mundũ illuminantem,& replentem, & eũ qui orat illâ luce esse circumdatũ, & in ea permanentẽ.

Secundò, ut meditationem faciat aliquando seipsum alloquendo: v.g. dum considerat Christũ Dominũ flagellatum ad seipsum dicendo: *Considera anima mea. Quid passus est Christus, pro te in illa crudeli & ignominiosa flagellatione?* quos tunc dolores pertulit pro te, dum â tot impiis tortoribus flagellaretur? &c. Præterea considera. *Quis est iste, qui pro te flagellatus est?* &c. Deinde considera, *Cur flagellatus est?* hoc est; ex qua causa, ob quã causam &c. Considera quoque, *Quomodo se gessit Christus in illa flagellatione?* quanta cum humilitate, patientia, mansvetudine? &c. omnes tunc dolores & tormenta pertulit? &c. *Qui modus Meditandi Incipientibus convenit.*

Aliquando meditationẽ instituere aliquis potest, alloquendo DEUM, sicut jam exercitati in oratione faciunt. Qua in re unusquisq; seipsum probet, qui modus meditandi melius ipsi succedit.

Alius modus meditandi est, ex parte materiæ meditandæ; ut sciamus quomodo meditationẽ formare debeamus, de personis,& actionibus earũ: videlicet, de DEO, Virgine Sanctissima: & aliis Sanctis? quomodo de virtutibus & vitiis? quomodo de Sacræ Scripturæ verbis?

Modus Meditandi de DEO erit.

UT consideremus tres in una Divinitate Personas: Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum,

ctum, secundùm symbolum S. Athanasii; praeterea Perfectiones Divinas, quae quia sunt infinitae, saltē magis notas; ut Omnipotentiā, Sapientiā, Bonitatē, Providentiam, Infinitatem, Immensitatē, Æternitatem, Pulchritudinem, Immutabilitatem, Veritatē, Justitiam, Misericordiam, & alias: *quæ considerationes Perfectis competunt*, ex quibus moventur ad amorem DEI, ad exercendos actus Fidei, Spei, Adorationis, Laudis, Gaudii de bonis DEI, Gratitudinis, & Resignationis.

Proficientibus quoquè convenit considerare illas DEI Perfectiones, ex quibus moventur ad formandam in se similitudinem DEI, per exercitium virtutum. Ad hoc enim creatus est homo, ad imaginem & similitudinem DEI, ut sicut DEUS Creator, *teste S. Ambrosio Lib: de Parad: c. 3.* Qui hominem ad similitudinem suam creavit, est charitas, est bonus, & justus, patiens, atq; mitis, mansvetus atq; misericors: (*sunt verba S. Doct:*) ita homo creatus est, ut charitatem haberet, & bonus esset & justus, ut patiens atq; mitis, & mundus atquè misericors foret. Quas virtutes, quantò plùs quis habet in se, tantò majorem sui conditoris gerit similitudinem. Imago, itaq; DEI est, in ipsa animae spirituali substantia: similitudo verò DEI in virtutibus illis, per quas DEO similes efficimur.

Incipientes etiam possunt expendere aliquas Perfectiones Divinas, ex quibus moventur, ad cōtritionem, ad odium, & fugam peccati, ad exstirpanda vitia, ad mortificandas passiones, ad timorē

DEI, & ad Spem in Misericordia DEI. Igitur ad Incipientes pertinet considerare Bonitatem DEI. Justitiam, & Misericordiam ejus. Bonitatem, quam offenderunt, ut de peccatis suis doleant; Justitiā, ut DEUM timeant: Misericordiam, ut non desperent.

Modus meditandi de Christo Domino nostro erit.

UT aliquando consideremus ejus nomina Sanctissima, quæ plurima in Sacra Scriptura reperiuntur: ut quòd vocetur, Filius DEI, ante Luciferum genitus in splendoribus Sanctorum, Verbum Patris, Splendor, & Figura substantiæ ejus, Candor Lucis æternæ, Sol Justitiæ, Rex gloriæ, Rex regum, Dominus Dominantium, Sanctus Sanctorum, Verbum Caro Factum, Princeps pacis, Lux mundi, Via, Veritas, & Vita, Pastor bonus, Agnus mansvetus, Leo de tribu Juda, Aquila magnarum alarum, & alia: sub quibus nominibus diversis, *possumus meditari de Christo*, pro diversitate solemnitatum & temporum; videlicet, *in Sacratissima ipsius Nativitate*, quòd sit Pastor bonus, qui venit in mundum, quærere, & congregare oves dispersas, & ideò in stabulo nasci dignatus est. *In festo Circumcisionis*, ut Agnus mansvetus. *Epiphaniæ*, ut Rex Regū. *Resurrectionis*, Sol, aut Leo, de quo scriptum est: *Vicit Leo de tribu Juda: Ascēsionis*, ut Rex gloriæ, vel, ut Aquila provocās advolandū pullos suos; *Aliquando verò* immò sæpissimè expendemus ejus vitam Sanctissimā, cujus Historia in quatuor Evangeliis est descripta; ubi expressæ sunt actiones ejus, ut eas imitemur: & doctrina,

ctrina, ut eam amplectamur: *de quo S. Basilius in Const: Monast: cap: 2. sic ait.* Omnis actio, omnis item sermo Salvatoris nostri JESU Christi, excolendæ pietatis, virtutisq; obeundæ Regula est; propter hoc enim etiam humanam naturam suscepit, ut in se velut in tabula quadam, verã nobis pietatem ac virtutem depingeret, eamq; omnibus nobis ante oculos statutam unicuiq; pro viribus imitandam ceu Archetypum proponeret.

Dum verò aliquis considerare vellet Christi Domini actiones, vel ejus sacratissimam Passionẽ, hoc faciet, examinando circumstantias istas. *Quis*, *Quid*, *Cur*, *Quomodo*: hoc est, personam, Opus, causam, & Modum. Possumus etiam aliquando meditationẽ instituere, de fine actionum, & passionum vitæ, & mortis Christi Domini nostri, qui duplex fuit: *Gloria*, scilicet, *Patris æterni*; & *humani generis utilitas*; ut exemplo ejus, gloriam DEI in omnibus actionibus nostris, & salutem nostram proximorumq; nostrorum quæramus.

Modus Meditandi, de quibuscunq; Sanctis erit.

COnsiderando eorum nomen, statum, dignitatem, vitam, virtutes, actiones, afflictiones, labores, doctrinã, gratias, & beneficia DEI; præsertim gratiam electionis, vocationis, justificationis, & sanctitatis: & quomodo sint cooperati gratiæ DEI. Insuper mortem felicissimam, & gloriam sempiternam, & miracula.

Etiam posset aliquis meditationẽ instituere de Sanctis, secũdũ illas circũstantias omnibus notas. *Quis*,

Quid, ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

Modus meditandi de virtutibus moralib9 erit.

COnſiderando earum nomen, naturam, cauſas, affectus, actus, proprietates, media ad illas acquirendas.

Nomen virtutis deducitur à viro. Nam ſignificat robur, & fortitudinem, quæ eſt viris propria.

Natura virtutũ cognoſcitur ex definitione earũ.

Cauſa virtutum prima, & univerſalis eſt DEUS; nos autem cauſa proxima per actus internos virtutum. Et ideò facilis eſt virtus: quia ad eam acquirendam nobiſcum concurrit DEUS, nos excitando, & adjuvando.

Effectus virtutis ſunt innumeri, qui recenſentur, cum proprietatibus virtutis.

Actus virtutum ſunt modi, & inſtrumenta, quibus acquiruntur; quorum actuum exercitia, per Ferias diſtincta, & per hebdomadas diviſa inferiùs habentur *in Par: 2.*

Proprietates Virtutum ſunt Honeſtas, Utilitas, Delectabilitas, & Pulchritudo; ex quibus ſumuntur incitamenta virtutum; & quæ præcipuè in meditatione conſiderandæ ſunt, ut excitetur voluntas noſtra ad amorem, & deſiderium virtutis. Voluntatem enim noſtram nihil poteſt moveri, niſi bonũ, quod dividitur in honeſtum, utile, & delectabile: Pulchrum quoq; idem eſt in virtute, ac bonũ, Itaq; cum virtus ſit honeſta, utilis, delectabilis, & pulchra, habet in ſe omnem rationem boni; quod cũ

in

in Meditatione expendetur, facilè voluntas ad virtutem amandam, & desiderandam inclinabitur.

Honesta est virtus, immò ipsa honestas: quia sola hominem honestat, & decet. Est enim naturæ rationali propria, ipsiq; conformis: quia omnes actiones nostras condecorat, ac honestat: facit nos quoq; similes DEO, ac DEI-formes: præterea venerabiles, ac omni honore dignissimos, efficit, Ipsa est Mater gloriæ, honoris, & nominis immortalis. Ipsa nobilitas animarum nostrarum. Sola est laudabilis, sola per se appetibilis; cū simpliciter in se sit bona. Est enim participatio Divinæ Perfectionis, & Bonitatis.

Utilitas est virtus: quia nos bonos, & opera nostra bona facit, evacuat peccata, eradicat vitia, pronitatē ad malum moderatur, difficultatē ad bonum vincit, vehementiam passionum in nobis impedit, partem inferiorem superiori totaliter subdit, perficit potentias animæ nostræ, ut operationes suas perfectas producat.

Non solùm autem utilis, sed etiam necessaria est virtus: quia sinè illa neq; placere DEO, neq; finem nostrū, qui est vita æterna, consequi possum9: quia per illam benè, & sanctè vivimus, vitā, & gloriam æternam promeremur: quia est pretium, quo regnum Cœlorum emitur: est vis: quā violenter rapitur: est jus; quô in hæreditatem homo assumitur; est character, quô Filii DEI ad Cœlū admittuntur; est vestis nuptialis, quā decorari oportet eos, qui ad Cœnam Regis æterni vocantur.

Jucunda seu delectabilis est virtus, non tãtùm; ut jam acquisita, & adepta; sed etiam; ut est in adeptione, & acquisitione: Nã exercendo virtutes gaudemus, & quia scimus, quòd exercitio virtutis DEO placemus; & propter conscientiam rectè facti; & propter spem præmii gloriæ cœlestis à DEO fideli promissæ; & propter instinctum naturæ rationalis, quæ delectatur in operibus bonis. Delectabilis est quoq; virtus jam adepta, & acquisita; quia illa sola possessores suos, pura & perpetua delectatione perfundit, sola vera voluptate animum nostrum satiat, & quietat; sola plenam lætitiam, jucunditatẽ, tranquillitatem, & quietem nobis affert. *Unde S. Chrysostomus Hom:* 1. *ad Rom:* Si, *inquit*, voluptate frui volumus ante omnia alia, fugiamus vitia, virtutemq; sectemur; aliter enim nobis non licet voluptatis, participes fieri. *Et benè:* Nã voluptas ex præsentia rei convenientis nascitur; nihil autem convenientiùs est naturœ rationali, quàm virtus; & ideò ex nulla re, tantummodò ex virtute sola voluptatem, & delectationem veram, & purã, atq; homine dignam habere possumus. Et quamvis à longè conspecta virtus, aliquando nobis incutiat timorem, & amara videatur, tamen gustata dulcescit, & sui amorem nutrit.

Pulchra est quoq; virtus: quia est ornamentum animæ nostræ, propter quod anima dicitur. *Cant:* 6. Pulchra, & decora, & amica DEI, id est, Charissima: quia est vestis nuptialis, sinè qua DEO placere nemo potest: quia rebus pulcherrimis compa-

rantur

ratur, ut ſoli, lunæ, ſtellis, & lapidibus pretioſis, Sol eſt, *inquit S. Bernardus ſerm: 27. in Cant:* fervens charitas; Luna continentia; ſtellæ, aliæ virtutes. Hæc unica virtutis eſt pulchritudo, quam ſi oculis carnis homines viderent, omnium amorē in ſe concitaret. Hanc cœleſtis Sponſus amat, qui reſpiciens humilitatem ancillæ ſuæ; id eſt, Virginis MARIÆ, hujus amore captus, deſcendit de Cœlis. Hanc diligunt Angeli Sancti, de quibus dicitur; *Recti diligunt te:* Angeli Sancti omninò ſunt recti: *ait S. Bernardus ſerm: 24. in Cant:* qui animam virtute pulchram diligunt, dum eam ſibi ſimilem eſſe conſpiciunt.

Modus meditandi de vitiis erit.

COnſiderando eorum nomen, naturam, cauſas, effectus, proprietates, actus, remedia, ſeu media ad illa exſtirpanda, & ad excitandum odium vitiorum.

Nomen vitii deducitur à vitando; quia ſignificat malum, quod vitari debet.

Natura cognoſcitur ex deſcriptione ejus, quæ eſt talis: Eſt prava diſpoſitio mentis ad peccatum inclinans.

Cauſa vitii, ut ſumitur pro actu vitioſo ſeu peccato, eſt Dæmon ſvadens malum, & voluntas noſtra ipſi obediens: ut autem vitium ſumitur pro habitu, ſeu pro illa prava diſpoſitione, tunc vitii cauſa ſunt præcedentia peccata, ſeu actus vitioſi.

Effectus vitii recenſentur cū proprietatibus vitii.

Actus quoq; vitiorum, præſertim ſeptem Capi-

talium habentur inferiùs per Ferias diſtincti, primâ Hebdomadâ, *Par*: 2.

Proprietas vitiorum eſt, malitia habens in ſe trinam rationem mali, quod ſit malum inhoneſtum, inutile, inſvave, & amarum.

Inhoneſtũ eſt: quia dedecet hominẽ rationalẽ. Eſt enim diſconveniens & difforme naturæ rationali; & ideò eſt contra naturã rationalem: quod infames & ignominioſos homines reddit, & ipſum omni vituperatione, & odio eſt dignum. Præterea *eſt deformitas animæ*, ejus pulchritudinem deturpans, quâ ſuper carbones fit denigrata ſuper omnem immunditiem fædata, omni execratione digna, & maximopere diſplicens DEO. *Et turpitudo erubeſcenda*; eſt *fæditas* viliſſima, quæ dehoneſtat animam. *Eſt contumelia* nobilitatis noſtræ.

Inutile, propter ſummum damnum DEO illatum, privans illum debito honore: quia eſt injuria infinita DEO facta; quia peccando legem DEI contemnimus, & nos à DEO, Creatore, ſummo & incommutabili bono avertendo, ad infimum, & incommutabile bonum creaturæ convertimus, in quo eſt infinitus DEI contemptus. Eſt quoq; inutile, propter damnum nobis illatum: quia nos ſpoliat gratia ſanctificante, & omnibûs Spiritûs S. donîs, ac virtutibûs infusîs: privat nos jure regni cœleſtis; cauſat reatum pœnæ æternæ: facit animam diaboli captivam, & inferni incolam; quia nos inclinat ſemper ad malum: quia per peccatum amittitur nitor, & pulchritudo animæ, & inducitur turpis macula, per affectũ inordinatũ ad creaturas. *In-*

Insvave est, & *amarũ*: Est enim venenum. Quis enim lætò animô cibum & potum venenô imbutũ sumeret? *Est dirus Tyrannus*; *ut ait S. Chrysostomus*, qui nostrã animam continuò crudeliter torquet. *Est dæmon*, qui animam in peccato hærentē possidet; & ideò, quot vitia habuerit homo, tot dæmones, *ut B. Cæsarius testatur*: qui ut animarum nostrarum ferocissimi hostes, eas, ut captivas, supra modum affligunt. *Est crux*: *ut S. Bernardus de vitio ambitionis asserit*: O ambitio, inquit, ambientium crux, quomodo omnes torques? nil enim acriùs cruciat, nil molestiùs inquietat. *Est vermis* diu noctuq; rodens animam. Præterea est vitium insvave; quia privat nos consolationibus Divinis, quas solet DEUS communicare justis; tum etiam serenitate ac lætitiâ, quam actus boni & virtuosi nobis adferunt; tum cordis tranquillitate, incutiens nobis timorem judiciorum DEI, ac pœnarum inferni, commemorans quoq; nos, esse inimicos DEI, factos odibiles ei, & Angelis ejus.

Modus meditãdi de seipso, ad cognitionē sui erit.

CОnsiderando hominis nomen, naturam, causas, proprietates, vitæ miserias, actiones, ejus novissima.

Nomen hominis est ab humo desumptum: quia de humo, seu de terra factus est; & ideò homo humilis, & sui contemptor esse debet.

Natura hominis ex definitione patet: quia *est animal rationale*. Nam hoc totum habet, quod animal: videlicet, sensus externos & internos,

per quos cognoscit suæ naturæ, & vitæ necessaria: habet quoq; appetitum, per quem appetit illa. Præterea habet rationem, per quam differt ab animalibus. Hinc homo est compositus *ex parte inferiori sensitiva*, ad quam pertinet sensus, & appetitus sensitivus; *& ex parte superiori rationali*; inter quas partes, est continua pugna; quia ut homo per peccatum factus est rebellis DEO in paradiso, sic etiam in homine factus est pars inferior rebellis superiori.

Ab aliis describitur homo, quod sit *centrum universi*: quia sicut lineæ à circulo deductæ ad centrum ibi copulantur, ita omnium creaturarum perfectiones in homine congregantur. Deinde quod sit *Compendium omnium operum DEI*, qui dedit homini esse cum elementis, & rebus non viventibus: vivere, cum plantis, & arboribus: sentire cum piscibus, avibus, & animalibus: & intelligere cum Angelis. Insuper *est parvus mundus*, in quo DEUS perfectiones repertas in hoc visibili toto mundo inclusit.

Causa efficiens hominis est DEUS, Creator noster; ipse enim creat animas nostras; ipse quoq; creavit limum terræ, de quo formavit corpus primi hominis, de quo limo & nos sumus.

Causa Materialis hominis est terra, pulvis, & cinis.

Causa formalis hominis est anima rationalis, quæ est forma hominis: sed forma animæ, est imago DEI.

Causa

Causa finalis primaria est DEUS: ipse enim est finis noster ultimus, qui nos creavit propter se, ut ei serviamus, ut eum diligamus tanquam summum bonum, propter se super omnia appetibilia: *secundaria Causa finalis est æterna beatitudo*, quæ est finis noster ultimus secundarius: seu finis Cujus, est DEUS: & finis Quo, est æterna beatitudo, in qua est DEI fruitio,

Actus hominis, ut est naturæ rationalis sunt illi proprii, qui sunt convenientes & conformes rectæ rationi, quales sunt actus virtuosi, & boni. Nam tales sunt secundum rationalem naturam: Mali autem, & vitiosi, sunt contra naturam humanam.

Proprietates hominis sunt relinquendæ Philosophis; sed nos consideremus in meditatione proprietates animæ rationalis: videlicet quòd sit spiritus; quòd sit incorporea, immortalis, in partes quantas; quòd sit tota in toto corpore, & in qualibet parte corporis; quòd sit capax æternæ beatitudinis. *Dignitas hominis* consistit in eo, quòd sit ad imaginẽ & similitudinem DEI factus; quòd sit rationalis; quòd sit post Angelos omnium creaturarum nobilissimus; quòd sit Præses à DEO cõstitutus, super omnes creaturas hujus mundi; quòd DEUS clemẽtissimus ex summa dilectione erga hominem pro eius salute, Unigenitum Filium suum misit in terrã, ut homo fieret, & pro ipso moreretur; quòd DEUS hanc homini potestatem dedit, ut Filius DEI fieret; quòd sit capax gratiæ DEI sanctificantis, quæ est participatio Divinæ naturæ; insuper, quòd natura huma-

humana in Christo Domino nostro, supra omnes Angelorum choros, usq; ad thronum gloriæ, ad dexteram cœlestis Patris sit exaltata.

Conditio hominis præsens est, pronitas ad malum & peccatum, & multæ miseriæ vitæ ipsius: tandem mors, quam sequitur judicium DEI, tandē vel infernus, vel gloria cœlestis.

Modus meditandi Sacram Scripturam.

FRequens est in nostra Religione usus considerandi Sacram Scripturam: partim cum super Evangelia pro diebus Dominicis, & Festis Sanctorum meditationes leguntur: partim cûm pro præparatione ad Sanctissimæ Eucharistiæ sumptionem, punctum aliquod ex Evangelio currentis Festi, vel diei Dominicæ consideratur. Igitur, ut cum majori fructu istæ meditationes circa Sacram Scripturam fiant, *Sciendum* nobis est, *Verborum S. Scripturæ esse multiplicem sensum*: primò *Literalem*: deinde *triplicem Mysticum seu spiritualem*; videlicet, *Tropologicum seu Moralem, Allegoricum & Anagogicum.*

Sensus Literalis Significatur per verba, aliquādo secundum propriam significationem; ut dum dicitur, DEUS judex, justus, fortis, & longanimis. Aliquando, secundum significationem figurativam, seu metaphoricam; ut cum de Christo Domino dicitur, Quòd sit Leo: quia est fortis: vel Petra; quia est immobilis, & constans: vel Agnus; quia mansvetus,

Sensus Tropologicus seu Moralis est, quando

res

Nolo unquam per audaciam aggredi aliquid, quod potius fugiendum eſt; & quod indignum eſt homine ratione prædito, & magis Chriſtiano, & maximè Religioſo, qui vitam tuam ſacratiſſimam, dilectiſſime JESU, imitari debet.

Abſit à me, clementiſſime DEUS meus, ut ea, quæ ultra vires meas ſunt, attentare audeam: ſed tunc audaciam humilitate, & ſancto timore tuo, temperare conabor.

Si quando honor tuus, & gloria, meæ animæ, vel proximorum ſalus id requiret: tunc ad univerſa pericula, audacter tuâ Divinâ adjutus gratiâ, vitam meam exponere non verebor.

Utinam aliqua occaſio Martyrii pro te ſubeundi mihi detur! & ego confidens auxilio tuo, ſangvinem meum profundere, ob amorem tuum, ſum paratus.

Actus pro extirpando vitio Invidiæ.

O Amantiſſime JESU, quem per invidiam Judæi Pilato tradiderunt, & ex invidia regalis tuæ dignitatis, coronâ ſpineâ crudeli, & ignominioſâ coronarunt: ſis infinities benedictus, pro his omnibus, quæ tunc pro nobis paſſus es: quorum causâ, quia Invidiæ vitium fuit; ideò illud ex amore tui deteſtor.

O benigniſſime JESU, quia Invidia, eſt triſtitia de bono alterius; Eſt odium felicitatis alienæ inde procedens; quòd invidus, vellet eſſe in omnibus bonis ſingularis: unde, ſi aliquando ejuſmo-

di ſingularitatem deſideravi: & propterea, ſi aliorum eminentiam texi: vel apertam virtutem calumniatus ſum: ſeu quod laudandum erat, vituperavi: vel quod bonum facere non potui, alios impedivi: de his omnibus, in quantùm ſunt offenſa tua, propter te DEUM meum ſummè dilectum, doleo ex toto corde.

Abominor, Domine mi, & illa omnia mala, quæ ex hoc vitio oriuntur, videlicet: Odium, Suſurrationem, Detractionem, Lætitiam de proximi adverſis, Afflictionem de proſperis.

Diſplicet mihi modò valdè, quia tibi Domino meo diſplicet; ſi quando proximum odio habui, & ex hoc odio ab ejus amore averſus fui: vel ei optavi, aut procuravi aliquod malum: vel bonum, quod facere tenebar, ipſi denegavi.

Diſplicet, ſi per detractionem, denigravi, corrupi, aut diminui bonam famam, ſeu reputationē, & æſtimationem proximi: vel ei falſum impoſui: vel peccatum ejus occultum revelavi: aut verbis exaggeravi: vel ſi bonum ejus negavi: aut malitioſè reticui, aut diminui: vel ſi detrahentes proximo, libenter audivi, nec eos reprehendi, dum potui.

Diſplicet, ſi mærorem de bonis, & proſperitate aliorum habui: vel de eorum malis, & adverſitate lætatus ſum; qui condolere potiùs eorum malis, tanquam propriis, & congaudere bonis eorum, tanquam meis, tibiquè pro eis gratias agere debui.

Actus

Actus Charitatis virtutis Invidiæ vitio contrariæ.

O Dilectissime JESU, qui ex nimia charitate quâ dilexisti nos, pro nobis pati, flagellari, spinis coronari, & mori dignatus es: & qui proximus passioni, & morti, nobis quoq; charitatem mutuam præcepisti, dicens: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem ad invicem habueritis: ideò mandatum hoc, modo perfectissimo adimplere, & proximos meos, sicut me ipsum, diligere volo.

Amabo Domine JESU, omnes proximos, propter te: hoc est, quia tu vis, & tibi placet, ut hoc faciam, & in hoc tibi gratum obsequium exhibeam, quia superdignissimus es.

Amabo illos in te: hoc est, quatenus aliquid tuum sunt: quia ad imaginem, & similitudinem tuam creati, tuiq; sunt filii, & à te dilecti.

Amabo eos per te: hoc est, per infusam in cordibus nostris charitatem.

Amabo ipsos, secundum te: id est, eo modò, quo vis id fieri, & secundùm exemplar tuum, quod ostendisti, diligendo nos.

Amabo eos dulciter absq; amaritudine, sed cum svavi, & benevola affectione, bonum ipsis favendo, & desiderando.

Amabo eos sapienter, ea tantùm illis optando bona, quæ tu vis, ut optemus, & quæ sunt illis verè salubria.

Amabo eos prudenter, ea tantùm ab eis deprecando mala, quæ tu vis, ut depecemur, & quæ verè ſunt illis nociva; nunquam palpando, aut amando eorum vitia; ſed odiendo, & perſequendo.

Amabo eos efficaciter, non verbo, & lingvâ ſolùm, ſed opere, & veritate amorem meum comprobando, & charitatis ac miſericordiæ opera, & obſequia illis impendendo.

Amabo eos fortiter, adverſa quæq; pro eorum ſalute tolerando, ardua aggrediendo, & animam etiam meam, ſi opus eſſet, amore tui, & imitatione, pro eis ponendo.

Amabo eos conſtanter, non in proſperitate tantùm eorum, ſed etiam in adverſis, illis fideliter, & conſtanter aſſiſtendo, & ſuccurrendo.

Amabo eos ordinatè, priùs, & ſingulariùs illos amando, quos tu vis priùs, & ſingulariùs amari.

Nolo jam ampliùs dolorem aliquem, ſeu triſtitiam de bonis alienis habere: ſed potiùs lætabor ſemper, tanquam de propriis: tibiq; gratias agam, ſicut pro noſtris; & pro eorum conſervatione, & augmento, ad tuam gloriam, orabo.

Conabor revereri, & ſublimiter de meis proximis ſentire.

Benè judicabo, de illis ſemper, & operibus eorum non apertè malis: aut facilè bona de illis audita credam.

Opto, & quantùm commodè potero, procurare illis volo, omne bonum, tibi placitum, & illis ſalutiferum.

Liben-

Libenter narrabo, & prædicabo aliis bona, & virtutes eorum: & ab aliis laudari eos gaudebo.

Quandocunquè, & quantùm, ſecundùm te, & per te, valebo, proximorum neceſſitatibus, & indigentiis, tam corporalibus, quàm ſpiritualibus ſuccurrere firmiſſimè propono.

Et quidquid minùs effectu, & re ipſa, præſtare potero, pio deſiderio, & ferventi oratione ſupplere volo.

PRO FERIA SEXTA.

Hac die pro DEI Præſentia, eſt Chriſtus Dominus Crucem bajulans: vel Cruci affixus.

Hinc occaſio haberi poteſt ad Contritionem: ad mortificationem Guſtûs: paſſionis Deſperationis & Timoris: ad odium Gulæ: ad exercitium virtutis Abſtinentiæ.

Actus Contritionis.

O Dilectiſſime JESU, qui pro nobis, cruci ignominioſæ affixus fuiſti, in qua acerbiſſimos dolores per tres horas pertuliſti: ſed quis tam crudelis in te fuit? ego, ego ſum, qui te Dominum meum, DEUM meum, Creatorem meum, crucifixi. Nam qui in te peccant, iterum te crucifigunt.

O quanta impietas! o quanta indignitas! ô quanta mea malitia! major certè, quam Judæorū, quos tu excuſare coram tuo Patre æterno, & pro ipſis ferventiſſimè, & amanter orare dignatus es, dicens:

dicens: Pater ignoſce illis: quia neſciunt, quid faciunt.

At me quis excuſabit coram te, & Patre æterno, & Spiritu Sancto? nemo certè: immò omnes creaturæ me accuſant: quia te Creatorem ſuum occidi.

Verùm & ego ipſemet non me excuſo: ſed cum gravi indignatione, contra me, coram tua Divina Majeſtate, me accuſo, arguo: & tanquam impiiſſimum, iniquiſſimum, & omnium hominum nequiſſimum reprehendo.

Verè, verè, confiteor, quia nihil mihi debetur, niſi cruciatus inferni, niſi cum ſceleſtiſſimo traditore Juda damnatio, niſi perpetua omnium damnatorum tormenta.

Quid igitur faciam? quo ibo? quo me vertam? niſi ad te, bone JESU, ſpes mea; qui propter peccatores, in mundum veniſti & qui pro peccatoribus, in cruce mori dignatus es.

Fateor, quia peccavi in te DEUM meum, Creatorem meum, Patrem meum: jam nunc vehementiſſimè doleo, quòd unquam offenderim te, quem nunc amo, ex toto corde ſuper omnia.

Doleo, quia magnitudo bonitatis tuæ infinita eſt à me offenſa.

Doleo, quia tam ingratus, in te peccando, fui, qui me ſangvine tuo pretioſo redemiſti.

O utinam nunquam te offendiſſem! o ſi totius vitæ meæ, omnes dies præteritos, omnes horas, & momenta, pro maxima gloria tua impendiſſem!

Lugeant,

Lugeant, lugeant, præcordia mea die ac nocte, propter intolerabilem iniquitatem meam: quia te DEUM meum, summo amore, summo honore, & reverentiâ dignissimum multoties offendi.

O utinam scindatur cor meum, præ dolore, propter offensam tui summi boni! sicut scissæ sunt petræ in passione tua.

O si nunc contremiscant, & commoveantur in me viscera mea, præ contritione cordis mei vehementi, ob tuam injuriam! sicut commota est, & contremuit terra, in morte tua.

Hoc quidem est desiderium meum, hic affectus, quem tu complere digneris in effectu.

Suppleat quæso, sangvis tuus pretiosus, defectum lachrymarum mearum.

Suppleant dolores tui acerbissimi, defectum doloris mei.

Suppleat tua sacratissima Passio, ubi deficit mea contritio.

Ego autem conijcio, in pretiosa vulnera tua, omnia peccata mea; ut illa, quantacunq; fuerint, exurantur igne amoris tui, prout in tua infinita bonitate spero.

Parce mihi Domine JESU, & concede mihi, quod à Patre tuo æterno postulasti crucifixoribus tuis.

Statuo millies mori, quàm committere vel unum peccatum mortale. Sed quia nihil sine te possum: igitur obsecro te, per tuam sacratissimam Passionem, da mihi ab omni peccato præservationē.

Actus pro mortificando sensu Gustus.

O Svavissime JESU, qui in domo Caiphæ, sputis fætentibus, os tuum, sacrosanctum repletum habuisti: & in monte Calvariæ acetum cum felle mixtum gustasti, cujus amaritudine, tuus sacratissimus gustus afflictus fuit: proinde & ego, ob amorem tuum, gustum meum affligere, per aliqua ipsi ingrata, statuo.

Benignissime JESU, in unione amoris illius, ex quo tu propter me, omnia delectabilia tibi subtraxisti; omnia oblectamenta gustui meo subtrahere volo.

Clementissime JESU, si contingat aliquando, me gratum palato meo, aliquem potum, & cibum sumere; protestor, me nullam inde voluptatem percipere velle.

Libentiùs dulcissime JESU, ad viliora, & gustui meo insipida, animum meum inclinabo: immò aliquando ex sapidis, insipida facere, nec de cibo, vel potu, conqueri, & loqui volo.

Nolo unquam cibum, & potum sumere, pro capienda ex eis voluptate: sed tantùm pro naturæ necessitate; & ad implendam tuam sanctissimam voluntatem; & ut corpus corroboretur meum, ad serviendum tuæ Divinæ Majestati.

Nunquam specialem cibum mihi procurabo, sed communibus cibis, qui omnibus apponentur, contentus ero.

Ab omnibus cibis delicatioribus, & pretiosiore potu, si absq; singularitatis nota id facere potero, semper abstinere curabo. Si

Si quid mihi defuerit, ex illis cibis, qui aliis miniſtrabuntur, tacebo, nec illud petam.

Nullum cibum, & potum, unquam guſtare, abſquè neceſſitate propono.

Semper aliquid modicum, ex illis cibis, qui mihi offerentur, vel apponentur, præſertim illud, quod magis palato arridebit, relinquere ſtatuo.

Gaudebo, ſi ex communibus cibis, vilior, & minor portio, vel guſtui meo minùs placens offeretur.

Nunquam, ad nimiam ſatietatem, potum, & cibum capiam: nec extra tempora conſveta: niſi interveniente aliqua neceſſitate, vel obedientia, & tuâ Sanctiſſimâ voluntate.

Etiam cibos communes, & viliores, ſine aviditate ſumam: & reficiendo corpus, ſimul meam mentē, piâ aliqua lectione reficere operā dabo.

Actus pro mortificanda paſſione Deſperationis.

O Spes mea, dulciſſime JESU, nullam unquam deſperationem, quæ tibi diſplicet, admittere volo.

Quia deſperatio, eſt receſſus appetitus à bono, quod judicatur impoſſibile: ſi illud bonum non fuerit verum, ſed apparens; à tali bono ſemper recedere, & ſpei reſiſtere, eamq; ad vera bona, & cæleſtia erigere curabo.

Verè agnoſco, & hoc profiteor, quia aliis debetur cælum; beatorum gloria, & præmia æterna, mihi verò infernus, confuſio perennis, & ſupplicia: tamen non deſpero in tua infinita miſeri-

cordia,

cordia, per quam, à pænis inferni eripiar, & gloriæ cæleſtis particeps efficiar.

Abſit à me, Domine mi clementiſſime, ut de his deſperem, quæ à te ſperare debeo: nimirum peccatorum veniam, vitæ emendationem, tentationum victoriam, in gratia tua finalem perſeverantiam, vitamq; æternam.

Tanta eſt ſublimitas meæ ſalutis, & gloriæ cæleſtis, ut hæc excedant vires meas, ad illa obtinenda: nihilo minùs non deſpero, de eorum adeptione, per tuam Divinam gratiam, & auxilia.

Quamvis ſæpiùs in hæc vitia N. N. turpiter labar: tamen non deſpero, quin poſt tot fragilitatis meæ lapſus, ex his conſurgam, tuâ adjutus gratiâ, quæ extirpare conabor.

Fateor, Domine DEUS meus, me frequentiſſimè deficere in his, videlicet: in obedientia, modeſtia, ſilentio, humilitate, patientia & ab his paſſionibus N.N.me ſuccubuiſſe: attamen nolo deſperare, de tuis Divinis auxiliis, ad ſuperandas meas paſſiones, & in illis defectibus emendatione.

Ecce Domine mi, poſt tot annorum in Religione decurſum, nullum profectum video in virtutibus Sanctis me feciſſe: immò, neq; me adhuc incepiſſe agnoſco: nihilominùs abſit à me, ut ſpem amittam, me aliquãdo incepturum ſervire tuæ Divinæ Majeſtati, ſecundùm vocationem meam; & progreſſum facturum in exercitio virtutum, & in via perfectionis: cùm tu Domine DEUS meus, dexteram tui auxilii mihi porrexeris, quod ſupplex oro.

Actus

Actus pro mortificanda passione Timoris.

EA est fragilitas nostra, dulcissime JESU, ut ea mala ardua futura formidemus quæ non sunt timenda; quia non sunt vera mala: proinde & ego omnem talem formidinem, ob amorem tuum, procul à me repellere curabo.

Si ob imminentem aliquem laborem, correptionem, humiliationem, afflictionem, vel pænam, occupaverit timor animam meam, semper ejusmodi timorem procul arcere conabor.

Absit à me, Domine clementissime, ut, propter aliquem vanum timorem, vel aliquid illicitum, & tibi displicens committam: vel aliquod bonum, & quod tu vis à me fieri, tibiq; placet, omittam.

Sicut nolo amare, & desiderare terrena; ita nolo eorum jacturam timere.

Profectò, Domine mi, nolo unquam ibi trepidare, ubi non erit timor, seu ubi non convenit hominem timere ratione munitum, & maximè Christianum; & multò magis Religiosum: cujus proprium munus est sequi te Christum Dominum usq; ad mortem crucis crudelissimam, & ignominiosissimam.

O Bone JESU, qui dixisti: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam: itaquè neminem alium, nisi te supremum Dominum universorum semper timere volo, quem etiam omnes Sancti timent.

Equidem

Equidem hæc meritò, tanquam verè mala timere debeo, videlicet: offensam tuam, privatione gratiæ tuæ, & gloriæ, atq; æternā damnationem.

Si quando appetitus meus, timore vehementi corripiatur, propter instans aliquod grande malum; tunc ego arcendo hunc metum, dicam; Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, quàm, sæculo abdicato, suscepi: à quo trepidabo?

Profectò, non modò ulla pericula, & difficultates DEI gratiâ subeundas, volo formidare: sed etiamsi consistant adversum me castra, non timebit cor meum.

Actus pro mortificando vitio Gulæ.

O Svavissime JESU, qui pro nobis in cruce, aceto cum felle mixto potatus fuisti, solvendo pænas, quas promeruimus per vitium gulæ: gratias tibi ago infinitas, pro hac tua infinita bonitate: & simul nefandum hoc vitium gulæ, ob amorem tuum, execror, abominor, detestor.

Scio Domine, quia gulæ vitium, nihil aliud est, nisi inordinatus appetitus cibi, & potûs, per quem inordinatum appetitum, fateor, me sæpè te offendisse; de quo nunc doleo, propter te DEUM meum summè dilectum.

O quàm frequenter peccavi, sumendo cibum & potum, Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè! Hoc est: debitum tempus præveniendo: delicata,

licata, & pretiosa esculenta quærendo, vel saltem desiderando: quantitatem cibi, & potus, juxta necessitatem naturalem, non servando: nimis avidè, immodestè, & festinanter eos sumendo: nimis accuratè & curiosè præparari procurando: de quo nunc erubesco, & confundor, & ex corde, propter te infinitè amabilem doleo.

O utinam in desideriis carnis, curam non fecissem unquam! & in corporis refectione, utinam nunquam quæsivissem voluptatem, & delectationem, sed solùm necessitatem!

Execror, abominor, detestor, & alia vitia, ex immoderato cibo, & potu provenientia, videlicet: Ineptam lætitiam, Multiloquium, Scurrilitatem Immunditiem, Somnolentiam, atq; ad bona spiritualia Torporem, per quæ omnia, quoties tuam Divinam Majestatem læsi, ex intimo doleo, veniamq; humiliter peto.

Actus Abstinentiæ virtutis contrariæ vitio Gulæ.

O Svavissime JESU, qui pro nobis amarum fel cum aceto gustasti, ut inordinatum appetitum nostrum cibi & potus damnares, & ad virtutem abstinentiæ nos invitares: ecce jam, ex amore tui, mihi multùm in hac virtute complaceo, quam servare semper, in sumptione cibi, & potûs, firmissimè propono.

Temperantissime JESU Christe, decerno escâ & potu, eo tantùm uti, ut natura ad serviendum tibi consistat. Absit

Absit à me Domine, ut lauta, vel ullo modo palato svavia quæram.

Vellem, dulcissime DEUS, ut omnia, quæ sumpturus sum, absinthium saperent, propter te.

Propono amantissime Domine, cor à mensa subtrahere, & lectioni sacræ admovere.

Propono, Domine, corpus fame, ac siti, vexare, propter te.

Utinam, benignissime JESU Christe, felle quod gustasti, omnia mea prandia condiantur!

Nunquam, Domine JESU, cibum, & potum, ad conservationem vitæ præsentis necessarium, & ad cofortandum me in tuo servitio utilem sumam, nisi te id velle judicavero.

Quoties cibum, & potum aliquem sumpsero, toties id facere volo, propter te: hoc est, quia vis, & gratum habes, ut sic faciam.

Et secundùm te: id est, secundùm mensuram, & modum, tam in quantitate, quàm in qualitate tibi placita.

Et cum humilitate, me indignum hoc commodo existimans.

Et cum gratiarum actione, pro eo quòd hæc mihi, ingrato homini, & infideli servo tuo tribuere dignatus es.

PRO DIE SABBATI.

Hac die pro DEI Præsentia est B. Virgo MARIA, depositum de Cruce Christi Domini nostri Corpus Sacratissimum tenens.

Hinc

Hinc haberi poteſt motivum ad Contritionem: ad mortificationem ſenſuum, & Paſſionum, præſertim Iræ: ad extirpandum vitium Iræ: & Manſvetudinis virtutem exercendam.

Actus Contritionis.

O Dulciſſima Virgo Dei-genitrix MARIA, quæ in morte dilecti Filii tui, & ob amaram paſſionem ejus, maximos dolores, anguſtias, & tribulationes pertuliſti, quorum dolorum, & anguſtiarum tuarū, ego cauſa fui: quia & morti crudeliſſimæ Unigeniti Filii tui, cauſa fui.

Sed & nunc regnans in cælis, ſi, per impoſſibile, aliquem doloris ſenſum percipere poſſes, majorem vim dolorum, & afflictionum ſentires, propter tantam ingratitudinem meam erga Filium tuum, & propter tam multa, & graviſſima peccata, quibus totâ vitâ meâ eum offendi, & adhuc offendo, de quibus nunc multûm doleo, ob amorem Filii tui, veri DEI.

Et ut magis ac magis doleam, ſitq; meus dolor intenſior quovis dolore, rogo te, per tuos dolores, ora pro me: & tu tanquam Mater clementiæ, ex parte tua ignoſce.

Ecce proſtratus ad pedes tuos, ut loquar ad te cum tuo ſervo Anſelmo: Ecce, inquam, proſtratus ad pedes tuos, o Sanctiſſima Virgo MARIA, jacet rebellis filius, qui tamen confidit in clementia tua materna.

Onuſtus vinculis, & compedibus iniquitatum

mearum,

mearum, flecto genua, coram immensa tua pietate.

Peccata mea detego coram te, ut remedium afferas, & abscondo propter fæditatem, ne offendam mundissimos oculos tuos. Nec curantur sine confessione, nec deteguntur sine pudore, & confusione. Si tegantur, incurata manent: si detegantur, detestabilia sunt. Exurunt me dolore, & terrent pavore. Sana me, ô Domina, ne feces corruptorum meorum scelerum causent nauseam, aut in te, aut in Filio tuo.

Mater Sanctæ spei! venit Filius tuus salvare, quod perierat: & tu Domina obliviscere peccatoris se humiliantis, & ad te maximo cum doloris sensu clamantis?

Quæsivit tuus JESUS errantem oviculam, quæ pænitentiam abjecerat: & tu poteris despicere eũ, qui cum amaritudine cordis deflet sua errata?

O Fili! ô Mater! si ambo injuriâ affecti estis; attamen adhuc in pectore vestro superest aliquid clementiæ, pro eo, qui confunditur propter scelera sua præterita.

Ambo offensi estis; ambo estis abyssus misericordiæ, & dulcedinis: hic reus, & vinctus pro tribunali Divinæ justitiæ, confugit ad sacrarium clementiæ Matris DEI, ad Filium cordis ejus.

Misericordissime JESU, parce servo Matris tuæ, misericordissima Mater MARIA, parce mancipio Filii tui. Projicio me in medio duarum tantarum misericordiarum, ut non incidam in duas justitias rigidissimas.

O Bone

O Bone Fili! ô bona Mater! non ſit irrita hæc confeſſio mea: non me confundat ſpes in vobis repoſita.

Nuncia mihi, ô Mundi Judex, cui condonabis? dic Orbis Reparator, quis conciliabit, ſi tu damnas? Et tu Domina, nunquid abijcies hunc vermiculum, decantantem tuam magnitudinem ex amore tui, & deteſtantem cum dolore peccata ſua? Spero, ô Mater miſericordiæ, quòd non abijcies: ſed miſericordiam DEI, & veniam peccatorum mihi impetrabis.

Actus pro mortificandis ſenſibus exemplo Beatiſſimæ Virginis MARIÆ.

O Dulciſſima Virgo MARIA, quæ in paſſione dulciſſimi Filii tui, omnes ſenſus tuos afflictos habuiſti, & imprimis oculos tuos benedictos: dum Filium tuum dilectiſſimum ligatum, flagellatum, ſpinis coronatum, cruce onuſtũ, & cruci ignominioſæ affixum vidiſti.

Deinde aures tuas: dum crudeles illas voces: Tolle, Tolle, crucifige eum: & multas blaſphemias, improperia, deriſiones audiſti.

Præterea guſtum tuum: dum Filium tuum aceto cum felle mixto potatum conſpexiſti.

Odoratum tuum: dum in loco fætenti montis Calvariæ, Filio tuo in Cruce pendenti aſtitiſti.

Inſuper tactus tui ſenſum: dum Filii tui acerbiſſimos dolores, cruciatus, & cuncta tormenta, in te ſenſiſti.

Quæ omnia patientissimè pertulisti: Quia tu omnes sensus tuos DEO consecrâsti, per quos in omnibus placere ei, illisquè ad honorem DEI solummodò uti semper voluisti.

Ego quoq; firmiter statuo, ob DEI, tuumquè honorem, quocunq; potero modo, sensus meos affligere, illisq; omnia oblectamenta subtrahere, & ad placitum DEI mei tantummodò eis uti.

Fateor, modestissima Virgo, quòd oculi tui fuerunt, sicut oculi columbarum: hoc est, pudicissimi, mundissimi, pleneq; custoditi, & nunquam inordinatè aperti: nunquam in aliquem indecenter directi, aut fixi: nunquam ad vanitatem conversi: itaq; & ego, amore, & exemplo tuo, super oculos meos invigilare, diligenter eos custodire, & nunquam inordinatè aperire volo.

O Purissima Virgo, cujus aures ad eloquia Domini, eloquia casta, ad verba Divina, salutaria & utilia patebant; non verò otiosa, mundana, noxia & vana: quòd, ut similiter à me fiat, ob honorem tuum curabo.

O quàm nimiùm mortificatum sensum gustûs habebas, Virgo Sacratissima! quæ modo simplicissimo cibos conditos, & parcissimê, & tempore debito semper sumebas: & sæpè cibum per congeminatos jejunio dies tibi subtrahebas: cujus cibus plerumq; obvius erat, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Sic & ego, ob amorem tuũ, mortificare sensum mei gustûs, modis debitis & licitis propono: & libentiùs simpliciores, & communes,

munes, & viliores, quàm exquiſitos cibos, & extraordinarios, in debita quantitate, & horis deſignatis, ſumere decerno.

Scio, ô Domina mea, etiam odoratum tuum te rectè gubernâſſe, ut nunquam aliquos odores ad tuum uſum adhiberes: quinimò graveolentiam ſtabuli, hilari vultu, & mente ſuſtineres: abſit à me, ô dulciſſima Virgo, ut ego quoquè, ob honorem tuum, odoratûs mei aliqua oblectamenta, per res boni & grati odoris, quæram, vel graviter olentes, ex immortificatione mea fugiam.

O Piiſſima Virgo, tu nunquam ſenſui tactûs tui blandiri voluiſti, quem variis incommodis duriſſimè tractaſti: ô utinam & ego, amoris, & honoris tui causâ, ita faciam, ſicut vehementer deſidero: & quàm maximâ, potero, curâ, ſenſum hunc immaculatum, ſemper ſervare, in animo conſtituo.

O Svaviſſima Virgo, ſicut tu ſenſus externos rectè compoſitos habuiſti, ita & internos: & ideò nullam tibi imaginativa perturbationem, vanas rerum creatarum imagines repræſentando, afferebat. Æſtimativa tua, nunquam in judicio ſuo, circa vera bona, & falſa, errabat: Memoria quoq; illa ſolùm in mentem tibi revocabat, quæ tibi ad cogitationes, contemplationes, & affectiones tuas ſemper decentiſſimas, mundiſſimas, & ordinatiſſimas, neceſſaria fuerant.

O ſi & mihi, Sanctiſſima Virgo, ejuſmodi ſenſuum meorum internorum, adeò Sanctam & rectam compoſitionem impetrare velis. Nam ego to-

tum in me contrarium sentio, & inde magnam inquietudinem in anima experior.

Actus pro mortificandis passionibus per intercessionem Beatæ Virginis MARIÆ.

O Mæstissima Virgo MARIA, quæ ob mortem crudelissimam, & passionem acerbissimam, prædilecti Filii tui, gravissimis doloribus, angustiis, mærore, & tristitiâ affecta fuisti: quæ omnia, fuerunt in te ordinatissima, & secundùm regulam rectæ rationis, & nullo vituperio digna: utpote, quæ fuisti omnium passionum, & affectuum tuorum Domina prudentissima. Rogo te, per hanc sublimem DEI gratiam, per quam hoc dominium perfectum passionum tuarum obtinuisti, intercedere pro me digneris; ut etiam ego, sim Dominus affectuum, & passionum mearum: ne rationem meam, in suam servitutem pertrahant, sibiq; subijciant: ne me ad aliquid illicitum, & peccatum inducant: ne me in bonis actibus inchoandis impediant, vel continuandis perturbent.

O Benignissima Virgo MARIA, quia passiones feruntur ad illa, quæ ipsis per sensus externos, & internos repræsentantur: ideò te supplex obsecro; fac, ut tui amore, & imitatione, tuoq; merito, ab omnibus illis, quæ neq; propter DEUM, neq; secundum DEUM, sensibus meis occurrerint, sensus meos interiores & exteriores, affectus & passiones contineam, & abstraham: omniaq; naturæ, & sensualitatis solatia non necessaria, abijciam & fugiam. O Puris-

O Puriſſima Domina mea, quam Dominus DEUS, ab omni peccato, & inordinatis paſſionibus præſervavit; purifica, quæſo, & præſerva me, tua efficaci interceſſione, ab omnibus paſſionibus, & affectibus inordinatis: & fac, ut illa ſola, quæ placita DEO, & tibi cognovero, amem, deſiderem, & ſperem, & magnanimiter proſequar, & quæram: jam verò illa, quæ intellexero DEO meo, & tibi diſplicere, odio habeam, & fugiam: & ſi evenerint, ob hoc ex corde doleam.

Actus pro mortificanda paſſione Iræ.

O Mitiſſima Virgo MARIA, quæ ob necem dulciſſimi Filii tui gravi injuriâ affecta, nullum appetitum vindictæ, ſeu paſſionem iræ in te ſenſiſti: ideò & ego, ob amorem DEI, tuumquè, propter injuriam ab aliquo mihi illatam, ab omni vindicta abſtinere conabor.

O Manſvetiſſima Virgo, ſentio quidem me pronum eſſe ad iram, & facilè levi de cauſa excandeſcere: ſed firmiſſimè propono, propter DEI, tumq; honorem, invigilare ſuper hanc paſſionem pernicioſam animæ meæ, eamq; refrenare.

Quandoquidem alia eſt ira, quæ citò accenditur: alia, quæ diu manet in memoria: alia difficilis ad placandum, quæ nunquam quieſcit, donec puniat, ſumatq; vindictam: proteſtor, quòd, ſi aliquando irâ accenſus ex fragilitate fuero, hanc illicò ſcintillam extingvere; nec iram diu fovere; nec ad vindictam progredi volo.

Talis eſt cæcitas humana! ut, licet nihil ex nobis ſimus, poſſimus, ſciamus, & habeamus; nihilominùs ex omnibns bonis noſtris excellentiam quæramus: & ideò propter minimam parvipenſionem apparentem, vel veram, facilè indignamur. Verùm ego, ſicut omnem excellentiam fugere deſidero: ita nunquam, ob contemptum, & parvam æſtimationem mei iraſci.

Nemini alteri, ſed mihi ipſi indignari ſtatuo, propter peccata mea, quibus DEUM meum ſummè bonum, & ſummè dilectum offendi: pro quibus etiam de me vindictam ſumere decerno.

Quoties ab aliquo me, non adeò magnifieri cognovero, vel quocunq; modo læſus, & ad indignationem provocatus fuero: toties ad cohibendā iram appetitui meo perſvadere enitar: quia non decet hominem rationis compotem, quaſi belluam excandeſcere: multò magis non decet hominem Chriſtianum, ob hanc ferinam paſſionem, perdere in paradiſo manſionem, quæ manſvetis promittitur: Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram viventium. Sed præcipuè non decet Religioſum, & imitatorem Chriſti, qui tanquam agnus, coram tondente ſe obmutuit: & quaſi ovis, ad occiſionem ductus eſt: cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: & tradebat judicanti ſe injuſtè.

Actus pro extirpando vitio Iræ.

O Svaviſſima Virgo, quia ex actibus paſſionis iræ, generatur vitium Iræ: ideò ſicut nullus

actus

actus inordinatus passionis iræ in te fuit: ita nec vitium Iræ, locum in anima tua habere potuit: de quo ego gaudeo, tibiq; gratulor, & te supplex oro, ut ad extirpandum hoc vitium, animæ meæ perniciosum me adjuvare digneris.

O Dilectissima Virgo, contra cujus Filium dulcissimum adeò gravi irâ olim exarserant, & in illa eousq; permanserant Judæi, donec crudelissima & ignominiosissima morte eum affecerint. Ex quo clarè apparet, quanta sit malitia vitii iræ, quod ego, propter amorem DEI, tuumquè, abominor, & illud eradicare ex animo meo curabo.

Fateor, & culpam meam agnosco, quòd per immoderatum appetitum vindictæ sæpiûs Dominũ DEUM meum, infinitè bonum offenderim: quòd iram sinè justa causa diu foverim, & usq; ad ultionem non quieverim, de quo nunc, ob purum amorem DEI, intimè doleo.

Pænitet me modò graviter, propter DEUM summè dilectum, quòd aliquando ita excandui contra proximum, ut eum odio habuerim: aliquando in verba contumeliæ, & maledicta proruperim: nonnunquam ex indignatione ad proximum loqui, eiq; charitatis officia exhibere noluerim: & aliis variis modis, per hoc vitium iræ, Domino DEO meo displicuerim: propter quod, summo odio hoc vitium nunc habeo.

O quàm multoties excessi in modo, nimis ardenter irascendo, & inordinatè me habendo! dum ex zelo Divini honoris, & justitiæ iratus, vindi-

ctam ſumpſi de aliis: vel eos verbis aſperioribus reprehendi: cujus rei causâ, mihi modò iraſcor, & vindictam ſumere de me ipſo, ob amorem DEI conabor.

Sicut vitium iræ, ita filias ejus execror, propter te DEUM meum: videlicet; Rixam: per quam, in multis, proximis noſtris, tum verbo, tum facto nocemus.

Indignationem: per quam reputamus indignum, qui nobis hoc vel illud fecerit.

Tumorem mentis: ex quo cogitare ſolemus diverſas vindictæ vias.

Clamorem: ſeu altam, inordinatam, & confuſam locutionem, adverſus eum, qui nos offendit.

Blaſphemiam: ſeu injurioſa, contra DEUM, & Sanctos ejus verba.

Contumeliam, culpam exprimentem; vel Convitium: aut Improperium, exprobrans aliquem proximi defectum.

Actus Manſvetudinis virtutis contrariæ vitio Iræ.

O Manſvetiſſima Virgo MARIA, quæ, ſicut dilectiſſimus Filius tuus, non ſolùm vindictam de inimicis ſuis ſumere voluit: ſed etiam pro illis, in Cruce, Patrem ſuum æternum, ut illis ignoſceret, oravit: ita & tu, pro inimicis tuis in corde oraſti: nec de ulla vindicta cogitaſti: quorum exemplum ſecutus, hanc virtutem manſvetudinis ſummo ſtudio colere, firmiter propono.

Quan-

Quantùm potero, omnes injurias meas, æquo animo tolerare, & oblivioni tradere curabo: ne ex recordatione illarum, iræ ſcintilla facilè in animo meo accendatur.

Nolo conſiderare, nec ponderare, quàm injuſtè, aut malignè me aliquis afflixerit: ſed agnoſcens, me graviora, pro peccatis meis, meruiſſe, credam illum, tanquam Divinæ juſtitiæ miniſtrum, ad purgationem peccatorum meorum: mihi à DEO miſſum, & ordinatum eſſe.

Nolo de injuria mihi ab aliquo illata, coram aliis unquam conqueri: nec eum accuſare: nec de ejus malitia loqui.

Certiſſimè ſtatuo, quotieſcunq; læſus fuero, me, quaſi agnum, coram tondente futurum.


Si pungar aliquando, & importunè tenter, Divinâ adjutus gratiâ, læſoribus arridebo.

Etiamſi expolier, ac cædar ab inferiore quovis, amoris ſigna ei exhibebo.

Abſit à me, ut ob ullum damnum, contra amabiliſſimos proximos meos excandeſcam.

Si quis me tentaverit; lætabor ſuper exercitia illa, ſicut qui invenit ſpolia multa.

Si quando vexatus à proximo fuero; oblivifcar mei, & compatiar illi, ob amorem manſvetiſſimi Domini noſtri JESU Chriſti, tuumq; honorem, dulciſſima Virgo MARIA.



EXER-

EXERCITIA PROFICIENTIUM SEU, VIÆ ILLUMINATIVÆ.

Hæc via requirit illuminationem, seu ornatum Animæ.

QUod fit per acquisitas virtutes, quarum perfectissimum exemplar habemus in Christo, in quibus eum continuò imitari debemus: & ideò hæc Viæ Illuminativæ exercitia, nihil aliud sunt, nisi Christi Domini nostri virtutum imitatio. Ut autem omnis hac in re evitetur confusio; per singulas Ferias, omnium virtutum potest fieri distributio, ad Præsentiam DEI accommodata. Designantur autem hic eædem virtutes exercendæ, quæ jam sunt in via Purgativa positæ: quia omnes virtutes exerceri debent in qualibet via, sed diverso fine & effectu. Nam in via Purgativa exercentur, ut per eas vitia eradicentur, & passiones cohibeantur: in via Illuminativa, ut anima illuminetur & exornetur: in via unitiva, ut DEO uniatur.

PRO DIE DOMINICO.

Hac die potest fieri exercitium.

IMitationis Christi Domini nostri: Abnegationis: contemptus mundi: & Diligentiæ.

Actus Imitationis Christi Domini nostri.

O Amantissime JESU, qui pro nobis homo fieri, & in stabulo nasci dignatus es, ut homines more pecudum viventes, benè & sanctè vivere, exemplo tuæ Sanctissimæ vitæ doceres: quod exemplum ego semper præ oculis habere, illudq; imitari percupio, & volo.

O Magister bone! qui viam DEI, quà ad DEUM pervenire possemus, & sermone, & opere nos docuisti: hanc viam ego semper inquirere, & tenere decerno.

O Salvator hominum Christe JESU! cujus cognitio initium nostræ salutis est; cujus imitatio, tota perfectio est. Tu enim dixisti: Si vis perfectus esse, sequere me: hoc est, imitare me: quia beneficio tuo factus Religiosus, perfectus esse volo, ideò te Dominum meum semper sequi, tequè pro mea tenuitate imitari statuo.

O Bone JESU, ô sanctitatis exemplar! cum tota ratio vitæ spiritualis, & sanctæ conversationis nostræ sit te aspicere, & mores nostros ad tui similitudinem efformare: proinde ego te, tanquam exemplum, mihi ad sanctè vivendum datum, semper aspiciam, & ad imaginem tuam, meas omnes actiones instituam.

Dabo operam, ut cogitationes tuæ sanctissimæ sint regula cogitationum mearum; ut ea tantummodò cogitem, quæ tibi placent.

Assumam verba tua, verba vitæ, verba casta & pura, in exemplum verborum meorum; ut ea loquar, quæ tu vis, & servū tuū decent. Cona-

Conabor opera mea, ad ſimilitudinem tuorum ſanctiſſimorum operum præſtare: atq; ſic omnia agere, vitamq; meam ita inſtituere, ut à tua puriſſima vita non diſſentiat; ſed ei, pro mea poſſibilitate, ſimilis exiſtat.

Omnes facultates animæ meæ, appetitus, & ſenſus omnes, ad exemplum tuum, dulciſſime JESU, componere deſidero, & propono: ita, ut nihil aliud intendere, amare, recordari, velle, videre, & audire ſtudeam, quam quæ tuis actibus ejuſmodi ſint conformia.

O Domine JESU, Domine virtutum! curram in odorem ungventorum tuorum: hoc eſt, virtutum tuarum, & in illis à te ediſcendis, me tuum diſcipulum fidelem, & in exercendis, verum imitatorem exhibere contendam.

O Dilectiſſime JESU, tu paſſus es pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut ſequamur veſtigia tua: in quo etiam te, Dominum meum ſequi, & pro te, cuncta adverſa, & dura ſuſtinere ſtatuo.

Non ſolùm amore tui, & imitatione, bona opera facere; ſed etiam in illis debitum modum, fervorem, ſedulitatem, & attentionem ſervare, & quantùm potero, pro viribus meis infirmis, ab omnibus imperfectionibus cavere firmiſſimè propono.

Sed quia nihil ſinè te poſſum: te ſupplex oro, ſvaviſſime JESU, conforma me Sanctiſſimæ Humanitati tuæ: & da mihi liberam ad te introverſionem.

Vias

Vias tuas demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.

Deduc me, Domine, in juſtitia tua: propter inimicos meos, dirige, in conſpectu tuo vitam meam.

Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea.

Actus Abnegationis.

O Amabiliſſime JESU, qui veniens in hunc mundum, & tempus, & locum nativitatis tuæ, & manſionem incommodiſſimam elegiſti: & ſtatim ab initio vitæ tuæ, crucem mortificationis, ſeu abnegationis portare cæpiſti: quâm crucē, & ego, exemplo tuo, jugiter portare volo.

Abſit mihi gloriari, dulciſſime JESU, niſi in hac cruce tua abnegationis, & mortificationis: aut aliquid aliud deſiderare, vel quærere, vel de alia re gaudere, in hac vita, niſi de hac cruce tua.

Domine JESU Chriſte, tibi compati, tibi commori per mortificationem volo, ut tecum vivam in æternum.

Svaviſſime JESU, cujus tota vita crux fuit. Et qui dixiſti: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: deſidero, amore tui, abnegare meipſum; & ſemper totâ vitâ crucem mortificationis portare; & ſic te ſequi, per imitationem tuæ ſacratiſſimæ vitæ.

O Clementiſſime Domine, deſidero ſemper, & ubiquè,

ubiquè, tibi exhibere myrrham odoriferam mortificationis, & abnegationis.

Opto dulcissime JESU, tibi meipsum hostiam, in holocaustum placationis, & laudis offerre, gladio mortificationis mactandam.

O utinam omnia mihi amarescant, amantissime JESU! ut tu solus, dulcis animæ meæ appareas, qui es dulcedo ineffabilis, per quam cuncta amara dulcorantur.

Fateor, Domine DEUS meus, quòd nemo potest hic, & in futuro gaudere: & ideò renuit consolari in hac vita anima mea; ut digna habeatur tuis consolationibus æternis.

Quamvis, Domine DEUS meus, mortificatio mundanis hominibus stultitia reputetur: quia ipsis stultum esse videtur, si homo præsentia delectabilia despiciat; in nullo suas voluntates expleat; & propriis desideriis, ac sensibus contradicat: nihilo minùs ob amorem tuum, stultus potiùs fieri volo, quàm sapiens hujus mundi.

Volo semper corpus meum castigare, macerare, & constringere; sensus meos, & affectus cohibere; meæ voluntati jucunda denegare; idq; sola intentione placendi tibi.

Actus Contemptus mundi.

O Rex totius mundi potentissime! qui non in palatio aliquo ornatissimo, sed sordido stabulo nasci: non in lecto eburneo, sed in ligneo præsepio reponi: non cum mundanis hominibus,

nibus, ſed cum jumentis viliſſimis habitare dignatus es; ut nos hoc modo, mundum, & omnia, quæ ſunt mundi, contemnere doceres. Proinde ego, exemplo tuo, & imitatione tui, omnibus vanitatibus mundi, & cunctis pompis ſæculi, ob amorem tui, abrenuncio.

Quidquid homines ſæculares æſtimant, & amãt, totum illud, ut nihil, præter te, amem, ego nihil æſtimo.

Quidquid eſt auri, argenti, lapidum pretioſorũ, atq; gemmarum in mundo, ſi mihi offerretur, quaſi lutum, hoc totum, ex amore tui deſpicerem.

Bone JESU, ſi mihi nunc omnes divitiæ, honores, & voluptates mundi affluerent, propter te, nollem illis cor apponere.

Cuncta viſibilia mundi, & omnia, quibus homines mundani, ſenſus ſuos oblectare ſolent, ob amorem tuum, Domine, averſor: omnia detrimentum facio, & arbitror, ut ſtercora.

Omnium rerum temporalium, præ tui amoris magnitudine, oblivisci: & omnem gloriam, omnẽquè conſolationem mundanam aſpernari volo.

Dulciſſime JESU, deſidero, propter te, mori penitùs huic mundo, & nihil temporale diligere, præter te.

Scio, Domine mi, quia amicitia hujus mundi eſt tibi inimica: & quicunq; voluerit amicus eſſe hujus ſæculi, tuus conſtituitur inimicus. Ideò valedico amicitiæ hujus mundi, ut tecum ſtrictiſſimam amicitiam contraham.

Firmiſ-

Firmiſſimè conſtituo, ſenſuum meorum januas rebus mundanis occludere; ne me ad amorem ſuum pertrahant.

Profiteor, quòd nihil eſt in mundo, niſi vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Fateor, quia tu es ſola veritas, ſola bonitas, quam diligo ſuper omnia, pro qua deſero omnia.

Actus Diligentiæ.

Hi habentur in exercitiis viæ Purgativæ: pro Dominica.

PRO FERIA SECUNDA.

Hâc die poteſt fieri Exercitium.

HUmilitatis: Contemptus ſui: Puritatis: & Prudentiæ.

Actus Humilitatis.

O Humillime JESU, qui pedes Diſcipulorum tuorum lavando, exemplum humilitatis nobis dediſti:: quod exemplum, amore tui, imitari, & in humilitatis exercitio omnem operam collocare decerno.

Reliqui actus habentur, in exercitiis Viæ Purgativæ: pro Feria ſecunda.

Actus Contemptus ſui.

O Creator altiſſime, qui tam vile, & contemptibile miniſterium tuis creaturis feciſti, dum Diſcipulorum tuorum propriis manibus

nibus pedes lavisti, quo in opere, contemptum nostri nobis commendasti, quem contemptum mei, exnunc, amore tui, amplecti volo.

Verè, Domine mi, cognosco, & profiteor, justis de causis debere me ipsum despicere: cum nihil in me boni advertam, præter innumera peccata mea gravissima. Quod si nihil tam fædum, & abominabile est, sicut peccatum: igitur propter fæditatem peccatorum meorum, meipsum abominor, & contemno; & ab aliis contemni desidero.

Meritò constituo me in infimo loco, infra omnem creaturam: quia homo peccator sum, & omnium indignissimus.

O Domine DEUS meus, non alium me reputo in conspectu tuo, nisi quendam canem mortuum, & cadaver fætidum, quod omnes fugere, omnes conspectum ejus horrere debent.

Domine DEUS meus, ex corde me despicere desidero: & omnia, quæcunq; ex me habeo, nihili facio, & contemno.

Absit à me Domine, ut dona tua mihi audeam arrogare: sed omnia bona, si quæ sint in me aliena esse; jam verò mala, propria reputabo.

Profiteor, me tuis donis, & præteritis, & futuris indignissimum esse.

O Domine, pone me scabellum totius mundi: omnes videntes me derideant, moveant capita sua super me.

Domine JESU, nullo modo honorem requiro: sed peto à te instantissimè, ut sim semper contem-

ptus, inhonoratus, humiliatus, & abjectus, tanquam vilissimus omnium, & pessimus.

Omnes longè sunt meliores, quàm ego, qui nihil facio omninò cum his, qui serviunt tibi DEO vero.

Domine, pati & contemni volo pro te: contemni, Domine, contemni: nullus sit, qui me non contemnat.

Domine, proijciant me, abijciant me à facie sua omnes. Ego sum ille, qui cum Lucifero locum in inferno promerui infimum ad delitescendū.

Obsecro Domine, nulla ratione permitte, ut me alii honorent, & de me aliquam opinionem bonitatis habeant: sed ut me cognoscant pessimam creaturam, & ita tractent, ut semper in contemptu, exemplo tui, vivam.

Dulcissime JESU, in mea dejectione, & confusione, & conculcatione à quocunquè mihi illata, lætabor, propter te: & exultabo, cum apparuerit ignominia mea.

Actus puritatis cordis.

O Mundissime JESU, qui tametsi mundi Apostoli tui essent præter Judam, ut ipsemet dixisti: Et vos mundi estis, sed non omnes: tamen pedes eorum lavare voluisti, ut eis munditiem, & puritatem perfectissimam conferres: qualem munditiem, ac puritatem & ego habere desidero, & humiliter à te postulo.

O Purissime JESU, quantum tuâ Divinâ gratiâ adjutus

adjutus potero, omnia peccata tam gravia, quàm levia, ex amore tui, puritatem cordis conservando, vitabo.

Volo, ò Sanctitatis Auctor! ad solum nomen cujusvis peccati contremiscere, & ab eo, quasi à facie colubri fugere.

Malo, dulcissime JESU, mori, quâm aliquo peccato fœdari, ut tibi placeam.

Utinam, Domine JESU, priùs hoc corpus meum vitâ destituatur, quàm anima letali culpâ maculetur, & in conspectu tuo fæda, & abominabilis appareat!

Amantissime JESU, firmissimè statuo, ab omnibus rebus illicitis cor meum abstrahere, ut fiat purum habitaculum tuum.

Vellem, svavissime JESU, omnes culpas, etiam levissimas, ob amorem tuum, vitare: quia tamen omnes simul non possum: itaq; sigillatim decerno nullam culpam levem, consultò, & sciens, ac volens admittere.

O Piissime JESU, omnes cogitationes meas à malis, & pravis apprehensionibus emundare, & ab aliis abstrahere; ne cor meum, in quo tu vis inhabitare, maculetur, semper solicitus ero.

Fugiam omnes occasiones, quascunq; cognovero fuisse mihi, vel posse esse causa aliquorum, quantumvis minimorum delictorum, per quæ amitterem cordis mei puritatem.

Benignissime JESU, omnem amorem rerum visibilium, propter te, depono; & ne cor meum illis adhæreat, curabo. F2 Cle-

Clementissime JESU, affectu nimium erga me ipsum, & erga hanc vitam, & salutem temporalem, ex amore tui, abjicere volo.

Conabor omnem mentis attentionem, in omnibus operibus meis adhibere, ut omnes defectus in illis effugiam.

Mundissime J E S U, tibi soli vero DEO meo, & cælestibus, tota mente in hærere cupio, & decerno.

Dabo operam, carissime JESU, in universis actibus meis, puram intentionē habere: videlicet, in omnibus tibi soli placere: tuam voluntatem facere; & omnia ad tuam gloriam, honoremq; tuum infinitum dirigere.

Actus Prudentiæ.

SApientissime JESU, quia in superbia, est stultitia, & in humilitate, est sapientia, & prudentia: ideò tu, ô Sapientia æterna! volendo tuos discipulos esse prudentes, voluisti eos esse humiles, dicens: Estote prudentes, sicut serpentes: qui quò altiùs prosilire volunt, tanto magis se terræ applicant, seu humiliant. Proinde & ego, ejusmodi prudentiam in humilitate fundatam quærere semper, & amplecti volo, ut tibi Domino DEO meo placeam.

Fateor, Dulcissime JESU; quòd prudentûm est, finem rectum actionum suarum præfigere, & omnia ad tui solius gloriam, & honorem, & beneplacitum tuum, dirigere, quod soli humiles faciūt,

non

non verò ſuperbi: propterea more humilium, in omnibus operibus meis idem facere propono.

Quandoquidem Prudentiæ virtus requirit, ut in omnibus medium teneamus: ne propter exceſſum, vel defectum, actus noſtri ſint vitioſi: quod verè humiles ſervant, de quorum numero, & ego eſſe deſidero; ne aliter in actionibus meis me gerendo, te Dominum DEUM meum offendam.

Scio, amantiſſime JESU, ſuperbos, & ſtultos, eſſe præcipites in agendo, nec ab aliis conſilia recta inquirere, & petere, nec aliorum conſiliis acquieſcere velle: & ideò facilè ipſos errare: quæ vitia, humilium prudentia ſemper fugit; prout & ego omnia vitare eadem, amore tui, volo.

Verè ſtulti ſunt ſuperbi, qui nimis confidunt ſibi, non autem omnem fiduciam in te ſolo ponunt: proinde, nimis audacter omnia operando, nec auxilium tuum divinum, per humilem, & ferventem orationem, implorando, multis periculis animas ſuas exponunt. At prudentes verè humiles, ſuis viribus diffidentes, nullum opus, niſi invocato tuo Divino auxilio aggrediuntur: quâ in re, eodem modo me ſemper gerere ſtatuo.

Quia poſt inventa media, per rectum conſilium, pertinet ad prudentiam judicare, quæ nam ſint media meliora, & opportuniora, ad finem aliquem bonum propoſitum conſequendum: ideò ne in hoc judicio me errare, & aliquod medium, quod tibi Domino DEO meo diſplicet, eligere me contingat, tuæ infinitæ bonitati ſupplico, ut me illumi-

nare semper, & in omnibus, juxta tuum beneplacitum, dirigere digneris.

Quidquid, Domine DEUS meus, mihi inspiraveris faciendum: quidquid boni consuluerint mihi alii: quidquid & ego cognovero, & judicavero, & proposuero, quod rectum erit, & tibi placens, sinè mora, illud exequi conabor.

Dabo operam, benignissime JESU, omnem semper adhibere circumspectionem, ut mala animæ meæ caveam; & nihil per incuriam tibi minùs gratum, minusvè acceptum efficiam.

Utar, Domine JESU, vigilanti discretione, ut per eam vera à falsis, & bona à malis discernam, ac in operibus meis, & desideriis, modum, & mensuram virtutis teneam, ut tibi in omnibus placeam.

Fugiam, amore tui, benignissime JESU, illam pravam prudentiam, quæ tibi est inimica, & legi tuæ non est subjecta: quæ dicitur prudentia carnis, proprii commodi custos, congregandis opibus, auro, & argento dedita, deliciis, & voluptatibus intenta.

Odio habeo, & mundi prudentiam, quæ docet cor machinationibus tegere, multa per ostensionē fingere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt, falsa demonstrare, honorum culmina quærere, irrogata ab aliis mala multipliciùs reddere, nullis resistentibus cedere.

Placet mihi prudentia justorum, quæ præcipit nihil per ostensionem fingere, sensum verbis aperi-

re,

se, vera, ut sunt, diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare, quàm facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro maledicentibus orare, contemptum amare, paupertatē quærere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti alteram maxillam præbere: quam doctrinam sequi, tenere, & adimplere, ob honorem & amorem tuum, svavissime JESU, omnino, totâ vitâ meâ, curabo.

Absit à me, Domine mi altissime, fatuitas illa animabus nostris perniciosa fatuarum virginum, quæ acceptis lampadibus non sumpserunt secum oleum bonorum operum.

Fac me, Domine DEUS meus, prudentiam habere virginum prudentum, quæ non sunt contentæ nudo suæ vocationis ad fidem, & Religionem titulo, sed bonis actibus, & operibus ipsis, & proprii instituti exercitiis, satisfaçere suæ vocationi desudant: quod & ego facere firmissimè propono.

PRO FERIA TERTIA.

Hac die possunt exerceri actus.

Justitiæ, Observantiæ regularis, Obedientiæ, & Timoris DEI.

Actus Justitiæ.

JUstissime JESU, qui ut Divinæ justitiæ pro homine satisfaceres, ad mortem crucis acerbissimam, & ignominiosissimam, in horto montis Oliveti te spōtè obtulisti: pro quo sis infinities be-

nedictus: cujus exemplo, & imitatione, virtutem justitiæ diligenter colere volo.

Dulcissime JESU, quia tu justus es, & justitiam diligis, & quia hoc à me requiris, ut servem erga omnes justitiam; ideò, ob amorem tuum, singulis quibusq; quod suum est, tribuere gestio.

Et imprimis tibi DEO meo, ut primo omnium Principio, & supremo Domino, ob infinitam tuam in omni genere perfectionis excellentiam, cultum Latriæ, seu debitum honorem, cum omni submissione, & subjectione, omnem reverentiam, laudem, & gloriam, & gratiarum actionem exhibendo; & pro tua offensa debitam tibi satisfactionem, & dolorem, per Pænitentiam reddendo.

Deinde proximis; videlicet, Parentibus, debitũ pietatis cultum ipsis præstando, & per officia, spiritualia, maximè per Orationẽ eis opem ferendo.

Cunctis quoq; dignitate, doctrinâ, ætate, vel virtute præcellentibus, Observantiæ honorem exhibendo.

Omnibus Sanctis specialem Observantiam, seu Duliæ cultum & reverentiam: jam verò Sanctissimæ DEI genitrici Virgini MARIÆ, debitam Hyperduliæ venerationem, & honorem tribuendo.

Præterea Superioribus amorem, reverentiam, & obedientiam impendendo.

Benefactoribus Gratitudinem, pro salute illorum preces meas offerendo.

Aliis verò omnibus, Benevolentiam, Consilium, Auxilium, Affabilitatem, Ædificationem præstando;

do; neminiq; ullum malũ & injuriam inferendo.

O Benignissime DEUS meus, quia tu es verus Pater noster amantissimus: Dominus noster excellentissimus: Benefactor noster summus: Superior omnium supremus; ideò sublimiori modo, erga tuam Divinam Majestatem, quàm erga creaturas, virtutem Pietatis, Observantiæ, Gratitudinis, & Obedientiæ ac Resignationis, quæ est perfectissima obedientia, exercere statuo.

Scio Domine, quòd nulla major injuria tibi infertur, quàm cùm tua Divina Majestas offenditur: unde omnem offensam tuam, & omnia peccata etiam minima vitare conabor: & de præteritis omnibus offensis tuis, ob amorem tuum, doleo.

Quia facere bonum, & declinare à malo, pertinet ad virtutem justitiæ, ita, ut sinè his duobus, non possit esse opus integrum justitiæ & perfectũ: propterea conabor hæc fideliter servare: videlicet, facere bonum proximo debitum; hoc est, restituere illi injuriam, à me quocunq; modo ipsi factã: deinde declinare à malo proximi: hoc est, vitare malum proximo nocivum, ne ipsi ullo modo noceam: quod totum facere volo, ne te Dominum DEUM meum offendam.

Domine, qui dixisti: Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur: ego quoquè hanc justitiam esurio, & sitio: & ideò mandata tua, & vota mea, atq; omnia vocationis meæ opera implere: quod tibi displicet, fugere, & vitare: & unicuiq; quod suum est, reddere volo.

Quan-

Quandoquidem lex naturæ jubet: Quod tibi vis fieri ab aliis, hoc ipse fac aliis: & quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: propono, ut tibi per hoc quàm maximè placeam.

Actus Observantiæ regularis.

BEnigniſſime JESU, qui non veniſti ſolvere legem, ſed adimplere, & facere in omnibus voluntatem Patris æterni tui, quam implere voluiſti, dum ad calicem amaræ paſſionis, ex voluntate DEI Patris bibendum te promptum exhibuiſti: exemplo, & imitatione tui, non tantùm leges tuas Divinas, ſed etiam humanas, in Religione ſancta noſtra, ex tua Divina inſpiratione, & voluntate, conditas fideliſſimè ſervare volo.

Quæcunq; ſunt propria ſtatus religioſi, & vocationis, ſtrenuè præſtare, & nihil ab hoc ſtatu alienum, eiq; diſſonum facere conabor.

In omnibus actibus religionis, aliis me accommodare, & cæteris fratribus libenter aſſociari: videlicet, cum orantibus orare, cum laborantibus laborare, cum pauſantibus pauſare; & tanquam membrum aliis charitate conjunctum, convenientem partem oneris portare ſtatuo.

Domine DEUS meus, ob amorem tuum, exactiſſimè cuſtodire, & adimplere omnes partes obſervantiæ Sanctæ religionis noſtræ; videlicet, quidquid Regula, Conſtitutiones, Ordinarium, Inſtructiones, Ordinationes, & mandata Superiorum jubent, diligenter curabo.

Etiamſi

Etiamsi solus separatus ab hominibus in aliquo loco viverem, ubi nullus videret, aut sciret, quid ibi agerem: nihilominùs ex intentione sola placendi tibi, eadem spontè facere vellem, quæ solùm in communitate observare deberem.

Quamvis ab aliis nulla regularis observantia servaretur: attamen nihil veritus aliorum murmurationes, & irrisiones, immò & persecutiones, solus intemeratam observantiam servare firmissimè statuo.

Paratus sum libenter sangvinem, & vitam dare potiùs, quàm minimum regularis observãtiæ punctum, aut ceremoniam velim culpâ meâ abrogari: & si quid per me jam est abrogatum, collapsum, & annihilatum, doleo, ob amorem tuum; & si scirem, quid nam est ejusmodi, toto procurarem conatu, illud corrigere.

Domine DEUS meus, singula, & minima regularis observantiæ præcepta, cum humilitate suscipere, & veluti à te solo dictata, & fundatoribus inspirata venerari, nec de eorum convenientia differere propono.

Hæc puncta Regulæ, in quibus est reformatio facta, per Sanctam Matrem Nostram Teressiam: hoc est, Silentium strictum, Solitudinem, Abstinentiam, Orationis exercitium, & alia superaddita, quantùm potero exactissimè, perfectissimè, rigidissimè usq; ad ultimam vitæ meæ periodum, conservare, retinere, & adimplere desidero, decerno, & ex intimo corde volo.

Actus

Actus Obedientiæ.

O Bedientissime JESU, qui factus es pro nobis obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis, ad quam subeundam, obediendo Patri tuo æterno, te in horto obtulisti: amore, & imitatione tui, in omnibus, tibi DEO meo præcipienti, & Superioribus meis, propter te, obedire volo.

Faciamq; hoc velociter; sinè mora, & dilatione.

Libenter; prompta voluntate, voluntatem meam Superioris voluntati subijciendo.

Simpliciter; cæco intellectu, imperatum non discutiendo, & judicium meum Prælati judicio submittendo.

Hilariter; absq; tristitia, tædio, & quærela.

Fortiter; excelso animo, in rebus arduis, & difficilibus; etiam Superioribus parùm affectis, & malevolis.

Humiliter; absq; vanæ gloriæ & laudis appetitu, vel complacentia; rudibus quoq; Prælatis & imperitis.

Perseveranter; usq; ad perfectam mandati Superiorum impletionem; & usq; ad finē vitæ meæ.

Clementissime DEUS, postquam per Superiorem tuum beneplacitum significas, firmissimè constituo ei, quasi tibi parere.

Profectò, sapientissime Domine, quamvis Superior homo agrestis, & ignarus esset; quidquid mihi diceret, quasi cælestia oracula susciperem.

Profiteor Domine, Superiorem meum propter

te veneratione digniſſimum eſſe; ac propterea me totum illi libentiſſimè ſubdo.

Sanè tametſi videretur carneis oculis meis Superior meus ſtultè loqui, verba vitæ me audire putarem.

Eo certè modo, fideliſſime Domine, quo tibi obedirem, ſi te corporeis oculis cernerem, Superiori meo parebo.

Abſit à me, Domine, ut improbem, quod Superior meus probat.

Actus Timoris DEI.

CLementiſſime JESU, qui ut verus homo, propter proximam paſſionem, ac imminentem mortem diriſſimam, & acerbiſſima tormenta, juſtum timorem in horto habuiſti, ubi cæpiſti vehementer pavere, & tædere: fac me quoq; juſtum timorem tui ſemper habere.

O Domine DEUS meus, qui dixiſti per Prophetam: Qui timet DEUM, nihil negligit: & membra, & ſenſus, & lingvam, ab omni actu illicito cohibet: ideò & ego ſic te timere volo.

Quandoquidem qui timet DEUM, in mandatis ejus volet nimis: eodem modo te timebo ſemper, ut nunquam tranſgrediar mandata tua; ſed illa adimplere, quàm perfectiſſimè conabor.

Si Sancti jubentur timere te Dominum, per Prophetam dicentem: Timete Dominum omnes Sancti ejus; quoniam nihil deeſt timentibus eum: quantò magis nos peccatores, timere te Dominum

noſtrum

nostrum debemus; ut nobis nihil desit timentibus te: ut non desit, nobis gratia tua, auxilium, praesidium tuum; & tu ipse, ut nunquam desis nobis, nec deseras nos, quod singulariter te rogo.

Scio, Domine mi, quòd peccatum, est maximum malum tuum: ideò ad quodlibet exhorrescere statuo, illudq; magis timere, quam mortem, aut ignominiam, aut ipsam gehennam.

Unicum est, quod timere debeo; ne per peccatum te offendam, & debitum tibi obsequium subtraham: non tam propter æternas pænas, quàm potissimùm, quia propter tuam infinitam Majestatem, Bonitatem, & Beneficentiam, superdignissimus es, cui à nobis ex puro amore serviatur; etiamsi nihil nobis accederet commodi ex servitio tibi impenso, aut incommodi ex omisso obsequio.

In omnibus tentationibus, scutum timoris tui hostibus meis opponam, ut à gravi lapsu in peccatum, eripiar: virtutum armis me muniam, ne superer: & assiduæ orationi insistam, ut à te gratiam ad vincendum consequar.

Considerando, quia multæ, & graves tentationes, & laquei, semper & ubiq; ad te offendendū nos alliciunt: igitur timere jugiter debeo te offendere, aliquid, quod tibi displicet committendo: vel aliquid, quod à nobis exigis, omittendo, vel minùs diligenter, & alacriter tibi serviendo.

Absit à me, Domine DEUS meus, ut sic te timeam, ut hic timor me nimiùm perturbet, aut deijciat: sed ita, ut me coërceat ab omni torpore,

& negligentia; & securitate; faciatq; in tuo servitio alacrem, vigilantem & devotum; deniq; expellat à me, & prohibeat omne peccatum, & ad omne bonum faciendum me impellat.

O Domine mi, te summum, & immensum DEUM agnosco: te primum Principem, & supremum omnium Dominum esse confiteor: propterea me tibi submitto; atq; prostratus corpore, & animo, te adoro, & cultum Latriæ, per supremam reverentiam tibi soli debitam exhibeo; & semper cum timore, & tremore stare coram te, firmissimè statuo.

O DEUS meus, timeo te: quia potens es me mittere in gehennam, & in æternum me à te exulem efficere: simul tamen protestor, quòd quamvis nulla esset mihi propter peccatum inferenda pæna, adhuc me ab illo abstinerem: ne Divinam tuam Majestatem quomodocunq; offenderem.

Timeo te: quia tu Dominus meus es: & quia dixisti; Si ego Dominus, ubi est timor meus.

Timeo te: quia nescio, an odio, an amore dignus sim.

Timeo te: quia incomprehensibilia sunt judicia tua, & investigabiles viæ tuæ, ut nesciam, quid de me futurum sit?

Timeo te: non ut servus emptitius, ob pænam; sed ut filius charissimus; ne tuam Divinam offensam incurram.

Timeo te: ne à te separer, in quo omne bonum est; & ne à te separatus, omne malum, & omnem miseriam mihi accersam. Timeo

Timeo te, timore reverentiali, & instar Beatorum revereor infinitam tuam Majestatem, ac Omnipotentiam, ex toto corde me tibi subdens, ac me velut nihilum in conspectu tuo agnoscens.

PRO FERIA QUARTA.

Hac die exerceri possunt actus.

Fortitudinis, Patientiæ, Mansvetudinis & Castitatis.

Actus Fortitudinis.

FOrtissime JESU, qui corpus tuum sacratissimum flagellis virgis, & funibus dirissimè cædi, dilaniari, excruciari permisisti, quæ flagella verbera & gravia tormenta, mortem deniq; ipsam, & ignominiosissimam, imperterrito, magnanimo, & forti animo sustinuisti: ego quoq; tuo exemplo, & amore tui, ad omnes cruces, verbera, etiam ad mortem acerbissimam pro te subeundam, confidens in tuo auxilio Divino, libenter me offero.

Quia virtutis fortitudinis est, coërcere timorem, & moderari audaciam, instantibus mortis periculis: ideò dabo operam, ut nec nimiùm audax immoderatè & imprudenter, ejusmodi pericula aggrediar; nec nimiùm illa timeam, etiam ipsam mortem, ex tua Divina permissione irruentem, quam propter Fidem, & virtutem sustinere paratus sum.

Domine DEUS meus, te solum timere volo: quia

quia tu ſolus dignus es timeri: reliqua verò, ut imbecilla, contemno.

Non timebo eos, Domine, qui occidunt corpus: juxta mandatum tuum: tamen timebo te ſemper, qui potes animam meam mittere in gehennam.

Quælibet moleſta, acerba, & terribilia quæ in hac vita mihi evenire poſſunt, propter acquirendam virtutem, forti animo tolerare ſtatuo.

Quamvis multa obſiſtant actibus bonis, & virtuoſis impedimenta: nihilominùs roborare animũ volo, ut ſemper exerceatur in bonis, & ne unquam vincatur in malis.

Conabor ſemper omnes tentationes, & inſultus dæmonis ſuſtinere, & reprimere: nec ullo modo, à mandatis tuis faciendis me retrahi permittam.

Quæcunq; fuerint tibi placita, quantumvis illa ardua, & difficilia fuerint, illa aggredi fortiter, & viriliter proſequi, & perficere deſidero.

In omnibus adverſis, & afflictionibus, vel perſecutionibus, tranquillitatem conſervare, & in mediis moleſtiis, ac tribulationibus, lætitiâ, ac jucunditate perfundi curabo.

O Bone JESU, utinam, dono tuo, illam habeam fortitudinem, ut propter te, adverſa & moleſta animosê ſuſtineam, & ardua ac difficilia, propter gloriam tuam, & honorem aggrediar!

Aufer à me, Domine DEUS meus, noxiam timiditatem; ne timeam, quæ non ſunt timenda: temerariam quoq; audaciam in me comprime; ne aliquid ſupra vires meas adoriar: ut medium hu-

jus virtutis tenens, in virtuosis actibus, juxta beneplacitum tuum strenuè, & fortiter me geram.

Fac me, Domine, occurrentibus periculis, & difficultatibus, timere prout oportet, audere prout oportet, irasci ut oportet, sustinere, vel fugere secundùm quod oportet, in quo consistit vera fortitudo.

Actus Patientiæ.

PAtientissime JESU, qui in dirissima flagellatione tua, & in maximis doloribus tuis, nullum impatientiæ signum ostendisti: ego quoquè quidquid doloris, & afflictionis, mihi unquam in vita mea acciderit, amore & imitatione tui, patienter id totum feram.

Mitissime JESU Christe, si Religionis austeritas gravis fortâsse videatur, æquanimiter eam tolerabo.

Clementissime DEUS, si tentationibus aliquando exercear, pectus firmum opponam.

Benignissime Domine, si tartarus contra me desæviat, constanter ictus excipiam.

Dulcissime DEUS, si quando mæror importunus ingruat, nulla ratione deijci feram.

Amantissime JESU Christe, si morbi nonnunquam subeant, omnia tædia, dolores, anxietates, propter te, fortiter hauriam.

Svavissime DEUS, si totius corporis contritio membrorum divisio, ignis, & quævis acria tormenta inferantur, invictè constabo.

Optatissime DEUS, si hominum mores adversi,

&

& faſtidia moleſtiſſima contingant, pacata mente conſiſtam.

Jucundiſſime JESU Chriſte, ſi me ariditate, diuturnâquè repulsâ exerceas, libenter pænam ampleĉtar.

In omnibus, quæ ad rigorem, & ſtrictam obſervantiam, & ad diſciplinam ſtatûs mei, & vocationis pertinent: in jejuniis, & abſtinentiis; in veſtium aſperitate, & ſtrati duritie; in vigiliis, & orationibus; in cellæ, & ſilentii cuſtodia; in ſtudiis, & meditationibus; in laboribus obedientiæ; in correptionibus, & diſciplinis Ordinis; in voluntariis pænitentiis; in ſtudio mortificationis, & abnegationis: quaſcunq; auſteritates Religionis noſtræ, amare, & integrè ampleĉti, ac fideliter ſervare, firmiſſimè propono, & volo.

Actus Manſvetudinis.

MAnſvetiſſime JESU, qui diriſſimê flagellis cæſus, afflictus, & innocenter graviſſimis injuriis affectus, nullas minas, nullam vindictam, contra inimicos tuos, ore tuo proferebas: ſed omnia, quaſi agnus manſvetus, cum incredibili manſvetudine toleraſti: cujus exemplū ſecutus, virtutem manſvetudinis ſummo ſtudio colere, firmiter propono.

Reliqui actus Manſvetudinis habentur ſuprà in via Purgativa pro die Sabbati.

Actus Castitatis.

Hi Actus habentur suprà, in via Purgativa pro Feria quarta.

PRO FERIA QUINTA.

Hac die possunt exerceri actus.

Constantiæ, Modestiæ, Veritatis, & Charitatis.

Actus Constantiæ.

COnstantissime JESU, qui ad majus tormentum, derisionem, & contemptum tuum, spineâ coronâ cinctus, & veste purpurea indutus, salutationibus derisoriis illusus fuisti; propter quæ minimè commotus, nec ad perficiendum opus salutis nostræ impeditus fueras; in quo virtutis constantiæ admirabile nobis exemplum reliquisti: quod ego secutus, omnia impedimenta virtutis undecunq; provenientia superare, & in bonis operibus constanter permanere, ob amorem tuum, firmissimè statuo.

Conabor, Domine mi, Protoparentis nostri, qui in virtute ad finem non stetit, erratum corrigere, & damnum nobis illatum per constantiæ virtutem reparare, persistendo in gratia, per JESUM Christum Salvatorem nostrum nobis restituta, & universa impedimenta virtutis prosternendo.

Si cordis mei instabilitas me aliquando solicitaverit, ad illud opus bonum, quod cæpi, deserendum; aut alia impedimenta, difficultatem insuperabilem mihi objecerint; statim expendam animo,

mo, te DEUM auxiliatorem esse nostrum, cujus auxilio, omnia impedimenta, & difficultates superare possum.

Nunquam, Domine mi benignissime, statum perfectionis, ad quem me ex tua benignitate, vocasti, & quem jam semel arripui, derelinquam.

In quocunq; loco, aut officio, obedientia me posuerit, sine ulla inquietudine, in illo semper permanebo.

Ab his, quæ tibi DEO nostro placent, ob nullam obortam difficultatem, cessare decerno.

Absit à me, Domine JESU, ut crucem mortificationis, quam pro te semel portare cæpi, per ignaviam unquam deseram, vel in ea portanda tepescam.

Omnia bona proposita, & incepta studia, & exercitia, nunquam ex levitate, & inconstantia dimittam, vel mutabo: sed ea, propter te, secundùm te, & per te, fideliter continuare volo.

Conabor, tuâ fretus gratiâ Divinâ, in tuo amore, & virtutibus, de die in diem proficere, & nunquam cessare, vel tepescere: sed semper ad anteriora me extendere, amore tui, & desiderio, perfectiùs tibi placendi, & obsequendi.

Actus Modestiæ.

MOdestissime JESU, qui gestans coronam de spinis, chlamyde coccinea vestitus, arundinem in manibus tenens, in conspectum populi productus à Pilato dicente: Ecce

Homo: ſummam modeſtiam, & verecundiam oſtendiſti: jure merito & ego, ob exemplum, & beneplacitum tuum, modeſtus, verecundus eſſe debeo, prout deſidero, & propono.

Benigniſſime JESU, ob amorem tuum, ſemper oculis demiſſis incedam, nec illos ſinè juſta cauſa & neceſſitate elevabo.

Reliqui Actus Modeſtiæ, habentur ſuprà in via Purgativa, pro feria ſecunda, de mortificando viſu.

Actus veritatis.

O Veraciſſime JESU, qui traditus à tuis inimicis Pilato judici, & ab eodem rogatus: Tu es Rex Judæorum: reſpondiſti ei: Tu dicis, quia Rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati, ſeu ut dicam veritatem. Quibus verbis declaraſti te eſſe Veracem, & veritatis amatorem; ut & nos tales ſimus; qualis & ego eſſe percupio, & decerno.

Domine DEUS meus, curabo ſemper, ut verè concordent mens mea, & lingva, & opera; ut, quod ſentiam in corde, hoc proferam ore, & perficiam opere.

Nolo Domine, docere lingvam meam lóqui mendacium, ut iniquè agam.

Scio, dilectiſſime Domine JESU, tam charam tibi eſſe veritatem, ut ab omnibus DEUS veritatis velis appellari: proinde & ego, amore, & imitatione

one tui, veritatem amare, dicere, & nunquam illam impugnare volo.

Procurabo, quando oportebit, & ubi, & quomodo, ſemper verum dicere.

Etiamſi mens mea aliquando repugnaverit; nihilominus, ſi id neceſſarium, & tibi Domino noſtro placitum fuerit, veritatem non reticebo..

Nunquam verum obtegam, aut palliabo, nec pro favore alicujus, nec pro utilitate propria, nec pro aliquo detrimẽto, quando illud dicere tenebor.

Omnes ambiguitates verborum, & ambages, in converſatione vitabo; ſed res, prout ſunt, ſimpliciter proferam.

Conabor promiſſa ſervare ſemper, niſi juſta cauſa non ſervandi ea, aut in melius mutandi intercedat.

O Bone JESU, qui es ipſa veritas, & qui vera doces, & omnes homines veraces amas; mendaces verò odio habes: adjuva me, ut & ego ſim homo verax, & vera ſemper loquar, vera ſentiam; & ut vita mea, atq; opera cum corde, & verbis benẽ conſentiant, ut ſic Sanctiſſimæ vitæ tuæ, ubiquè ſim conformis.

Actus Charitatis.

Hi habentur in via Purgativa: pro Feria quinta.

PRO FERIA SEXTA.

Hac die poſſunt exerceri actus. *Temperantiæ, Dilectionis inimicorum, Abſtinentiæ & Compaſſionis.*

Actus Temperantiæ.

TEmperantissime JESU, qui dum tibi in monte Calvariæ datum esset vinum myrrhatum grati odoris, & saporis, ad te corroborandum, in acerbissimis tuis tormentis, illud non accepisti; in quo temperantiæ virtutem nobis commendasti; quam virtutem amplecti, honoris & amoris tui causâ, summopere desidero.

Scio Domine, quia Protoparentes nostri per intemperantiam, amiserunt innocentiam, & justitiã, quàm innocentiam, o si modò per temperantiam, quam colere volo, recuperare possem! multùm exopto.

Ecce, Domine DEUS meus, Protoparentes nostros transgressio temperantiæ, quam ipsis servandam præcepisti, paradiso expulit, & immortalitatis exsortes fecit. Utinam nos filios, temperantiæ observantia ad paradisum introducat, nobisq; immortalitatem conferat!

Profiteor, dulcissime JESU, quòd homo temperans Angelicam ducit vitam, intemperans verò brutalem: ideò ego hanc execror; illam verò amare desidero.

Quoties appetitus concupiscibilis passiones, ad delectabilia sensuum, maximè gustus, & tactus me traxerint; toties, tuo adjutus auxilio, eas diligenter cohibere firmissimè decerno.

Nihil, bone JESU, unquam appetere pænitendum; in nullo moderationis legem excedere; sed sub jugo rationis, cupiditatem tenere, propter te, volo.

Statuo.

Statuo, benigniſſime DEUS meus, appetitum meum omnino coercere ab iis rebus, quæ turpiter, & cum offenſa tua appetuntur.

Clementiſſime JESU, abſtinere à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam, ut tibi placeam, omnem curam impendam.

Quia temperantia nihil eſt aliud, niſi amor, quo ſe tibi DEO noſtro, homo integrum, incorruptumquè ſervat: ideò talem amorem ſemper habere conabor.

Actus inimicorum Dilectionis.

O Dilectiſſimè JESU, qui pro inimicis tuis, à quibus flagellis conciſus, alapis cæſus, ſpinis compunctus, conſputus, deriſus, cruci affixus, & innumeris injuriis affectus fuiſti, Patrem tuum æternum in cruce pendens oraſti, dicens: Pater dimitte illis: quia neſciunt, quid faciunt: illudq; opere adimpleviſti, quod ore tuo benedicto nos docuiſti, inquiens: Diligite inimicos veſtros: benefacite his, qui oderunt vos: quam doctrinam exequi, & exemplum tuum ſequi, totis viribus, tuâ ſuffultus gratiâ, ex amore tui, conabor.

Cupio omnes inimicos amare, propter te, & ſecundùm te; videlicet, quia tu vis illos à me amari: precor ipſis à te omne bonum, quò feliciores, tibiquè gratiores fiant.

Rogo, clementiſſime DEUS meus, dimitte illis omnia ſua peccata, & concede; ut arripiant me-

dia neceſſaria ad vitam æternam conſequendam.

Omnes injurias à quocunq; mihi illatas, omnibus adverſariis meis, ob amorem tuum, condono: neq; de ulla vindicta ab hinc cogitabo.

Abſit à me, ut eos, qui me aliquando verbo, aut facto læſerunt, contemnam, vilipendam, & quaſi nullius æſtimationis apud me ſint, eos deſpiciam.

Excludo ex corde meo, omne odium contra illos: nec ampliùs amaro animo, & affectu, erga ipſos eſſe volo.

Nolo unquam optare, vel procurare eis aliquod malum: immò ſicut potero, impediam ſemper.

Etiam nolo unquam gaudere de ipſorum aliquo malo, & damno, ſed potiùs contriſtabor.

Mala inimicorum meorum, & vitia, ac defectus, nec ipſe aliis libenter narrabo, (niſi ſalutis eorum causâ) nec ab aliis narrari gaudebo: ſed nec citò mala de ipſis audita credam.

Non aggravabo, nec nimiùm ponderabo eorum vitia, ſed potiùs excuſabo, & ſupportabo; quantùm (ſalvâ juſtitiâ, & veritate) potero.

Quod ſi aliquando eos à me corrigi, ſecundùm te, benigniſſime DEUS meus, expedire putavero, ut id fraternè, & cum charitate fiat, curabo.

Orabo affectuosè pro eorum emendatione, & cunctis neceſſitatibus, ſicut pro meis, vellem orare, & ab aliis orari.

Omni modo poſſibili, ac licito, pro malis ab eis avertendis, ſicut pro meis; laborabo; paratus

pro

pro ipſorum ſalute animam etiam ponere meam, (ſi opus eſſet) ob tui amorem.

Actus Abſtinentiæ.

Hi habentur ſuperiùs in via Purgativa: pro Feria ſexta.

Actus Compaſſionis.

O Afflictiſſime JESU, ô Chriſte vir dolorum patientiſſime! qui in maximis doloribus, à ſacratiſſima conceptione tua fuiſti: ſed præcipuè, quando crudeliſſimè ligatus, alapis, & colaphis percuſſus, flagellis cæſus, ſpinis coronatus, cruce onuſtus, cruci affixus fuiſti, in qua tribus horis pependiſti: in cujus amara paſſione compatiebantur Tibi Creatori ſuo, à ratione, & ſenſu aliena elementa; obſcuratus eſt ſol; petræ ſciſſæ ſunt; mota eſt terra; itaq; & ego compatior tibi, ex intimo corde, Domino & DEO meo, & condoleo: & recolendo tuos dolores, compaſſivum dolorem in animo meo ſemper concitare volo.

O Bone JESU, dum aſpicio, vel conſidero te Dominum meum flagellatum, vel ſpinis coronatum, vel in cruce pendentem, video, & agnoſco, quòd non eſt dolor, ſicut dolor tuus: proinde, ut & ego aliquem verum ſentiam dolorem, ſuper dolores tuos multùm deſidero.

O Mors, quàm amara tibi fuit, dulciſſime JESU! quam dum conſidero, mirum eſt, ſi præ nimio dolore non deficiam.

Verè,

Verè, Domine JESU, tu dolores noſtros ipſè portaſti, & quas pænas, quæ tormenta, quam mortem ego promerui, tu pro me ſuſtinuiſti: & quomodo ego ſinè dolore manere poſſum, dum hæc mente pertracto.

Qui es tu, Domine JESU, qui pro me ligari, flagellari, dilaniari, excruciari, tandem morte atrociſſima in cruce mori voluiſti? credo, & profiteor, quia tu es DEUS noſter, qui cælum, & terram tua imples Majeſtate.

Tu es Rex potentiſſimus, cui ſerviunt omnia, quæ ſunt in cælo, & in terra.

Tu es Creator noſter, in cujus conſpectu omnis creatura contremiſcit.

Tu Dominus altiſſimus, quem adorant ſupremæ inviſibiles Dominationes, & Angelicæ Poteſtates.

Ergo tu tantus, & talis, tam indigna, & acerba pati pro me dignatus es; & ego tibi nō compatiar? abſit hoc à me, Domine: volo compati; volo condolere; volo contriſtari.

Doleo ſuper te, Frater mi Jonatha, qui fuiſti antè nimis decorus, nimis amabilis; nunc verò non eſt tibi ſpecies, nequè decor: factus es nunc deſpectus, & noviſſimus virorū, & quaſi leproſus.

Doleo ſuper te, Pater mi benigniſſime, â quo vitam, & omnem ſubſtantiam accepi, qui nunc pro me vitam, & animam tuam poſuiſti.

Doleo vehementer, Sponſe animæ meæ amantiſſime, pro me amaritudine plene, cujus causâ, & ego pro te nunc mærore, dolore, & triſtitiâ conſumor; vel ſaltem conſumi percupio. O JE-

O JESU maximè dolens, conſolatorem non habens, non eſt, qui te conſoletur ex omnibus charis tuis: ego quidem te conſolari vellem; ſed quomodo poſſum, qui potiùs augeo, & addo dolorem, ſuper dolorem tuum.

Ego ſum causâ afflictionis tuæ, ſum occaſio tui doloris.

Ego te peccatis meis enormibus triſtitiâ affeci.

Ego te inimicis tuis tradidi, in vincula conjeci, flagellis cecidi, ſpinis vulneravi, clavis perforavi, cruci affixi, deniq; crudeliſſimè occidi.

O me miſerum! O me infelicem! qui tanta mala iniquitatibus meis tibi intuli Creatori meo, DEO meo, Redemptori & ſuperamandiſſimo Patri meo.

Maledicta ſint ſcelera mea, quibus tantorum tormentorum tuorum cauſam dedi.

Maledicta mea malitia, quæ dolorum tuorum iſtorum origo fuit.

Utinam nunquam peccâſſem!

Utinam peccatis meis, paſſionis, & mortis tuæ particeps non eſſem!

O quis mihi det, ut tot lachrymas, quod tu ſangvinis guttas, ſuper te dolentem Dominum meum, nunc & ſemper effundam?

O quis mihi det, Domine mi, à te ut tranſeat ad me calix amaræ paſſionis tuæ?

Quis mihi det, dolores tuos ita ſentire, afflictiſſime JESU, ut vel eorum cogitatio, ſangvineum à me ſudorem eliciat?

O si possem nunc habere illum mærorem, quem habuit dulcissima Mater tua Virgo MARIA tempore passionis tuæ!

O si plorans plorarem, cum illis filiabus Jerusalem, quæ super te, quasi super unigenitum planxerunt!

O si passio tua amara ita penetret viscera mea, ut præ dolore tabescam, & deficiam!

Desidero, ut præ dolore scindatur cor meum; sicut petræ scissæ sunt, in passione tua.

Opto, ut omnia commoveantur intima pectoris mei super dolores tuos, sicut terra commota est, in morte tua.

Cupio, ut obscuretur nunc, præ afflictione mens mea; sicut obscuratus est sol, ob passionē tuam.

Utinam semper sentiam tantum dolorem in mente, quantum tu passus es, & sensisti multipliciter, in tuo sacratissimo corpore!

Utinam moriar pro te? utinā vulnerer pro te!

Utinam totum cruorē meum effundam pro te!

Ecce, benignissime JESU, offero me, ad omnia tormenta, cruciatus, etiam mortem crudelissimam, & ignominiosissimam pro te subeundam.

Offero corpus meum, ad dilaniandum, flagellandum, lacerandum.

Offero caput meum, ad vulnerandum spinis, & excruciandum.

Offero faciem meam, ad conspuendum.

Offero pedes meos, & manus meas, ad perforandum.

Offero

Offero cor meum, ad transverberandum, & compungendum.

Offero me, totamquè vitam meam, ad omnes tribulationes, afflictiones, pænitentias, & mortificationes, amore tui, perferendas.

Statuo, in honorem passionis tuæ, corpus meum variis modis affligere, & tecum pro modulo meo, aliquantulum dolorem in corpore meo concitare, & sentire.

Curabo, ut tecum Domine JESU Christe, per mortificationem carnis, sim confixus cruci, ut in vita mea similitudo mortis tuæ resultet.

Fugiam omnia oblectamenta; jam verò quæcunq; carni molesta amplectar: & sic semper mortificationem tuam, ô JESU, in corpore meo circumferam; ut in illo manifestetur vita tua.

PRO DIE SABBATI.

Hac die Virgini Sanctissimæ dicata possunt exerceri Actus.

Silentii, Solitudinis, Paupertatis & Compassionis super dolores Beatissimæ Virginis.

Actus Silentii.

O Virgo patientissima, quæ in tuis doloribus, & angustiis maximis, in quibus tua anima benedicta fuit tempore mortis, & passionis dilecti Filii tui, ne ullum verbum lamentationis protulisti; sed in silentio, omnes afflictiones tuas sustinuisti; igitur exemplo tuo, exa-

ctum

ctum cultum ſilentii tenere, ex amore DEI, & tui, propono.

Mitiſſime Domine JESU Chriſte, imitatione Virginis Sanctiſſimæ, ſtatuo ab omni verbo, quod neceſſitas, vel utilitas non exigat, abſtinere.

Modeſtiſſime JESU Chriſte, pone cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis, ut non delinquam in lingva mea.

Si oportuerit mori, propter ſilentii cultum à Congregatione præſcriptum, non te negabo.

Si exploratum mihi fuerit, verbum aliquod otioſum eſſe, etiamſi occidar, ſilebo.

Abſit à me, Clementiſſime Domine, ut conſcientia renitente, loquar.

Si ad loquendum invitatus fuero, ubi rationes humanæ, ob perſonæ gravitatem, vel cauſas alias, verba ſuggeſſerint, rationi Divinæ, Silentii amore, obtemperabo.

Utinam, benigniſſime DEUS, potiùs obmuteſcam, quàm vel uno verbo tibi non grato abutar!

Scio, Domine DEUS meus, multos incidiſſe in peccatum loquendo, vix quenquam tacendo: ideò ne peccem, & te offendam, tacere magis, & ſæpiùs, quàm loqui decerno.

Quia cultus juſtitiæ ſilentium eſt? propterea, ut tibi Domino meo placeā, illud ſtrictiſſimè ſervabo.

Si quando ex neceſſitate loquar; cavebo, ne aliquid quod tibi diſplicet committām: propterea fugiam ſemper locutionem inconſideratam, præcipitem, ſuperfluam, ſuperbam, detractoriam, contentio-

tentiosam, asperiorem, adulatoriam, mendacem, simulatoriam, curiosam, sæcularem, & otiosam.

Utinam, Domine DEUS meus, ex te clarè, & efficaciter intelligam semper, quid, quando, & quomodo, tacendum, vel loquendum, aut cessandum sit!

Tacebo sæpiùs, dulcissime JESU, propter te usquè ad interrogationem; & interrogatus breviter respondebo id, quod fuerit necessarium, vitando superflua addere, & colloquia sinè causa protrahere.

Libera me, Domine, à multiloquio, quod patior intùs in anima mea: non enim cogitationibus taceo, etiamsi vocibus taceam; multæ sunt cogitationes meæ; sed tu nosti cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt; da mihi non immorari eis, ne me ab amore tuo impediant.

Actus Solitudinis.

O Dulcissima Virgo MARIA, quæ à morte dilecti Filii tui, magis solitariam vitam egisti, & in penetralibus domunculæ tuæ te continens rarò foras prodijsti: similiter & ego, ob amorem DEI, honoremquè tuum, & exemplum, solitariæ vitæ magis ac magis addictus esse decerno.

Domine DEUS meus, more solito Virginis Sanctissimæ, fugiens conversationem humanam, recessum cellæ semper tenebo.

Si quando inimicus meus, è cella exturbare me suis suggestionibus vellet, respondebo illi: Ego istos parietes cellæ, propter amorem Domini nostri JESU Christi, custodiam.

Sedere solitarius in cella, quantùm per obedientiam mihi licebit, sicut turtur, fugiendo turbas, etiam fratres meos, curabo.

Volo, ut anima mea sit sola, ut tibi soli omnium servet se, quem ex omnibus elegit sibi: fugiam igitur publicum, fugiam & ipsos domesticos, secedam ab amicis, & intimis.

Non tantùm corpore, sed magis mente solitudinem colere conabor, vitando cogitationes terrenas, & mundanas vanas, ac minimè necessarias: sed tantummodò circa Spiritualia, & Divina, ac meæ vocationi convenientia, manens in cella me occupare statuo.

Fugiam, ô Domine DEUS meus, hominum familiaritatem, ut tu me ad tuam admittas, qui dixisti per Prophetam: Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.

Profiteor, Domine, quia nemo potest esse & tecum, & cum hominibus: ideò ut tecum sim semper, hominum consortia non necessaria vitabo.

Scio, Domine, quòd cælum, & cella, adinvicē aliquam videntur habere cognationem; unde sicut post mortem in cælo manere desidero; ita & modò in cella, ob amorem tuum, permanere semper decerno.

Domine DEUS meus, ut faciliùs evitare valeam multas offensas tuæ Majestatis Divinæ, multas culpas, & imperfectiones; ideò frequentiùs continere me in cella statuo.

Quia solitudo dicitur esse schola perfectionis, & virtu-

virtutis, ac puritatis officina, sinè qua nemo tibi placere potest: propterea solitudini vacare volo; ut faciliùs perfectionem, & virtutem, atq; cordis puritatem acquiram, & sic tuæ Divinæ Majestati placeam.

Si aliquibus Sanctis Martyribus tuis, ob amorem tuum, carcer videbatur paradisus; qualis carceris, & martyrii, cùm occasionem non habeam; itaq; in cella, veluti in quodam delicioso carcere, ex amore tui, libenter manebo.

Actus Paupertatis.

O Paupertatis amantissima Virgo MARIA, quæ adeò pauperrima fuisti, ut non haberes sindonem, in qua involveres corpus dulcissimi Filii tui mortui: ego quoquè, ob amorem DEI, & tui, exactam paupertatem colere, summopere desidero, & propono.

Svavissime JESU, exemplum tuum, & Matris tuæ Sanctissimæ Virginis MARIÆ secutus, omnes divitias, & opes mundi contemno: & sicut hæc in effectu reliqui, ita ne minimo affectu illis adhærere volo.

Reliqui Actus Paupertatis habentur in via Purgativa pro Feria tertia.

Actus Compassionis super dolores Beatissimæ Virginis.

O MARIA Virgo purissima, Mater DEI Sanctissima, omni amaritudine, afflictionibus, angustiis & doloribus plena, quos totâ

vitâ tuâ, ob acerbissimam passionem & ignominiosissimam, crudelemquè mortem dilectissimi Filii tui, pertulisti: Unigeniti Filii tui tibi verè compatientis, & condolentis, & omnium Angelorum, hominumq; tibi devotorum, tenerrimo affectu, compatior tibi, & condoleo: & sic ad singulos actus, & respirationes meas tibi compati & cōdolere, quamdiu vixero, volo.

Utinam, ô mæstissima Virgo MARIA gladio tuæ compassionis nunc & semper transfigatur cor meum, sicut & tuam ipsius animam transfixit gladius doloris, in passione dulcissimi Filii tui?

O verè singulare martyrium tuum fuit, afflictissima Virgo, quæ acriùs torquebaris in corde, compatiendo Filio tuo, quàm aliquis Martyr suspensus in equuleo: itaq; & ego istius Martyrii tui particeps esse, & semper, ob memoriam dolorum tuorum, in corde meo torqueri desidero.

Fateor, quòd nulla mater, tantam tristitiam, & intolerabilem dolorem in morte carnalis filii sui unquam habuit & pertulit, sicut tu, ô amantissima Mater, in passione prædilecti Filii tui, ex compassione persensisti; quando juxta crucem ejus stetisti, ac doloris gladio vulnerata, amarissimè flevisti: equidem & ego, juxta crucem tecum stare, te libenter sociare, in planctu desidero. Opto semper tecum flere; crucifixo Filio tuo, & tibi condolere, ex intima mea compassione.

O quàm flebile spectaculum illud fuit Virginis Matris lachrymantis, suspirantis, & præ dolore deficien-

ficientis, & Filii ejus in cruce pendentis & exſpirantis! à quo ſpectaculo, oculos meæ mentis nunquam avertere: ſed tecum, ô piiſſima Virgo, lachrymari, ſuſpirare, & præ dolore maximo deficere cupio.

O verè magna fuit, velut mare, contritio, & dolor tuus, ô mare dolorum Beatiſſima Virgo MARIA! quos dolores pari modo, in corde tuo ſenſiſti, ſicut Filius tuus in corpore ſuſtinuit in ſua paſſione: ideò renuit conſolari anima mea; & unicum erit mihi ſolatium, in hac præſenti vita, ſemper tecum pati, ô MARIA!

O Dulciſſima Virgo MARIA, cupio immergi in immenſo dolorum tuorum mari, ut in omnibus actibus animæ, & corporis mei dolores tuos ſentiam, & experiar.

Video, ô MARIA Virgo piiſſima, quòd ſatis ſuperq; inundavit cor tuum ſvaviſſimum doloribus plurimis, & acerbiſſimis: Ecce, ô Domina mea, offero tibi cor meum, ad excipiendos dolores tuos, & liberandum ab eis cor tuum. O quàm felicem me arbitrabor, ſi me gratiâ tuorum dolorum ſentiendorum donaveris!

Agnoſco, & confiteor coram te, ô clementiſſima Regina, adverſum me iniquitatem meam, quòd negligens, & tepidus ſum in compatiendo tibi. Confundor, & erubeſco, quòd te dolente, non doleam ego, te plangente, non plangam ego te mærore tabeſcente, abſquè mærore, & compaſſione tui, vivam.

Doleo ſuper te, ö MARIA Mater miſericordiæ! doleo, quòd tantis cor tuum malis, uſq; nunc infeſtetur ab inimicis Filii tui, & univerſis hominibus impiis, etiam à me miſerrimo peccatore, ſceleſtiſſimo homine: ſed rogo te, ut omnis gladius ſive doloris, ſive contemptûs, priùs in meam adigatur animam, quàm pertingat ad tuam.

O Afflictorum & dolentium Regina! in tuis, & pro tuis acutiſſimis doloribus mori exopto. Inſtans mortis meæ doloribus tuis, & doloribus Filii tui commendo, & communio: animam meam, in hora mortis meæ, in manus tuas deponere, atquè per eaſdem coram Filio tuo, Judice meo, præſentari percupio & volo; atquè id à te, per dolores tuos, & per mortem, ac paſſionem dulciſſimi Filii tui, humiliter, frequenter, & ferventer poſtulo.



EXER-



EXERCITIA PERFECTORUM SEU, VIÆ UNITIVÆ.

HÆc Via dicitur Unitiva, ab unione intima cum DEO per Charitatem, quæ unio tantò fit major, quantò in homine ferventior fuerit amor: Amor verò excitatur in nobis ferventior, ex majore per fidem cognitione DEI, attributorum, & perfectionum ejus, & beneficiorum erga nos: Itaq; hic ponentur per Ferias divisa exercitia varia Amoris DEI, Laudis, Gratitudinis, & alia, quæ intimè disponunt ad amorē DEI, vel sunt signa, aut effectus ejus.

PRO DIE DOMINICO.

Hac die possunt exerceri Actus.

Fidei, Spei veniæ peccatorum, Spei salutis æternæ, & Desiderii Perfectionis.

Actus Fidei.

O Auctor Fidei, JESU Christe, firmissimè credo vera esse omnia, quæ te revelante, credit Sancta Mater nostra Ecclesia; & pro cujusquè veritatis Catholicæ confessione, paratus sum millies mori.

Credo, Domine JESU, te esse ipsam veritatem: ac proinde impossibile est aliquid falsum Ecclesiæ tuæ à te revelari.

 Credo,

Credo, & omninò verùm esse profiteor, tres esse Sanctissimæ Trinitatis in una Divinitate Personas.

Credo in Patrem, in Filium, in Spiritum Sanctum, tres personas, unam substantiam.

Credo Patrem esse DEUM, Filium esse DEUM, Spiritum Sanctum esse DEUM, & non tres Deos, sed unum solùm DEUM.

Credo Dominum nostrum JESUM Christum unigenitum DEI Filium, propter nos homines, nostramq; salutem descendisse de cælis, qui incarnatus est de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine, & Homo factus est.

Credo, quòd idem crucifixus est pro nobis sub Pontio Pilato, passus, mortuus, & sepultus est.

Credo, quòd resurrexit tertia die. Et ascendit in cælum in eadem carne, quam sumpsit ex Virgine, & sedet ad dexteram Patris.

Credo, quòd iterum venturus est cum gloria, judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis.

Credo, & confiteor, quòd æterno præmio donaturus sit justos, & æterno ignis supplicio injustos, & in peccatis mortuos.

Credo, quòd per ignem innovaturus sit mundũ, & omnes mortuos resuscitaturus.

Credo unam esse veram solam Fidem, unum Baptisma, unam Ecclesiam Apostolicam, & universalem, quæ est Romana, in qua sola possunt dimitti peccata.

Credo, Domine JESU Christe, te Ecclesiæ

Sponsæ

Sponſæ tuæ ſeptem Sacramenta inſtituiſſe, & horum maximum, & præcipuum, Euchariſtiam eſſe, in quo tu verè & realiter DEUS & Homo perfectus contineris.

Credo MARIAM Virginem DEI genitricem eſſe, quæ Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo poſt partum fuit.

Credo Sanctos unà cum Chriſto regnantes venerandos & invocandos eſſe, eoſq; orationes DEO pro nobis offerre, atquè eorum reliquias eſſe venerandas.

Conſtanter credo, Imaginem Chriſti Domini noſtri, Deiparæ ſemper Virginis MARIÆ, necnõ aliorum Sanctorum, colendas, & venerandas, atq; eis debitum honorem, & reverentiam eſſe impertiendam.

Firmiter credo purgatorium eſſe, animaſq; ibi detentas fidelium ſuffragiis adjuvari.

Confiteor, & firmiſſimè proteſtor coram tua Divina Majeſtate, totaq; Curia cæleſti, velle me in hujus veritatis Fidei confeſſione vivere, & mori.

Domine DEUS meus, auge in me fidem à te ſemel infuſam, vitamq; fidei conſonam concede; ut, quod mente credo, moribus exprimam.

Quia Fides ſinè operibus mortua eſt; da mihi, Domine JESU, ut Fidem meam, charitate, humilitate, patientiâ, aliiſq; virtutibus, vivam in me eſſe oſtendam.

Utinam Fides tua, integra ſemper & ſincera conſervetur, qualem tu Domine tradidiſti, qualem Apoſtoli prædicaverunt! O ſi

O si fidem possem in universo mundo annunciare, & omnes infideles ad te DEUM convertere: quàm libenter id facerem, etsi propterea omnia tormenta sustinere deberem.

Utinam possem, DEUS meus, omnium fidelium intellectibus in te credere, omnium cordibus te amare, omnium viribus tibi servire!

Cupio ex toto corde, totisq; viribus procurare, & per te, propono, ut totus mundus firmissimâ fide te cognoscat, & confiteatur: & summopere doleo, quòd te non credat, adoret, veneretur, & amet sicut oportet.

Actus Doloris, & Spei veniæ peccatorum.

O Amantissime JESU, qui pro nobis incarnari, homo fieri, in stabulo nasci, tandem in cruce morte crudelissimâ mori dignatus es.

O admirandam bonitatem tuam! ô verè bonus es tu! ô verè summo & infinito amore, & honore dignus es tu!

Cur tam bonum DEUM meū infinities offendi?

Cur in te infinities peccavi, & malum coram te feci?

Doleo nunc ex toto corde meo, ex puro amore tui, de omnibus peccatis meis.

Detestor illa abominor; quia sunt offensa tua. Displicent mihi valdè; quia tibi displicent.

Displicet mihi, quòd te offenderim; quia tu es DEUS meus, & omnia, quem amo super omnia.

Vellem, Domine, te amare infinito amore: & desidero

desidero dolore quodam, velut infinito, ex illius amoris infiniti fonte profecto, dolere de meis, & totius mundi peccatis.

Nolo te ampliùs offendere: malo millies mori, quàm in te DEUM meum peccare.

Et quamvis centies millies ampliùs peccassem, quàm peccavi: tamen certissimè spero, quòd misericordiam, per bonitatem tuam infinitam, inveniam, & peccatorum meorum veniam consequar.

Nolo, Domine mi, addere peccatum novum, quod esset, si in te, & in tua misericordia non confiderem.

Tametsi, Domine JESU, veniam non merear: sed sangvis tuus pretiosus, quem pro me effudisti, facit ut sperem.

Omnis spes mea, optime JESU, & totius fiduciæ certitudo, in pretioso sangvine tuo mihi est: in ipso confisus, ad te pervenire desidero.

Magna valdè est misericordia tua, Domine, & in ea sola posita est spes, & consolatio mea.

Fateor, me gravissima peccata commisisse in te, liberalissime Domine: firmissimè tamen spero, quia proculdubio veniam indulgebis.

Quamvis ad horas singulas, in multas culpas deformiter labar, certè Christianam perfectionem, te juvante, assequar.

Etiamsi libenter nimis graviora peccata perpetrarem, tu, mitissime JESU Christe, educeres me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.

Misericordissime Domine, fac finem malis me-

is,

is, quibus ego nec finem, nec modum impono. Fac mecum misericordiam, Domine mi, licet eam ego non merear! quia mereor potiùs mille infernos.

Sed quamvis reus essem omnium peccatorum mundi; tamen in te sperabo: major est enim misericordia tua, quàm iniquitas mea. Quis unquam speravit in te, & confusus est?

Quomodo potero diffidere, ô Bone JESU, de tua misericordia, dum recordor, quòd cum essem tuus inimicus, pro me mortuus es, & me DEO reconciliasti?

Si veniam offerebas, cùm eam non quærerem, modò cum eandem peto, libentiùs imperties?

Spero, spero, quòd & ego misericordias tuas in æternum cantabo.

Quamvis venirem in altitudinem maris; quamvis tempestas usquè in abyssum inferni mergeret me; tibi adhærebo, in te sperabo, ô Spes mea firmissima, DEUS meus!

Actus Spei vitæ æternæ.

O JESU benignissime, qui venisti in hunc mundum, ut tuis meritis consequeremur vitam æternam: itaq; firmissimè spero me tandem ex auxilio tuo, & bonis operibus gratiâ tuâ præstitis, gloriâ sempiternâ fruiturum.

Spero certissimè, Domine JESU Christe, quòd cùm velis omnes salvos fieri, me quoq; salvabis, quem ad imaginem & similitudinem tuam, atq; capa-

capacem æternæ beatitudinis creaſti, & ſangvine tuo pretioſo redemiſti.

Nullam omninò ſpem ſalutis æternæ, habeo nunc in vita, aut in morte meâ habere volo, præterquam in tuis meritis, in ſacratiſſimis vulneribus, doloribuſq; tuis, in tuo ſangvine, tuaq; morte, & in tuis promiſſis.

In tuo dulciſſimo Nomine, ô JESU, quod Salvatorem ſignificat, firmam ſpem meæ ſalutis pono: igitur, ô JESU! ſis mihi JESUS, dic animæ meæ: Salus tua egò ſum.

O DEUS, in nomine tuo ſalvum me fac; prout in te ſpero.

Si quidem, ô Domine, tam pretioſus fui in oculis tuis, ut pro me vitam poneres: ſpero, quòd non ero ita vilis, & tam exilis pretii nunc, & in hora mortis, ut velis in me ferre ſententiam æternæ damnationis.

O Svaviſſime JESU, gratulor mihi & exulto, quòd per te ſolùm poſſum beatus fieri. Neq; enim aliud nomen ſub cælo datum eſt nobis, per quod ſalvi fiamus: unde nec placeret mihi beatitudo, niſi per te illam haberem: quandoquidem omnis ſpes mea, & fiducia in te poſita eſt, eamquè in te ſolo fixam ratamquè volo.

Clementiſſime JESU, toto corde firmiſſimè ſpero me à te, cùm ſis liberaliſſimus, conſecuturum, & obtenturum omnia, quæcunq; mihi ad ſalutem neceſſaria fuerint.

Ac primò quidem veniam omnium peccatorum meorum,

meorum, quantumvis multorum & enormium, extinctionem vitiorum, mortificationem passionū, adeptionem virtutum, victoriam tentationum, ac intimam tecum familiaritatem & unionem: etiam vires ad superandas omnes difficultates, in hac vita occurrentes: tandem gratiam perveniendi, ad fruendum perpetuò felicissimo tuo aspectu.

Spero me, intercessione Beatissimæ Virginis MARIÆ, & Sanctorum Angelorum, Sancti Joseph, & Sanctæ Matris nostræ Teresiæ, & omnium Sanctorum, gratiam tuam, Domine mi benignissime, à te consecuturum, quâ tibi DEO meo placere, sanctè, & in gratia tua vivere, & mori valeam.

Quanquam cælum, terra, & omnes creaturæ contra me conjurarent, & ipse portis inferni appropinquare viderer: nihilominùs, ô misericordissime DEUS, misericordiam tuam magnam expectabo: semper in te sperare volo, & confidere, dicendo: In te Domine speravi, non confundar in æternum. In Domino sperans non infirmabor.

Actus desiderii perfectionis.

O JESU, Magister & Doctor perfectionis, qui veniens in hunc mundum, exemplo tuo nos docuisti; pro quo exemplo sis infinities benedictus, quod ego semper sequi, & amplecti summopere desidero.

Scio, Domine JESU, perfectionem esse finem & scopum status religiosi, ad quem quilibet Religiosus

giosus cuncta sua opera dirigere debet: itaquê & ego omnes meas actiones, & cogitationes, omnia desideria & conatus, ad hunc finem ordinare volo.

O utinam hujus finis necessitatem, dignitatem, pulchritudinem benè perspectam, & clarè cognitam habeam: ut sciam illam magni æstimare, sedulò quærere, & aliquando, gratiâ tuâ Divinâ adjutus, comprehendere valeam.

Certè perfectio est tanti momenti, tanti pretii, tanti decoris, ut meritò vellem præponere illam regnis & sedibus: unde & divitias nihil esse duco in comparatione illius, nec comparo illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum, in comparatione illius, arena est exigua: & tanquam lutum æstimabitur argentum, in conspectu illius.

Perfectio, est illa pretiosa margarita, cujus negotiatores sunt Religiosi, qui omnes divitias & opes, omnes delicias & honores reliquerunt, ut hanc margaritam compararent: quia pretiosior est cunctis opibus: & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari: propter hanc margaritam ad Religionem & ego veni. Sed ô quando obtinebo illam, prout multùm desidero!

Perfectio, est thesaurus in agro status religiosi absconditus, quem qui invenit, præ gaudio illius vadit, & vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum. Ecce, Domine mi, tuâ gratiâ, jam elegi statum religiosum, propter quem reliqui universa, quæ habui, & habere potui, & nondum hunc ptetiosum perfectionis thesaurum possideo:

ſed abhinc ita quærere eum diligenter die noctēq; propono, ut aliquando, ex tuo auxilio, illum poſſideam.

Perfectio, eſt infinitus theſaurus hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ DEI: quia in hoc theſauro, DEUS infinitus invenitur. Nam DEUS, charitas eſt; & perfectio nihil eſt, niſi perfectio charitatis: ad hunc theſaurū & ego aſpiro, ſicut, ad te DEUM meum. Inquietum eſt enim cor meum, Domine, donec requieſcat in te;

Perfectio, eſt regnum DEI: quia regnum DEI illud dicitur per quod regnat in nobis; & nos Reges verè ſumus, ſi perfecti ſumus: magno ergo ardore ad hoc regnum tendere exopto, & vim mihi inferre, ut illud capiam. Nam regnum DEI vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Quandoquidem perfectio conſiſtit in charitate, per quam unimur tibi DEO noſtro, ut fini ultimo: igitur te DEUM meum ſuper omnia diligere volo, & proximum, propter te, ſicut meipſum.

Sed quis, Domine, te perfectè diligit, niſi ille, qui mandata tua ſervat: idem tecum vult & non vult: qui de te ſemper cogitat, & loquitur: qui nihil optat, niſi voluntatem tuam fieri in omnibus, & per omnia, & ab omnibus: & te, qui es exemplar omnis perfectionis, imitatur. Sic, ſic, & ego te diligere propono & ejuſmodi perfectionem charitatis habere percupio.

Firmiter decerno vitare illa, quæ ſunt contraria chari-

charitatis perfectioni, ut sunt peccata gravia seu mortalia: etiam illa quæ minuunt charitatem, ut sunt peccata venialia: etiam illa, quæ impediunt, ne affectus noster in te DEUM nostrum totaliter feratur, ut sunt affectus erga res temporales, & inordinatæ passiones.

Odio habeo, & abominor omnem tepiditatem, negligentiam, & socordiam, quæ est inimica perfectioni: & ideò fervorem & diligentiam in omnibus actibus meis adhibere statuo.

Semper proficere in bono incepto, in mortificatione mei ipsius, & studio virtutum conabor: immò singulis diebus, & horis dicam: Nunc cæpi: & utinam verè incipiam!

Curabo, quantùm potero, nullum datâ operâ, & deliberatâ mente defectum, & imperfectionem admittere, & omnes actiones meas modo perfectissimo peragere semper, cogitando, quòd jam fortè est ultimum hoc opus meum, quo peracto, reddenda mihi est statim de eo ratio, in tuo judicio, Domine DEUS meus.

Profiteor, Domine mi clementissime, ex vi vocationis meæ ad Religionem sanctam nostram Carmelitanam, me obligatum esse, tendere ad perfectionem, per exercitia vitæ Contemplativæ, & Activæ: hoc est, per exercitium orationis & mortificationis, atq; virtutum, per custodiam votorum meorum, per observantiam regularem, & omnium actuum communium ac particularium ab obedientia injunctorum: doleo, Domine DEUS meus, ex

amore tui, quia hucusq; non fui fidelis in his exercitiis: sed abhinc emendationem propono.

Dabo operam, ut in omnibus, & per omnia eligam illud, quod est perfectius: id est, quod existimavero magis bonum, & tibi Domino meo magis gratum, tuisq; actionibus sacratissimis, ac vitæ Sanctissimæ magis conforme, & meæ voluntati magis contrarium, meæq; sensualitati, & corpori meo magis durum & ignominiosum.

Quia nulla est compendiosior via, quâ ad perfectionem pervenitur, quàm per humilitatem: ideò seriò, & ex animo, hanc virtutem totâ vitâ colere volo, quam & tu, Domine JESU, tantopere nobis commendâsti, dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

O benignissime JESU, tu mandâsti: Estote perfecti, sicut & Pater vester perfectus est. Da, Domine, quod jubes; nam sinè te nihil possum. Ecce ego perfectus esse desidero; suscipe quæso, Domine, hoc desiderium meum, sicut incensum in conspectu tuo. Sacrificium hoc vespertinum & serotinum obsecrationis meæ, ne despicias, pro infinita misericordia tua.

PRO FERIA SECUNDA.

Hac die possunt exerceri Actus.

Amoris proximi, Benignitatis, Zeli proximorum salutis, & desiderii amoris DEI.

Actus Amoris proximi.

O JESU amantissime, qui pedes discipulorũ lavando, dedisti nobis exemplum humilitatis, & simul charitatis exhibendæ proximis; quod exemplum tuum secutus, volo semper charitatem proximis meis, in omni occasione, exhibere.

Amo omnes homines, propter te, DEUS meus, & in quantum sunt beatitudinis æternæ capaces, atq; ad imaginem tuam creati.

Quandoquidem, benignissime Domine DEUS meus, præcipis mihi, ut amem proximum meum, sicut me ipsum: ideò obediendo huic tuæ sanctissimæ voluntati, quantùm possum, voluntatem meã ad ipsum amandum impellere conabor.

Cupio ipsum amare eo modo, prout tu vis, Domine DEUS meus, precorq; ipsi à te omne bonũ, quo felicior, tibiq; gratior fiat.

Volo illi omnia vera bona; nempe justificatiõnis donum, gratiam, virtutes, & omnem profectum, & gloriam.

Lætor de profectu spirituali proximorum, & de felicitate temporali: doleo de malis eorum, ac si mea forent: & mala quidem ab omnibus avertere, bona verò multiplicare efficaciter vellem, si possem.

Neminem temerè judicabo, neq; contemnam: immò cujusvis proximi actus omnes, in meliorem partem interpretari, & eum, juxta personæ qualitatem, magni ducere conabor.

Nolo obloqui alicui proximo meo, ſed cum laude ejus defectus excuſare, ac modeſtè diſſimulare volo.

Rogo piiſſime Domine DEUS meus, dimitte proximis omnia ſua peccata, & concede; ut arripiant remedia neceſſaria, ad vitam æternam conſequendam. Quodſi noveris expedire, ut ego careamaliquo dono tuo, quod ipſis attribuas: ecce, Domine DEUS meus, nihil detrecto.

Magna me voluptate perfundit amor, quo illos proſequeris, & perfectio, quâ illos exornas, pro qua gratias tibi maximas habeo.

Quoties videro, fratrem meum declinantem à via vitæ, conabor eum reducere, & pro hac reductione ipſius in viam ſalutis æternæ, omnes mundi divitias contemnerem, & morerer, ſi opus eſſet.

Quoties videro aliquem proximum juſtum; gaudebo de tanto ipſius bono, & quod benè currit per viam Domini, teq; piiſſimum Dominum & Salvatorem noſtrum orabo, ut concedas ipſi donum perſeverantiæ, ut perveniat ad gloriam ſibi præparatam.

Parco, Domine JESU, omnibus proximis meis, ut & tu parcere digneris mihi.

Miſereor omnium, ut & tu miſerearis mihi.

Trado me in obſequium, & in ſervum fratrum meorum, ut & tu inter fideles ſervos tuos, numerare me digneris.

Actus Benignitatis.

O Svaviſſime JESU, qui pedes Judæ traditoris tui lavan-

lavando, insignem benignitatem ei exhibuisti; quam & ego imitari, amoris tui causâ, firmissimè propono.

O Bone JESU, qui etiam erga inimicos tuos, & omnes peccatores svavissimus, clementissimus, & benignissimus semper fuisti, & es, quos benignè recipis, misericorditer foves, & tuis innumeris afficis beneficis: itaq; & ego erga omnes proximos meos, etiam erga adversarios meos, & mihi non benè affectos, eo esse animo semper desidero, ut eis & vultum svavem ostendere, & beneficium, pro mea facultate, præstare valeam.

Absit à me, ut aliqua signa amaritudinis, aut malevolentiæ, in necessitatibus proximorum meorum, etiam illorum, qui me aliquando læserunt, ostendam.

Quoties sese obtulerit occasio, subvenire necessitatibus, tam spiritualibus, quàm corporalibus proximorum meorum, nunquam illam patiar sinè effectu transire. Itaq; quoties, & quando potero, volo ignorantes docere: peccantes opportunè & amanter corrigere: dubio aliquo hærentes, & quid facto opus sit in rebus, & negotiis occurrentibus nescientes consilio juvare: mæstos & afflictos, & tentationibus, aut adversitatibus pressos consolari: injurias patienter ferre: offensas promptè remittere: & pro persequentibus me, atq; aliis proximis orare.

Libenter etiam vellem, amore tui, ô clementissime JESU, si mihi facultas suppeteret, esurien-

tes pascere, sitientibus potum dare; hospites, advenas & peregrinos hospitio recipere: vestibus pauperum nuditatem operire; infirmos, & carcere detentos visitare: captivos redimere: mortuos sepelire.

Nolo diligere fratres meos tantum verbo, sed opere & veritate, opera charitatis erga illos exercendo.

Argentum quidem, & aurum non est mihi, quod dem proximis meis, ex benignitate mea erga illos: sed ut tu, Domine DEUS meus, subvenias necessitatibus eorum, juxta beneplacitum tuum, pro eis tuam Divinam Bonitatem deprecor.

Si quid præstitero proximis meis, pro ipsorum utilitate, id nunquam faciam, propter aliquam jactantiam, vel aliquod meum commodum, sed solùm ob amorem, honoremq; tuum.

Quoties potero obsequium aliquod exhibere proximo, toties nullam opportunitatem, & occasionem id faciendi prætermittam.

Profiteor, quòd nemini tantum beneficium possumus præstare, sicut animabus in Purgatorio detentis, juvando illas orationibus, pænitentiis, & satisfactionibus nostris: ideò erga istas animas, me benignum hac in parte ostendere conabor.

Actus Zeli proximorum salutis.

O Dulcissime Salvator, qui desiderando salutem Judæ, ejus pedes lavare dignatus es, ut ejusmodi obsequio tuo resipuisset à malo propo-

proposito: unde & ego simili modo, optando omnibus salutem, & procurando eandem, omne ipsis obsequium meum & laborem offero.

Utinam, clementissime DEUS, peccatores resipiscant, & requirant te!

Utinam omnes Hæretici, Schismatici, Infideles, Apostatæ, & peccatores obstinati convertãtur!

Utinam omnes homines te cognoscant, colant, diligant, & tibi uni serviant!

O si possem hoc efficere, ut nullus te offendat, & nullus pereat, libenter etiam vitam meam impenderem, & sangvinem profunderem!

Tabescere me facit Zelus salutis proximorum meorum.

Opto anathema esse à Christo, pro fratribus meis in Christo.

Desidero inferorum portas obturari ipso me, & per me, ne quisquam amplius in infernum, & damnationem æternam descendat.

Occlude, ô Bone JESU, si fieri potest, januas inferni, ut nemo eò descendat, ubi omnes te oderunt: aperi portas cæli, ut omnes eò conscendant, ubi omnes te diligunt.

Omnes orationes meas, lacrymas, pænitentias, jejunia, vigilias, disciplinas, cunctas afflictiones corporis, & omnia bona opera totius vitæ meæ, unita meritis tuis, ô dilectissime JESU, pro lucrandis animabus proximorum meorum libentissimè offero.

Omnia adversa undecunq; venerint, in unione

tuæ paſſionis, pro ſalute proximorum tolerare, & tibi, Domine DEUS meus, offerre volo, & ſic iram tuam ab eis avertere, & impetrare eis tuam gratiam, illuminationem, juſtificationem, liberationem, confortationem, redemptionem, tuæq; Divinitatis æternam viſionem & fruitionem.

Solicitè præcavebo, ne ullo dictò, vel factò, alicui ſcandalum, vel peccandi occaſionem præbeam: & quòd aliquando alios ſcandalizaverim, nunc ſummopere, ob amorem tuum, doleo.

Actus Deſiderii amandi DEUM.

O Dilectiſſime JESU Chriſte, quem verum Filium DEI vivi eſſe credo, & confiteor, qui ſic dilexiſti nos homines, ut pro nobis factus homo, ad pedes diſcipulorum tuorum lavandos, te inclinare dignatus ſis: an non meritò ſic te amantem redamare debeo? ſed quando iſtud fiet?

O quando diligam te Dominum DEUM meum toto corde, & tota mente, totâ animâ, & ex omnibus viribus meis?

Quando anima mea in omnibus viribus ſuis tibi unietur?

Quando anima mea totaliter, & perfectè in te mergetur, & abſorbebitur?

O quando per omnia tibi placebo?

O quando gratum tibi ex puro amore obſequium ſemper præſtabo?

Quando voluntatem tuam beneplacentem ſolicitè

citè semper inquiram, veraciter agnoscam & amanter, fideliter, ac integrè perficiam?

Quando tui amore, sequar te quocunq; jeris, & tuas virtutes perfectè imitabor?

Quando me totum tuo servitio impendam, & superimpendam?

Quando, tui amore, meipsum, & universum mundum contemnam?

Quando ex amore tibi serviam? & agam? & patiar quidquid volueris in tempore, & æternitate?

Quando, tui amore, meipsum prorsus abnegabo, proprium sensum, & voluntatem, vitiosaquè desideria, & oblectamenta perfectè mortificabo?

Quando, tui amore, crucem omnem, quamcunquè inspiraveris, immiseris, aut permiseris, cum gaudio & gratitudine amplectar, & usquè in finem tolerabo?

Hæc sunt desideria mea, hæc vota, hæc suspiria: utinam, Domine JESU, in me, & à me quàm perfectissimè adimpleantur, sicut ex intimo corde percupio!

Desidero Domine, & opto magis desiderare semper, ac magis amare te: atq; ideò, ut amare te magis possim, cupio dissolvi, & esse tecum, ubi perfectè amem te. Quia tamen adhuc manere me vis in corpore mortis hujus, volo & ego quamdiu sic tibi placet.

Dulcissime Domine DEUS meus, à quo sunt sancta desideria, desidero habere desiderium amandi te tantum, quantum te amandi desiderium habuerunt,

buerunt, & habebunt omnes, qui tibi placuerunt, & placebunt, à primo homine Adam, usq; ad ultimum omnium mortalium tibi placentium.

Cupio, Domine DEUS meus, toto corde, pleno desiderio, sitienti animâ ad te suspirare, & in te dulcissimo ac suavissimo respirare, ac totum spiritum meum, & omnia interiora mea ad te, qui es vera beatitudo, anhelare.

Desidero, totum id quidquid amoris habent Seraphini omnes, & omnes dilecti ac electi tui, unâ cum Domino JESU Rege Regum, ac MARIA Virgine omnium electorum Regina. Et si hoc desiderium non habeo, habere illud desidero.

Fac me, dulcissime JESU Christe, amore & desiderio tui, deponere onus carnalium desideriorum, & terrenarum concupiscentiarum.

PRO FERIA TERTIA.

Hac die possunt exerceri Actus.

Religionis, Pietatis, Devotionis, & Petitionis Amoris DEI.

Actus Religionis.

O Benignissime JESU, qui ut verus homo procidens in faciem, Patrem tuum æternũ orasti, per quod debitum ei honorem & cultum Latriæ, ut DEO exhibuisti: cujus exemplo, & ego tibi, ut DEO vero cum Patre & Spiritu Sancto, cultum eundem reddere volo. Itaq; & nunc te adoro, glorifico, & superexalto, Latreutico cultu, tibi soli debito. O Cle-

O Clementiſſime JESU, quem credo DEUM verum, genitum de DEO vero, profiteor, quòd propter ſingularem & infinitam excellentiam tuam, in omni genere perfectionis, ex qua tibi competit eſſe Principium, ſupremumq; omnium Dominum, debeatur tibi à creatura rationali, ſingularis cultus & honor, quo hanc tuam excellentiam, noſtramq; ſubjectionem & perpetuam in omnibus, à te dependentiam proteſtetur: proinde & ego hunc ſingulariſſimum honorem & cultum Tibi DEO, & ſupremo Domino meo exhibere ſemper, & in æternum, omni temporis momento, ad ſingulas reſpirationes, & corporis & animi motus firmiſſimè ſtatuo.

O Dulciſſime DEUS meus, ego te multùm æſtimo & appretio, atq; tam altè & excellenter de te ſentio, & tam profundè me tibi ſubmitto, quàm decet creaturam de ſuo Creatore ſentire, & quàm debitum eſt viliſſimum vermiculum infinitæ Majeſtati ſubmitti: Cultum omnem, & abyſſalem reverentiam tribuo tibi, quâ dignus es infinitæ Majeſtatis DEUS meus.

Domine DEUS meus, omnia illa; quæ ad cultum Divinum & obſequium tuum pertinent, cum omni promptitudine mentis, ſemper exequi ſtatuo.

Ego ad te DEUM meum in omnibus neceſſitatibus meis recurrere volo: quia ſinè te nihil ſum, nihil poſſum, & nihil habeo, ſed omnia à te: & ideò orationi diligenter incumbere conabor.

Ego me totum in ſacrificium tuum offero: videlicet,

delicet, corpus, & animam, & omnes vires meas, ſenſuſq; meos, & voluntatem meam, tanquam Creatori meo, & Principio beatitudinis noſtræ.

Omnia vota, & propoſita mea in honorem tuum aliquando à me facta, fideliter exequi curabo.

O Dulciſſime amor mi JESU, quia tu es Principium omnium; propterea te, toto animo & corpore proſtratus adoro: immò omnes omnium creaturarum affectus aſſumo, ijſq; te nunc colo, veneror, adoro, hancq; adorationem in æternum continuare deſidero.

Adoro te, DEUS meus ſupreme Auctor animæ meæ, & piiſſime Redemptor, ac Protector ſalutis noſtræ, in unione omnium adorationum, quæ tibi redduntur in cælo: & precor omnes cæleſtes beatos ſpiritus, maximè Sanctiſſimam Virginem Matrem tuam, ut ſuppleant impoſſibilitatis & ignorantiæ meæ defectus.

O ſuperamantiſſime JESU, ex affectu dulciſſimæ Matris tuæ Virginis MARIÆ, & omnium Sanctorum tuorum, ex mea, creaturarumq; omnium parte, ad gloriam tuam, meamq; & omnium ſalutem, per ſvaviſſimum Cor & Spiritum tuum, te cum Patre, & Spiritu Sancto, trinum & unum DEUM adoro, & reverenter glorifico, amo, tibiquè pro omnibus, & ſingulis beneficiis tuis, quæ mihi, & proximis noſtris impendis, gratias ago.

Actus Devotionis.

O Amantiſſime JESU, qui veniſti in hunc mundum, ut faceres voluntatem æterni Patris tui,

&

& recessurus ex hoc mundo, voluntatem ejusdem Patris tui adimplere voluisti, quam adimplendo, promptissimè te morti in horto tradidisti, nobisquè exemplum veræ devotionis dedisti: propterea & ego meam voluntatem promptissimã, ad faciendã tuam Sanctissimam voluntatem, & ad omnem famulatum tuum & obsequium, tibi, Domine JESU, offero.

Volo, Domine DEUS meus, promptissima voluntate tibi semper servire, tibiq; in omnibus obedire, & placere, tuaq; jussa, sive in prosperis, sive in adversis, fidelissimè exequi.

Devoveo me, quâm possum devotissimê, omni voluntati tuæ, bonæ, beneplacitæ & perfectæ.

Fateor, quia devovere nihil aliud significat, nisi tradere se, & in obsequium alicujus se mancipare: ideò sic me tibi, dulcissime JESU, devoveo, ut me in perpetuum obsequium tuum tradere, & mancipare velim.

Quæcunq; obsequia in tuum cultum & honorem fieri possunt ut jejunia, vigiliæ, genuflexiones, corporis afflictiones, sensuum & passionum mortificationes, vitiorum extirpatio, virtutum exercitium, & omnis Oratio, cuncta hæc promptè exequi conabor.

Quamvis aliqua dura, & amara, atq; difficilia se se pro honore tuo, Domine mi perferenda obtulerint, hæc omnia libenter tolerabo.

Solicitè vitabo, quæ veram devotionem impediunt; videlicet, curiositatem rerum, vel scientiã,

ad honorem tuum, ad meam & proximorum salutem non pertinentium: sensuum, maximè visus & auditus, incontinentiam, negligentiam, acediam, inordinatam tristitiam, cæterasq; vitiosas passiones animum perturbantes, ut sic pura mente & tranquilla tibi adhæreā, & in te toto delectari studeam.

Ad omnia, quæ tibi placita sunt, perficienda, & quæ tibi displicent, fugienda, rationalem, & superiorem voluntatem meam promptam & paratam tibi, clementissime Domine DEUS meus, offero, quantumvis sensualitas, & homo noster exterior recalcitret, & obmurmuret.

Etiam in summa ariditate, & devotionis sensibili subtractione, ex solo & puro amore tuo, firmissimè propono, facere omnia, quæ tu vis, & quæ tibi placent.

Quod si tibi Domino meo aliquando placuerit, infundere mihi sensibilem devotionem, alacritatem, & dulcem quandam affectionem erga omnia, quæ tibi sunt placita; da, ut eam humiliter de manu tua suscipiam, & eâ cum timore utar, ad tuam gloriam, & juxta supremum beneplacitum tuum, cum plena resignatione, eâ carendi quando, & quomodocunq; tibi placuerit: hoc solùm à te requirens, ut à tua nuda & intima charitate, in qua vera devotio & prompta voluntas tibi serviendi consistit, me nunquam permittas separari.

Actus Pietatis in DEUM.

O Piissime JESU, qui sinceræ pietatis affectum in horto orando, erga DEUM Patrem tuum æternum

æternum oſtendiſti: itaq; & ego eundem DEUM ut Patrem noſtrum verum, omni devotiſſima pietate ſemper proſequi decerno.

O ſempiterne DEUS, te verum Patrem noſtrū confiteor, & veneror: tibiq; omnem honorem debitum, & amorem, & ſubjectionem, & ſubmiſſionem exhibere firmiter ſtatuo.

Abſit à me, ut mandata tua Patris mei, cæleſtis, & DEI altiſſimi aliquando tranſgrediar, tibi diſpliceam, & voluntatem tuam non adimpleam.

Dominé DEUS meus, verè tu es omnium creaturarum Pater: quoniam es non ſolùm eſſe, ſed & quandam ſimilitudinem tuam impertiris, eaſq; foves, & earum ſingularem providentiam habes, eorumq; aſpectu, quaſi filiorum tenerrimè delectaris. Et quia iſtæ creaturæ,ut rationis expertes, te minimè agnoſcunt: ideò ego te pro illis, ex totis præcordiis laudo, & inter illas, me eadem beneficia à te recepiſſe profiteor, & pro ijſdē gratias ago.

Juſtè, Domine DEUS meus, ſemper dicere debeo: Abba, Pater, qui me ad imaginem & ſimilitudinem tuam creaſti, & me capacem gratiæ tuæ & gloriæ effeciſti: te ergò ſolum Patrem agnoſco, amo, & omnibus præfero.

Laudo, & honorifico te Pater æterne, qui cùm ſis Dominus noſter, nos autem mancipia tua viliſſima, Pater noſter dici non refugis: immò & Paternam erga nos providentiam habes, & ad hæreditatem Filiorum admittis: fac ſemper immen-

ſam

sam benignitatem tuam, ut veri Filii tui imitatione ac vitæ puritate simus, & te, propter teipsũ, amore filiorum perfectissimè diligamus.

Amans adoro, & revereor te, ô Pater superpiissime, qui ab æterno Filium tuum generans, in eodem per Idæam nos quodammodo genuisti.

Qui es Parens patrum nostrorum.

Qui es animæ nostræ solus Creator, & corporis nostri verus formator.

Qui credentes in nomine Filii tui adoptas in filios.

Qui diligentes te, hæredes tuos facis.

Qui plùs quàm Paterna pietate de nobis es semper sollicitus.

Qui filio prodigo ad te revertenti occurris, ipsumq; amplecteris, & oscularis, stolamq; primam, annulum, & calceamenta ipsi restituis, ipsum reficis, gaudensq; cum eo epularis.

O Pater noster, qui habitas in cælis, veluti in throno gloriæ tuæ, sed alta à longe cognoscis, & nostra intima consideras: Da mihi, obsecro, quod jubes, ut amem te, & ambulem coram te, timeam quoq; te, non ut reus Judicem, sed ut filius Patrem: & studeam esse perfectus, sicut tu Pater meus perfectus es.

O Dilectissime Patèr æterne DEUS, rogo te, per unigenitum Filium tuum Dominum nostrum JESUM Christum, qui homo factus admisit nos in fratres, & multos filios adoptivos, in gloriam æternam adduxit, ut me participem ejus gloriæ, quam ipse mihi promeruit, efficias Peti-

Petitio Amoris DEI.

O Bone JESU, qui propter nimiam charitatem, quâ dilexisti nos, ad mortem acerbissimam pro salute nostra subeundam, te in horto obtulisti: da, ut te tanto amore nos prosequentem verè semper amem, & nunquam in amore tuo deficiam.

O amor, qui semper ardes, & nunquam extingveris, accende me totum igne amoris tui.

Infunde, quæso, dilectissime JESU, cordi meo tui amoris affectum, ut te in omnibus & super omnia diligam semper. Nam perdit, quod vivit, si te DEUM non diligit.

O Charitas, DEUS meus, me in flamma igne tuo, reple svavitate & dulcedine tua, ut totus dulcedine amoris tui plenus, totus flammâ tuæ charitatis succensus, diligam te DEUM meum ex toto corde meo, totisquè medullis præcordiorum meorum.

Dulcissime JESU, quia tui valida est, ut mors dilectio; absorbeat, quæso, mentem meam ab omnibus, quæ sub cælo sunt, ignita & melliflua vis amoris tui, ut tibi soli inhæream, solâq; tuæ svavitatis memoriâ pascar.

O Amantissime JESU, vulnera animam meam jaculo amoris tui: imple omnia desideria mea, ut nihil me extra te delectet, nihil afficiat: te solum in omni creatura diligam: ad te æstuantissimis desideriis semper anhelem, & castissimo amore, te solum omni momento cogitem.

O Speciosissime JESU, da mihi continuum amoris tui incendium : trahe me post te; curram ad te, & non deficiam.

O Amabilissime JESU, fac me castissimo ardentissimoq; tui amore igniri, in te rapi, ac absorberi, ac omnium, quæ extra te sunt, oblivisci.

O Svavissime JESU, accende cor meum tam valido amoris tui incendio, ut ex toto corde meo, hoc est pleno desiderio, & perfecta voluntate diligam te, te solum in omnibus, & super omnia quæram.

Diligam te, Domine DEUS meus, ex tota anima mea, ut omnes sensus meos in te convertam, & tibi soli intendam.

Diligam te ex tota mente, ut intellectum, & memoriam meam in te solo, & ad gloriam tuam occupem; tibíquè soli inhæream.

Diligam te, ex omnibus viribus meis, ut illas omnes, tam animæ, quâm corporis, in tui laudem, amorem, ac beneplacitum tuum impendam.

Accende, ô DEUS meus, vivam flammam beati amoris tui, in medio cordis mei.

Absorbeat me profundum tuæ Charitatis.

Demergar in abyssum maris tuæ indulgentissimæ Pietatis.

Peream in tui vivi amoris diluvio, sicut perit stilla maris in suæ plenitudinis profundo.

Moriar, moriar, in tuæ immensæ miserationis profluvio; sicut moritur scintilla ignis in fluminis impetu validissimo.

Ibi,

Ibi, ibi, amittam vitam meam in te, ubi tu vivis in æternum, ô amor meus DEUS vitæ meæ!

O ſumma bonitas! da mihi ſummum amorem mihi poſſibilem, ut toto illo, te ſummè amabilem amem.

Deberem ſanè infinito amore te proſequi, quia infinitè bonus es, ſed quia incapax infiniti amoris ſum, opto ſaltem te amare, ſummo conatu mihi poſſibili.

Heu me, quia non diligo te, vita animæ meæ! nam ſi verè te diligerem, ſemper te in corde haberem; ſcriptum eſt enim: Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum.

Ardeat ſemper ignis amoris tui in altari cordis mei, & in tantum creſcat incendium, ut non ſolùm ſacrificium, ſed & ipſum altare comburat, & conſumet.

PRO FERIA QUARTA.

Hac die poſſunt exerceri Actus.

Magnanimitatis, Rectæ Intentionis, Perſeverantiæ, & Amoris DEI.

Actus Magnanimitatis.

O Magnanime JESU, qui in illa crudeli Flagellatione tua, multos heroicos, & excellentiſſimos actus virtutum, videlicet, Charitatis, Humilitatis, Obedientiæ, Patientiæ, Manſvetudinis, Modeſtiæ & aliarum oſtendiſti: ego quoq; ob amorem tuum, nolo eſſe contentus

quibuſcunq; actibus virtutum; ſed ad eminentiſſimos, & heroicos aſpirare, & contendere ſemper conabor.

Magno, & virili animo, abſq; ulla puſillanimitate, vel diffidentia aggredi, & amplecti, quæcunq; tibi placita fuerint, firmiſſimé decerno.

Cupio Apoſtolicas virtutes comparare.

Cupio magna, & conſtanti fide in te credere.

Magna de te ſperare: & magnificè in te confidere.

Continuè, ardenter, & ſummè te deſiderare & amare.

Deſidero obedire tibi, & tuis, propter te, heroicè in rebus etiam difficillimis.

Opto magna, pro tui amore, dimittere: omnia viſibilia contemnere; omnibus propter te, renuntiare.

Deſidero magna, propter te, operari, & pati.

Deſpicio, altiſſime Domine, omnes mundi honores, & faſtus calco, ut ſupra mundum extollar ad te.

Utinam, potentiſſime DEUS, univerſam mundi claritatem, & famā nunc haberem, non ut poſſiderem, ſed ut relinquerem propter te!

Opto, Domine, Job patientiam aſſequi.

Utinam te amore Pauli diligerem!

Utinam me, ſicut Magdalenam, peccatorum meorum pæniteret!

Certè clementiſſime DEUS, daturus ſum operam, ut Angelico more in terris vivam.

Conabor, Domine, occaſionem pro te Martyrium ſubeundi perquirere.

Volo quoſcunq; Sanctos,, in omni mortificationis genere, & pænitentia, & in cultu heroicarum virtutum imitari; nec deſiſtere, donec ipſis in his virtutibus ſim æqualis: vel donec ſupremum gradum in illis attingam.

Quoties quid arduum in cultu virtutum occurret, ego, dulciſſime DEUS, me offeram pugnaturum pro te.

Abſit à me, Domine, ut amore vitæ, vel timore mortis, à virtutis propoſito deſiſtam.

Abſit à me, ut animum deſpondeam â Chriſtiana perfectione comparanda: omnes enim difficultates, te duce, me ſuperaturum ſpero.

Volo heroico exemplo S.M.N. Tereſiæ, quidquid eſt perfectius ſemper facere.

In mandatis tuis excellenter exercebor, & conſiderabo vias tuas: in juſtificationibus tuis intenſiſſimo corde meditabor: non obliviſcar ſermones tuos, quos ſervare, & quam perfectiſſimè adimplere volo.

Actus rectæ Intentionis.

O Piiſſime JESU, qui in tuis maximis tormentis, quæ pertuliſti, quando diriſſimè flagellis cæſus fuiſti, elevans oculos tuos ad cælum, omnes cruciatus, plagas, & dolores tuos Patri tuo æterno, in honorem, & gloriam ipſius obtuliſti: itaq; & ego, quidquid totâ vitâ meâ, fecero, cogitavero, locutus fuero, totum id in honorem, & gloriam tuam offero.

Credo certiſſimè & confiteor, quia tu DEUS Optimus Maximus es Finis ſupremus, perfectiſſimus, & ſuper omnia intendendus, & quærendus. Tu enim in te contines, & ſuperinfinitè, ac ſuper eminenter, ſuperexcedis omne aliud bonum, quod poſſit deſiderari, & intendi: Igitur da, ut ſciam, velim, & poſſim, purè propter te, & ex tui amore, omnia deſiderare, quærere, petere, agere, dimittere, pati, vel refugere, nihil attendendo ad meum commodum procurandum, vel damnum vitandum.

Volo, & per te propono, te in omnibus, & ante omnia purè intendere; nullumq; opus internum aut externum aggredi, niſi propter amorem, & beneplacitum tuum: videlicet, ut tibi, propter te ipſum (quia es ſuperdigniſſimus, & quia vis, & ſicut vis) ex puro amore tui, exhibeam gratiſſimum obſequium, non autem propter meum commodum, & bonum, quod inde mihi provenire poſſet.

Serviat tibi, Domine DEUS meus, & ad infinities, infinities, infinities, majorem gloriam honoremq; tuum cedat, quidquid ago, quidquid loquor, quidquid cogito: & quidquid totâ vitâ meâ agam, loquar, & cogitabo: omne opus meum à te incipiat, & in te finiatur.

Utinam, benigniſſime DEUS meus, omnia, quæ cogitavi, quæ ſum locutus, & operatus, ex puro tui amore ſemper fuiſſent, ſicut jam in poſterum deſidero!

Utinam possim, DEUS meus hoc momento, & quoad vixero, omnibus momentis facere aliquid, quod summè tibi placet!

Si quando comedere, dormire, videre, confabulari, deambulare, & omnia alia necessaria oblectamenta sumere voluero cuncta hæc propter te, secundum te, hoc est, quia tu vis, & sicut vis, facere volo.

Tibi, Domine mi, hoc corpus meum nutrio: tibi hanc vitam conservo: largire mihi vires, ut soli serviam tibi.

Omne quodcunq; fecero, in verbo, aut in opere, omnia in nomine tuo, Domine JESU Christe, facere decerno.

Si scirem me annihilandum, aut æternis flammis justo tuo judicio deputandum, adhuc tibi omni studio servirem, & placere in omnibus vellem. Non enim servire tibi volo propter me, meumq; commodum, sed propter te, amorem, honoremque tuum.

Actus Perseverantiæ.

O Patientissime JESU, qui tormenta illa, inquibus fuisti, in flagellatione tua, tamdiu perseveranter tolerasti quam diu tortores tui volebant: cujus imitatione, & ego in omnibus laboribus, & quibuscunq; tribulationibus, afflictionibus, & adversitatibus, propter te, perferendis usq; ad articulum mortis, seu quamdiu tibi Domino meo placuerit, perseverabo.

Quacunq; ratione duriore me tractare volueris in hac vita; tamen semper immotus ad fidem in tuo servitio perdurabo.

Etiamsi mihi videaris minimè benignum vultum exhibere tuum; nihilominùs erit mihi semper ille amabilis: & ideò à te nunquam me avertere, nunquam recedere volo.

Dulcissime JESU, quis me separabit à Charitate tua, & ab incepto famulatu tuo, & à bonis propositis & desideriis meis? confido in misericordia tua, quòd neq; mors, neq; tribulatio, neq; angustia, nec periculum, nec persecutio, neq; gladius, neq; creatura aliqua me unquam separabit.

Clementissime DEUS, firmissimè statuo, me usq; ad mortem tibi famulaturum.

Fidelissime Domine, si per annos mille in hac vita molestissima laborandum esset, à proposito tibi vacandi non desisterem.

Misericordissime DEUS absit à me, ut ob ullam adversitatem consilium mutem.

Potiùs, amantissime Domine, uri me sinam, quàm ab instituto desistam.

Etsi oporteret, benignissime DEUS, universis mundi miseriis obrui, nunquàm de alio statu cogitarem.

Utinam desideratissime Domine moriar potiùs, quàm à te recedam!

Mihi certè adhærere tibi, Domine, bonum est, propterea perenniter adhærebo.

Actus

Actus Amoris DEI.

QUàm immenſa fuit charitas tua benigniſſime JESU! qui nudus ad columnam alligari, & diriſſimè propter ſcelera mea flagellari voluiſti: itaq; & ego charitatis vinculis tibi alligari volo: nec unquam à te avelli patiar, licet deberem diriſſimis flagellis, propter te, cædi.

Amabiliſſime JESU, utinam vero, & perpetuo amplexu cordis conſtringere te merear!

Utinam cor meum, perfectiſſima ardentiſſima, fideliſſima & perpetua charitate te ſemper colat, ſitiat, quærat, & diligat!

Amo te DEUS meus, magisquè ſemper amare cupio: quia tu es revera omni melle dulcior, & omni luce clarior! idcirco ſuper omne aurum, & argentum, & lapidem pretioſum es mihi carior.

Optatiſſimum bonum meum, abſit, ut aliquid amem præter te.

Dulciſſime DEUS, oro te, ut cordis mei principatum geras.

Amantiſſime Domine, ſacrifico tibi præcordia mea.

Specioſiſſime ſupra omnem mundi pulchritudinem, ure me incendio decoris tui.

Sereniſſime Princeps cordis mei, trahe me poſt te.

Nolo, Rex formâ præſtantiſſime, aliam hæreditatem, niſi te.

Diſcedant à me, ſplendor illuſtriſſime animæ meæ, affectus omnes peregrini, ut totis viſceribus requiram te.

Vive,

Vive, potentiſſime Imperator cordis mei, & dominare ſicut decet te.

Sede excelſiſſime Domine, in æterna ſede Majeſtatis tuæ.

Benè eſt, opulentiſſime DEUS viſcerum meorum, ut ſis feliciſſimus intra te.

Placet mihi certè ſempiterne Rex, ut regnes in æternum, & ultra.

Utinam, puriſſime ſplendor cordis mei, poſſem ſubdere tibi, omnia corda filiorum Adæ ut requirerent ſolam pulchritudinem tuam!

Utinam innumera millia cordium, quotquot tibi placuêre, vel placere poſſunt, ipſe poſſiderem, ut immenſis tui deſideriis æſtuarem!

Amo te, DEUS meus; quia DEUS es. Amo te, æternitas mea; quia æternus es. Amo te, immenſitas mea; quia immenſus es.

In amoris ſignum, gratulor tibi DEUS meus Divinitatem tuam, Simplicitatem tuam, Æternitatem tuam, omneſq; tuas perfectiones, quæ ita ſunt in te, ut idem ſint, quod tu.

Diligam te, Domine, pro dono tuo, & pro modo meo, exiguo quidem, & minùs juſto; ſed non poſſum ultra quàm poſſum: potero autem plùs, cum plùs donare dignaberis, nunquam tamen prout dignus haberis.

Ad te ſummum bonum, toto cordis affectu feror; in immenſa bonitate tuà exulto: gaudeo quòd omnes Angeli, & Sancti ament, adorent & laudent, amabunt, adorabunt, & laudabunt te in æternum.

Utinam, ſvaviſſime JESU, eâ flammâ arderem amoris tui, quâ ardent Seraphim, quâ ardet Virgo Mater tua Sanctiſſima, quâ ardes tu!

O ſi poſſem ab omnium cordibus amorem, qui non eſt tuus, avellere, & tuum inſerere, ut amore tuo omnes arderent, & langverent!

Quàm pœnitet me, quòd alia extra te dilexi! O ſi poſſem, DEUS meus, tranſactos revocare annos meos, & peractæ ætatis ſpatia amoris tui ardentiſſimi actibus infinitis replere!

Reple, DEUS meus, animam meam amore tuo; ut amore totus ardeam, & amore æſtuans, amore tuo moriar.

PRO FERIA QUINTA.

Hac die exerceri poſſunt Actus.

Fiduciæ, Reſignationis, Longanimitatis, & Actus ad Cor Piiſſimum JESU.

Actus Fiduciæ.

O Amantiſſime JESU, quem credo eſſe verum DEUM & hominem perfectum, qui, ut verus homo, in ſummis doloribus tuis, quos habuiſti in crudeli coronatione, & paſſione tua fiduciam in DEO habuiſti, te non deſerendum ab eo: ſic & ego exemplo tuo, licet aliquando multis laboribus, tribulationibus, tam internis, quàm externis preſſus fuero, in tuo auxilio mihi præſentiſſimo ſemper ſperabo.

Si conſiſtant adverſum me caſtra inferni, non timebit

timebit cor meum: ſi exurgat adverſum me prælium hoſtium animæ meæ, ego in te ſperabo: quia tu es Dominus illuminatio mea, quem igitur timebo? tu es, fidelis protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

O dulciſſime DEUS, qui Danielem de lacu leonum, Joſephum de carcere, Nòé de diluvio, tres pueros Hæbreos de camino ignis ardentis eripuiſti: confido & ego, quòd & me ex omnibus neceſſitatibus, & periculis liberabis.

Habeo pro certo, Domine DEUS meus, quòd vita mea ſi in probatione fuerit, coronabitur; ut me rectus ſervus tuus B. Job certum reddit

Firmiſſimè ſpero, quòd orationes meas, ſi quando juſtum & expediens poſtulabunt, tu benigniſſime Domine exaudies.

Domine DEUS meus, ſi aliquando auxilium diſtuleris nunquam deſperabo; ſed viriliter agam, & ſuſtinebo te Dominum meum.

O miſericordiſſime DEUS, qui es amicus noſter, & nos verè diligis, cum magna fiducia audebo ſemper poſtulare à te, quidquid mihi opus erit; videlicet, ut ſanctè & perfectè vivam; & tibi virtutum poſſeſſione placeam; & procul dubio nihil mihi denegabis.

O Dilectiſſime JESU, dum te video in cruce pendentem, & caput tuum inclinatum ad oſculandum, brachia extenſa ad amplexandum, manus perforatas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, totius corporis extenſionem ad ſe totum

impen-

impendendum, rapitur anima mea ad ſpem firmiſſimam, & ad fiduciam impetrandi omnia, à tua infinita clementia.

Dulciſſime Domine DEUS meus, cum optimè noverim, in te ritè ſperanti auxilium gratiæ tuæ nunquam defuturum; idcircò tibi fiducialiſſimè ſemper adhærebo.

Tibi in univerſis meis neceſſitatibus & anxietatibus ſimpliciter ſemper confidere volo: quia tu ſolus fortitudo, vita mea, ſalus mea es in æternū.

O JESU, quomodo tibi hanc injuriam irrogabo, ut de te diffidam? abſit à me tantum ſcelus, dulciſſime JESU, immò verò in te omnem ſpem, & fiduciam meam reponam, teq; cum Propheta his verbis alloquar; Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me. Tu eruiſti animam meam, ut non periret: projeciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.

Actus Reſignationis

O Dulciſſime JESU, qui in acerbiſſima Coronatione & Paſſione tua, reſignatus fuiſti in omnem voluntatem Patris æterni: ſic & ergo imitatione tui, reſigno me totum ſanctiſſimæ voluntati tuæ, quæ mihi in omnibus, nunc & æternaliter charior eſt poteſtate, quæcunquè vellem eligendi.

Piiſſime DEUS, vitam & voluntatem meam in manus tuas conſigno.

Operare in me, Domine, & utere me, pro tuo beneplacito, in tempore, & æternitate. Fide-

Fideliſſime Domine DEUS meus, ſicut ab æterno, & priuſquam ego eſſem, mecum agere decreviſti: ita, quæſo, age, non juxta meam, ſed ſecūdùm acceptiſſimam mihi voluntatem tuam.

Fiat, Domine, in me, & de me, non quod ego volo, ſed quod tu vis, & quod honori tuo magis congruit.

Domine, ſi tibi videtur, ut caream hâc vel illa gratiâ, ego pro tua voluntate, eâ carere potius volo, quàm ex propria poſſidere.

Domine DEUS meus, ſi in tui vergeret laudem ut poſt obitum meum annis quinquaginta flammis purgatorii cruciarer, illico ſub pedes tuos me abjicerem, & in tui honorem, pænas illas animo paratiſſimo exciperem.

Fac, Domine, de anima & corpore meo, de amicis & de rebus meis, deque cunctis negotiis, quod tibi placitum eſt, nunc & in ævum ſempiternum.

Da mihi, DEUS meus, quidquid vis, quando vis, & quantum vis.

Paratum cor meum, DEUS, ad amandum & dimittendum, ad agendum & patiendum, non juxta meam, ſed tuam voluntatem.

Paratus ſum ad tolerandum, per gratiam tuam, pro gloria nominis tui, quamlibet ignominiam & injuriam, quemlibet mei contemptum, quodlibet opprobrium, quamlibet tribulationem, quemlibet dolorem.

Paratus ſum carere quavis conſolatione ſenſibili;

bili; & non recuſo vivere, ô Amabiliſſime JESU, ſi ita velis, in eadem paupertate & afflictione, in qua tu vixiſti.

Reſigno me, Domine, ita integrè voluntati tuæ ſanctiſſimæ, ſicut aliquis unquam fecit homo, aut facere debuit.

Deſideratiſſime Domine JESU Chriſte, ego ex hac hora, & deinceps in omne ævum, nihil unquam aliter, aut plùs, vel minùs, in corpore & anima mea, in vita, & morte, in habendo, carendo, patiendo, & agendo, ac dimittendo, volo, atquè appeto, quàm tibi gratiſſimum eſt.

Ecce in manu tua ſum, ſicut ſcis, & vis, ſic fac mecum, Domine.

Domine DEUS meus, nullum locum ad habitandum in hoc vel illo Conventu mihi volo eligere, neq; hoc vel illud miniſterium, vel occupationem: ſed prout de me obedientia diſpoſuerit, omne miniſterium, licet meæ ſenſualitáti repugnans fuerit, acceptabo.

Domine DEUS meus, etiamſi velles in perpetuum in inferno me collocare, ad ſuſtinendas illas acerbiſſimas pænas dummodò à tua gratia non excidam, paratus ſum pro gloria tua id perferre.

O Domine, in manibus tuis ſortes meæ, vita & mors mea in manibus tuis, ſalva, damna, prout placet; & quod cum tua majori gloria eſt, facias, etiamſi ſit cum mea pæna.

Nolo ire in cælum, mi JESU, ſi tu non vis; eligo potiùs infernum, ſi tibi ita complacuit; illū

tamen

taman nollem habere in pænam meorum peccatorum, ſed in præmium mei erga te amoris.

O ſi totius vitæ meæ omnes dies præteritos, omnes horas & momenta, juxta tuam voluntatem & beneplacitum impendiſſem!

O Dulciſſime DEUS animæ meæ, reſtituo me tibi, totumq; trado; ut de me diſponas in tempore & æternitate, prout tibi placet.

Diſpone, Domine, de me liberè ut de tuo proprio jumento, pro gloria tua, & Sanctiſſimæ Virginis Matris tuæ, Dominæ meæ, honore.

Actus Longanimitatis.

PAtientiſſime JESU, qui per longum tempus, cruciatus coronæ ſpineæ propter nos ſuſtinuiſti: ita & ego amore tui, ſi per longum tempus, injurias, moleſtias corporis, & animæ afflictiones ſuſtinere me oportebit, æquo animo hæc omnia tolerabo, ac firma ſpe ſolatium diu dilatum, à te Domino meo ſperabo.

Quamvis per multos dies, menſes, & annos omnia mala mihi ſuſtinenda erunt; nihilominùs ego expectabo Dominum, viriliter agam, & confortabitur cor meum, & ſuſtinebo te Dominum.

Omnes perſecutiones injurias, afflictiones, & quæcunq; alia mala uſq; ad mortem ſi oportuerit me tolerare, patientiſſimè, propter te Dominum meum, tolerabo.

Mentis ariditates, conſolationum Divinarum ſubtractiones, & te DEUM meum te abſconden-

tem, & quaſi in mediis fluctibus, quibus ſubmergimur, dormientem, animo quieto ſuſtinebo.

Si hæc, quæ dixi, ſupervenerint mihi; nunquam tamen in rebus conſolationem, quærere, nunquam à ſtudio ſanctæ orationis ſeparari, nunquam in exercitio virtutis tepeſcere conabor.

In quacunq; gratiæ ſubtractione, illam mentem induere volo, quam habebat S. Job, quando dicebat: Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo. Verumtamen vias meas in conſpectu ejus arguam, & ipſe erit Salvator meus.

O Salvator noſter, ſi tu longiſſimo tempore nos morantes, & tuis obedire mandatis detrectantes expectas, & noſtram ingratitudinem, ſegnitiem, ac ſtultitiam, mirabili longanimitate ſupportas; quare ego vilis homuncio, & inutilis ſervus, te Dominum meum non expectabo? quare à te ſapientiſſimo Magiſtro longo tempore adverſa tolerare non diſcam? quare tibi fideliſſimo Patri omnia proſpicienti, & levare cupienti non fidam?

O DEUS Sanctiſſime quàm magnam longanimitatem erga nos oſtendis! quando nos ad te vocas, pulſas ad cor noſtrum inſpirationibus tuis, invitas præmiis, provocas aliorum exemplis, & diu nos expectas, ut aliquando reſpondeamus vocationi noſtræ.

Unde & ego diſcam ex te ſuſtinere te, quando vocatus ſtatim non aderis: ſed illud præcipuè contendam, ut tuæ longanimitati gratus exiſtam, &

eâ malè non utar, ſed in ea patientiam, ad vitæ meæ puritatem exercebo.

Bonus es Domine, ſperantibus in te & animæ quærenti te: proinde & ego in te ſemper ſperabo, & ſuſtinebo, ac præſtolabor, & ſedulo, puro, ac ſincero corde quæram te.

Domine, ſi tu vis, ut nullum ſolatium percipiam à te in hac vita, & ego id volo: hoc tantummodò ſolatium ſit meum, ut tua Sanctiſſima voluntas adimpleatur in me Præterea pati & contemni pro te deſidero; ſed ad hæc patientiam, & veram humilitatem à te poſtulo.

Actus ad Cor piiſſimum Domini JESU.

O Dulciſſime JESU, qui portans ſpineam coronam productus à Pilato in conſpectum Judæorum, audiens illas crudeles voces: Tolle, Tolle: Crucifige eum: benedictum Cor tuum graviter illis vocibus vulneratum habuiſti: vulnera, quæſo, cor meum, ignito jaculo amoris tui, ut te ex toto corde meo diligam, te intendã, te quæram in omnibus, & ſuper omnia.

O Cor nobiliſſimum, piiſſimum, atquè ſvaviſſimum fideliſſimi Amatoris mei JESU Chriſti, DEI & Domini mei, trahe atq; abſorbe, quæſo, cor meum, omnes cogitatus ac affectus meos, omnes deniq; vires animæ & corporis mei, & quidquid in me eſt, quidquid ſum, aut poſſum in te, ad gloriam & ſanctiſſimum beneplacitum tuum.

O Miſericordiſſime Domine JESU Chriſte, tibi

meipſum

meipſum totum in cor tuum commendo, atquê reſigno. Benigniſſime JESU, aufer à me cor meum pravum, impium ac ingratum; & da mihi Deificum cor tuum; aut fac cor meum ſecundùm cor tuum, & ſecundùm perfectiſſimum beneplacitum tuum.

Domine DEUS, Salvator, & Redemptor meus, infunde mihi ex Sanctiſſimo Corde tuo, quidquid tibi placet: & aufer â me omnia peccata mea, & quidquid tibi diſplicet in me.

Dilectiſſime JESU, fac, ut uniatur cor meum Cordi tuo, voluntas mea voluntati tuæ, ut nunquam aliud velim, nunquam aliter velle poſſim, quàm quæ tu vis, & tibi placent.

O JESU, include me in medio Cordis tui, ut ibi permaneam in æternum.

Largire mihi, ô JESU, Cor tuum, & aſſume tibi meum. Utinam cor meum, dulciſſime JESU, jugi incendio amoris tui in te conſletur, ut omnis amor alius peregrinus in me extingvatur.

Commoda mihi, Domine JESU, Cor tuum & amorem tuum, ut amore amoris tui amem te in æternum.

O Piiſſime JESU, me totum in anima & corpore trahe, intra vulnus Sanctiſſimi Lateris tui, & juxta Cor tuum me colloca, ut ſim ab omnibus hoſtibus meis ſecurus!

Benigniſſime JESU, ſit benedictum piiſſimum Cor tuum lanceâ in cruce transfixum, & amore amoris noſtri vulneratum, pro cunctis miſerationi-

bus, ac beneficiis ad nos inde manantibus: tibi ſit laus, honor, gloria, & gratiarum actio à me, & à ſingulis creaturis tuis, pro tua immenſa erga nos charitate, fac ut diligam te ex toto corde meo, atq; ut placeam inhæreamq; tibi totus perpetuò, & inavertibiliter. Ah Domine DEUS meus, utinam ego ſim verè totus tuus, & tu totus meus!

PRO FERIA SEXTA.

Hac die poſſunt exerceri Actus.

Rectæ voluntatis, Vigilantiæ, Zeli honoris DEI, & Deſiderii patiendi pro Chriſto.

Actus Rectæ Voluntatis.

O Rectiſſime JESU, qui cum eſſes ſemper ejuſdem voluntatis, cum voluntate æterni Patris tui, ſemper fuiſti rectæ voluntatis: & ideò quia Pater æternus voluit te in cruce pro ſalute generis humani mori, & tu hoc idem voluiſti: itaq; & ego, ut habeam ſemper rectam volũtatem, volo ſemper tecum eſſe ejuſdem voluntatis.

Abſit à me, Domine, ut ego aliquid aliud aliquando velim, præter id, quod tu vis.

Dilectiſſime JESU, opto ut omne meum velle, facere, dicere, non ſit aliud, quàm quod voluntas tua Sanctiſſima & rectiſſima vult me velle, facere, dicere: & meum non velle, non facere, non dicere, ſit itidem tuum non velle, tuum non facere, tuum non dicere; fiatq; purè ſolùm quando, quomodo, quantùm tibi placet à me fieri, non aliter.

Succen-

Succensus igne amoris tui. Dulcissime JESU, summè desidero, tuam beneplacentem, perfectam voluntatem semper & in omnibus intelligere, amare, & perficere; & cùm eam perfecero, summè gaudere, ex eo, quòd tuo desiderio satisfeci, & gratum tibi obsequium, quo es superdignissimus, exhibui: Cum autem eam fuero transgressus vehementer dolere, ex eo quòd te offendi, nec gratum tibi obsequium, quo dignus eras, præstiti.

Domine DEUS meus, ante omnes actiones meas elevabo cor meum ad te dicens: Domine, quid me vis facere; jube quod vis; & da velle quod jubes. Doce me facere voluntatem tuam; quia DEUS meus es tu.

Volo Domine, & ad hoc auxilium tuum ex voluntate mea deliberata à te peto, facere, & pati omnem voluntatem tuam omni modo possibili.

Clementissime Pater, sicut tu ab omni æternitate voluisti, antequam ego essem, ita per me, & in me fiat. Charior enim est mihi tua gratissima voluntas, quàm operandi libertas.

Quod tuus infinitus amor, nunc & in omni æternitate à me, & quibuscunq; aliis, factum esse vellet, id ego totum, nunc & in omni æternitate, ob amorem, honoremq; tuum, facere vellem.

O Svavissime DEUS, de omni voluntatis tuæ impletione, summè gaudeo, & exulto.

O jucundissima vita mea, desidero, ut nihil jam præter gratissimam voluntatem tuam, nihil præter te vivat in me.

O utinam quàm ocyùs ita per tuam Sanctissimam voluntatem, & amorem tuum, sim unum tecum, ut possim dicere: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.

Fac, Domine JESU, ut signum, & perpetui amoris tui exercitium in me, sit voluntatis meæ cum tuà consensio, & cordis mei cum tuo velut conjunctio.

Adeò placet mihi tua voluntas Divina, ut si nossem velle tuum esse ut in æternum torquerer in inferno, memetipsum statim spontè in illas flammas præcipitarem, solummodò ut tuæ Divinæ satisfacerem voluntati: dummodò gratiæ tuæ, & amoris tui expers non essem.

Ab hoc momento usq; ad mortem, DEUS meus, hæc erit meditatio mea, Sanctissima voluntas tua, ut eam intelligam: hæc cura & studium meum, ut eam faciam: hæc vita mea, ut sine ea vivere non valeam: quoniam cibus meus est facere voluntatem tuam, quo deficiente, deficere necesse est vitam meam.

Actus Vigilantiæ.

O Vigilantissime JESU, qui diligenter observasti à sæculo à Patre æterno designatum tempus, ad operandum salutem nostram in medio terræ, & ad mortem pro nobis subeundam: proinde & ego, exemplo tuo, semper invigilabo, ad faciendum ea debito tempore, quæcunq; volueris à me fieri, pro honore & gloria tua.

Firmissi-

Firmiſſimè ſtatuo,, Domine DEUS meus, ex amore tui, opportuno, & convenienti temporis puncto, & momento, omnia peragere opera obligationis, devotionis, regularis obſervantiæ, & tuæ ſanctiſſimæ voluntatis.

Excutiam omnem ſomnolentiam & teporem in iis, ad quæ vocatus ſum; videlicet, in mortificandis ſenſibus, paſſionibus, & amore proprio, in vitiis extirpandis, in cultu virtutum, & in exercitio Orationis.

Scio tempus breve eſſe: igitur non patiar dies vitæ meæ, immò neq; horas & momenta, ſinè fructu præterire: verùm dum tempus habeo, operari bonum conabor.

Quæram primum regnum DEI, & juſtitiam ejus: poſtmodùm vitæ hujus neceſſaria.

Etiam in minimis ſtatuo eſſe fidelis, ad quæ implenda, facienda, & ſervanda invigilabo.

Domine, quinq; talenta tradidiſti mihi: itaquê vigilanter negotiari, & diligenter operari volo, ut alia quinq; valeam ſuperlucrari: non ut me excludas ab æterno gaudio tuo: ſed ut per hoc placeam tibi, tuam ſanctiſſimã voluntatẽ faciendo.

Voló, Domine JESU, fideliſſimè ſervare mandatum illud tuum, quod nobis dediſti, dicens: Vigilate; quia neſcitis diem neq; horam. Et iterum: Vigilate; quia neſcitis, quâ horâ Dominus veſter venturus ſit.

Igitur vigilabo ſemper, ut cuſtodiam legem tuam & mandata tua. Vigilabo ad omnes inſpirati-

ones tuas, quinimò ad minimum nutum voluntatis tuæ Divinæ, ut ei obediam.

Vigilabo super sensus meos, illos custodiendo ab omni vanitate, ne in vana & inania se effundant: ab omni superfluitate, ne inutilia percipiant: ab omni otiositate, ne in rebus nihili tempus terant.

Vigilabo super cogitationes meas, ut tantummodò utiles & necessarias, ad tuum honorem & gloriam, & animæ meæ salutem, admittam: jam verò inanes & otiosas effugiam.

Vigilabo super verba mea, ne in illis quidquam sit, quod proximum offendat, aut quod tibi minùs gratum appareat.

Vigilabo super cor meum, ut nihil desideret, quod à limitibus virtutis exorbitet.

Vigilabo super opera mea, ne scilicet malum faciam, & ut bonū benè, & diligenter perficiam.

Vigilabo super bona proposita mea, ut ea fideliter exequar, & adimpleam.

Vigilabo ad quævis, quamvis dura & difficillima, à Superioribus & Vicariis tuis imperata, & injuncta perficienda.

Vigilabo, ut non tantùm gravibus, verùm etiam ut ne levissimis peccatis, voluntate deliberata tuam infinitam bonitatem offendam.

Etiam cum aliquando dormiero, volo ut cor meum ad te, per amorem, vigilet: & cum è somno evigilavero, ad te cor meum semper elevare propono.

Abſit à me Domine, ut corde dormiam & corpore vigilem: quemadmodum faciunt illi, qui torpent in ſpiritualibus, ſolliciti nimiùm de terrenis & temporalibus.

O Bone JESU, qui dixiſti Apoſtolis ſomno gravatis: Non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum. Fac ut poſſim ſemper tecum vigilare tum orando, tum benè operando, quod tu vis, & jubes.

Utinam ſim, benigniſſime JESU, ſicut deſidero, & te rogo, de numero illorum fidelium ſervorum tuorum, quos tu laudas: Beati ſunt ſervi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes, laborantes, benè operantes, non otiantes.

Actus Zeli honoris DEI.

O Dilectiſſime JESU, qui tanto fervore, honorem Patris tui æterni ſitiviſti ut pro reſarciendo illo contemptu, quem primi Parentes noſtri in Paradiſo, per prævaricationem mandati ejus, ipſi fecerunt, mortem ſubire in cruce acerbiſſimam, ignominioſiſſimam volueris: igitur & ego, imitatione tui, & exemplo, zelo ferventiſſimo ſemper quæram honorem DEI.

O ſuperamandiſſime DEUS, amo te ſuper omnia tibi omne bonum potiùs, quàm mihi appeto, cupio & faveo: tuumq; cultum Divinum, & tui beneplaciti impletionem, totis viribus procurare volo, & per te, propono.

De tuo honore, & omni bono tuo, & pleno dominio, ac beatitudine, ac voluntatis tuæ impletione,

one, magis gaudeo, tibiq; congratulor, quàm de quocunq; bono meo.

O Dilectissime DEUS, doleo ex toto corde propter amorem tuum, quòd huc usq; non talem, ac tantum honorem tuæ Divinæ Majestati exhibui, prout debui; sed abhinc emendationē propono.

Mori millies, ac occidi crudeliter sum paratus, quàm aliquid contra honorem tuum committere.

Utinam te DEUM meum tanta laude, honore, & amore prosequi possem, quo te Sancti, & Angeli omnes immò & ipsa Beatissima Virgo MARIA, ac Sacratissima Humanitas tua prosequuntur; & cum id non possim, tu desiderium hoc meum acceptare digneris.

Volo, & desidero, & millies, ac millies opto, totisq; viribus procurare, per te, propono, ut omnes ac singulæ creaturæ rationales te cognoscant, adorent, glorificent, & ament, atquè honore debito prosequantur.

O si possem pro tuo honore & gloria, vitam & sangvinem profundere, ac perferre universa Martyria, quæ Sancti Martyres pertulerunt; ac omnes labores ac curas subire, quas alii pro tuo promovendo cultu subierunt.

Ecce me ad hæc omnia offero, confidens in tua bonitate, quod hanc voluntatem meam non despicies, qui tantùm industriæ in promovendo honore tuo collocare statuo, quantùm sufferre vires nostræ tuâ gratiâ Divinâ adjutæ, possunt.

Semper alacriter, pro tua gloria, Domine DEUS

US meus, laborare volo, & ex hac alacritate, fervidè & perſeveranter ad labores perferendos proſilire decerno. Præterea, tanti facio honorem & gloriam tuam, ut eligam potiùs manere in inferno, & pati omnia tormenta, quàm ut tu vel unico momento priveris tuo honore; cùm tibi omnes honores debeantur, mihi autem omnes pœnæ & anxietates; & ne defrauderis tuo debito honore, veniant obſecro, ſuper me omnia opprobria, anxietates, & miſeriæ.

Et ſi hoc non ſufficiat ad te honorandum, veniant ſuper me omnia mala animæ & corporis abſquè peccato, eaq; talia & tanta, qualia & quanta tu ſcis poſſe inveniri, ſive in inferno, ſive in terreno hoc mundo, ſive in purgatorio, & ſi quæ fieri poſſunt iis adhuc majora, gravioraquè: Sed tu interim, ô amor meus, ne obliviſcaris mei, ſed des mihi gratiam & fortitudinem ad ſuſtinendum illa, ſicut ego libenter, pro amore & honore tuo, paratus ſum illa acceptare.

Actus Deſiderii patiendi pro Chriſto.

O Patientiſſime JESU, qui dignatus es pro me ligari, conſpui, alapis percuti, colaphis cædi, flagellari, ſpinis coronari, & variis modis affligi, atq; multa acerbiſſima tormẽta pati: deniq; morte crudeliſſima in Cruce mori, quæ omnia amore mei ſuſtinuiſti. Quid igitur & ego faciam tibi? ô bonitas immenſa! ô miſericordia infinita! ô dulcis amator hominum! an non meritò

&

& ego, amore tui, pati, & affligi, & morte acerbissima, mori desiderare debeam?

Tu DEUS, tu Rex, & Dominus, passus es mei amore tanta pro me; pro me! an hoc capio, & credo, & sentio?

Sensit hoc Orbis & ingemuit: sensit terra & contremuit: & ego non sentiam? Verè si hoc parùm sentio, parùm te amo, omni amore dignissimum.

Ecce paratum cor meum DEUS, paratum cor meum, ire extra castra, & improperium tuum portare, ferre crucem tuam, & sequi te.

O invictissime Vir dolorum, & sciens infirmitatem! ecce cor meum tibi, ad tolerandũ probra, injurias, & omnia mala, in corpore & anima.

Omnes, per quos hoc mihi miseris, tanquam amabilissima vasa gratiæ tuæ amabo, beneficiis rependere curabo, & tibi laudes & gratias referre.

Omni consolatione indignissimus, nullam quæram consolationem, de nulla creatura querar, non me multa pati cuipiam indicabo, nisi ubi tua voluntas fuerit. Quæ enim mihi flagella injusta, qui infernum promerui?

Non reputo, ô JESU, non reputo quidquam majus, quo te glorificare debeam, quàm si cum gaudio durissima & asperrima quæq; pro te patiar.

O Amor meus crucifixus, si non licet mihi in cælis assistere tibi in gloria; liceat mihi in terris pondere crucis onusto, sequi tua vestigia.

Non tot, ô fortitudo & vita mea! non tot

patiar,

patiar, quin plura pati optem, pro amore tuo.

Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, & totius corporis contritio, & cuncta tormenta diaboli veniant in me, tantummodò te Chriſto Domino meo fruar.

Nullum, ô vita jucũdiſſima cordis mei, nullum laborem, moleſtiam, difficultatem, perſecutionem, pro te, & pro juſtitia, recuſabo.

Per infamiam & bonam famam, per adverſa & proſpera, à dextris & à ſiniſtris propter magnum amorem tuum, dimicabo.

O utinam, qui cum ſanctis tuis te æternùm amare & laudare volo; etiam nunc cum illis fortiter pugnem, & magna operer, propter te uſquè ad mortem!

Utinam exemplo Martyrum dura pro te patiar; & conſtantiâ Confeſſorum perſeveranter adhæream tibi, donec venias & aſſumas me ad te ipſum!

Infirmus ſum, fateor, & dura horreo: ſed pone me, ô fortiſſime JESU, juxta tè, & cujusvis manus pugnet contra me, nihil timebo, nihil detrectabo.

Nihil me poſſe ſinè te ſcio; ſed in te, & propter te, transgrediar murum.

Pudet me ignaviæ meæ antiquæ; ſed ex nunc ego imbecillis ſervus tuus, opto, maximos quoquè Sanctos in patiendo, & faciendo omnia, propter te, imitari amore tui.

PRO

PRO DIE SABBATI.

Hac die possunt exerceri Actus.

Simplicitatis, Gratitudinis Præsentiæ DEI, Petitionis Amoris DEI à Virgine Sanctissima.

Actus Simplicitatis.

O Purissima Virgo, quæ mortis & passionis dilectissimi Filii tui tempore, nullam simulationem in doloribus tuis ostendisti: quia nec majores, nec minores te habere, quàm in rei veritate essent, indicasti, servans in omnibus decētissimam simplicitatem, in cujus simplicitatis exemplo, te imitari, firmissimè propono.

O Dulcissime JESU, sicut tua dilectissima Mater Virgo MARIA, talem se exteriùs verbis & factis exhibuit semper, qualis interiùs fuit: sic & ego, ob amorem honoremq; tuum, & ipsius, me semper gerere, totius vitæ decursu volo.

Servavit, Benignissime JESU, tua dulcissima Mater Virgo MARIA simplicitatem vitæ, operū suorum, & intentionis: servavit in conversatione, in vestitu, in incessu, & in sermone; ita & ego servare conabor.

Absit à me, ut aliquam virtutem, sanctitatem vitæ, & bonitatem, quam non habeo, fictam ostendam.

Vitabo semper omnem hypocrysim, simulationem, duplicitatem, & multiplicitatem, quæ tibi displicet;

displicet; & amplectar simplicitatem, quæ tibi placet: Nam cum simplicibus est sermocinatio tua.

Fugiam semper astutiam, fraudem, & dolum: verùm cum simplicitate, sinceritate, & veritate, cum omnibus proximis agam.

Si de rebus sublimibus, & difficillimis, vel aliis, quarum ignarus sum, loquendum mihi erit aliquando, sincerè meum defectum, & ignorantiam meam in his fatebor.

Semper de te Domino meo, & de servis tuis, in bonitate, seu simplicitate sentire, & coram aliis loqui statuo.

O Bone JESU, tu docuisti nos dicens: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: hoc est, si recta & bona intentio tua, in quocunq; opere tuo fuerit, totum opus tuum bonum erit: ideò hanc tuam salutarem doctrinam semper tenebo; ac in omnibus operibus meis hoc unum intendam, videlicet, gloriam, honorem, & beneplacitum tuum.

Scio, Domine, quia tibi placent, qui ambulant coram te in simplicitate cordis, seu rectâ intentione, in omnibus quærendo tibi placere, & proximum non lædere, nec eum per simulationem decipere: sic Domine DEUS meus, sic & ego ambulare coram te volo, ut tibi placeam.

Opto, Domine, de numero esse parvulorum: hoc est, simplicium & humilium, quos tu benignè recipis, ut olim dixisti: Sinite parvulos venire ad me; talium enim est regnum cælorum. Rogo, ut

me quoquè in regnum cælorum, cum his parvulis recipias, in quo cum omnibus Sanctis tuis te laudare & amare in æternum desidero.

Actus Gratitudinis.

O Dulcissima Virgo, quæ sciens, quia fecit tibi Dominus magna qui potens est, semper eum laudasti, benedixisti, magnificasti, sæpiùs ac sæpiùs dicens: Deo gratias: Deo gratias: quibus verbis tuam singularem erga DEUM, summum Benefactorem tuum, gratitudinem manifestabas: itaquè & ego tuum exemplum secutus, semper Domino DEO gratias agam, pro magnis beneficiis, ab eo mihi collatis, ut sic ei debitum gratitudinis persolvam.

O utinam, benignissime JESU, ita devotum erga te habeam gratitudinis affectum, pro tuis in me maximis beneficiis, sicut Beatissima Virgo MARIA vivens in terris habuit.

O Dilectissime JESU, ex affectu ipsius sanctissimæ DEI genitricis Virginis MARIÆ, & omnium Beatorum Angelorum, & Sanctorum, habeo tibi gratiam, pro immensis tum naturalibus, tum supernaturalibus bonis, quibus me semper cumulas.

Misericordissime Domine, pro beneficio creationis, conservationis, redemptionis, justificationis, præservationis, pro auxiliis tuis, inspirationibus, & cunctis beneficiis reddo tibi, Domine, cor meum: offero viscera mea: sacrifico tibi in hostiam laudis præcordia mea: te in me, & me in te,

JESU mi chariſſime, in holocauſtum laudis tibi offero.

Immò ô DEUS meus, miſericordia mea, perſolve pro me tibi-metipſi pro omnibus bonis tuis, quæ feciſti, facis, & facturus es mihi, laudes æternas immenſas, quales tu potes, laudans te in te, in me, & pro me.

Laudet te omnium miſericordiarum tuarum immenſum pondus.

Jubilet tibi pro me glorioſiſſimæ Virginis Matris MARIÆ digniſſimum Cor, & Anima, admirabile tabernaculum gloriæ tuæ.

JESU bone, laudo te, & quidquid minùs eſt in me, rogo, ut ſuppleas pro me. JESU bone, amo te, & quidquid minùs eſt in me, rogo, ut cordis tui amorem DEO Patri offeras pro me.

Utinam amabiliſſime DEUS univerſa Angelorum & Sanctorum, & quotquot in univerſo mundo tibi placent, Filii præſertim tui unigeniti, ac Matris ejus poſſiderem corda, quæ tibi gratiſſimo affectu conſecrarem.

Quo pacto poſſum, dulciſſime Domine, JESUM Chriſtum Redemptorem meum, ac Beatiſſimam Virginem MARIAM, & omnes Angelorum Hierarchias, & Beatorum reliquorum, juſtorumquè animas, quas rogo mihi ad gratitudinem ſociari, tibi pro beneficiis reddo.

Actus Præſentiæ DEI.

O MARIA DEI genitrix Virgo, quæ omnium tormentorum, dolorum, & paſſionis unigeniti

Filii tui Domini noſtri JESU Chriſti, nunquam immemor fuiſti; ſed hæc omnia præſentiſſima præ oculis mentis tuæ habuiſti; & cui ſemper DEUS dilectiſſimus præ oculis in corde præſentiſſimus fuit: curabo & ego, exemplo tuo, univerſa illa, quæ pro nobis paſſus eſt JESUS Chriſtus Dominus noſter Filius tuus, in memoria perenni habere, de iis cogitare, pro his omnibus gratias agere: curabo & DEI præſentiam ſemper in corde & anima fovere.

Credo, Domine DEUS meus, te mihi ſemper & ubiq; eſſe præſentiſſimum, intentiſſimum, & ad ſuccurrendum promptiſſimum: ideò volo, propter te, & per te, firmiter propono, te DEUM omnitentem, & ſupremum Dominum, cum profunda, intima, ac humillima ſubmiſſione adorare, revereri, meq; totum tibi ſubijcere.

Volo, atq; decerno, ô Pater mi Cæleſtis ſuperpiiſſime, ob venerandam præſentiam tuam, filiali & caſto timore te timere, & ſollicitè in omnibus præcavere, ne in aliquo te offendam, & beneplacentem voluntatem tuam, omiſſione aliqua, vel commiſſione tranſgrediar.

Præterea, memor præſentiæ tuæ Divinæ, volo, & per te propono, te in omnibus, & ante omnia purè intendere: nullumq; opus internum, aut externum aggredi, niſi propter amorem & beneplacitum tuum.

Tecum dulciſſime DEUS meus ſemper commorabor, qui mihi es præſentiſſimus: de te cogi-

tabo: nihil extra te quæram: nihil desiderabo. Tu in quo omnia, sis mihi omnia, & supra omnia, DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternū.

Largire quæso, Domine, ut in omni loco & tempore, te præsentem sentiam, te diligam, & quod acceptum tibi sit faciam.

O Domine, scribe quæso, in tabulis cordis mei dulcem tui memoriam, nulla unquam oblivione delendam. Scribe voluntatem tuam, & justificationes tuas, ut te immensæ dulcedinis Dominum, & præcepta tua, semper & ubiquè habeam præ oculis meis.

Adhæreat, Domine DEUS meus, lingva mea faucibus meis, si non meminero tui, in principio lætitiæ meæ & sermonis mei: oblivioni detur dextera mea, ne quid ei prosperè deinde eveniat, si oblitus fuero tui.

Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationē, sinè te dulcissima & unica requie mea; & requiem temporibus meis, donec faciam locum tibi in corde meo, vertatur somnus meus in pœnam oculis meis.

Auferatur priùs, ô dilecte cordis mei DEUS meus, lumen ab oculis meis, & anima à corpore meo, quàm tu à corde, & præcordiis meis.

Nomen tuum, & memoriale tuum, Domine mi, in desiderio animæ meæ. Anima mea desideravit te in nocte: sed & spiritu meo de mane vigilabo ad te.

Veni gaudium spiritus mei in me: videam te

lætitia cordis mei. Ecce memor fui DEI mei, & delectatus ſum.

Petitio amoris DEI à Virgine Sanctiſſima.

O DEI amantiſſima Virgo DEI genitrix MARIA, quæ ſicut ipſa ferventiſſimi amoris DEI ignibus ſemper æſtuabas; ita, ut hoc idem, omnes creaturæ rationales facerent, ardentiſſimè deſiderabas: ecce ego nunc idem à te poſtulo, ut mihi id impetrare velis, ut DEUM meum, Creatorem meum, Patrem meum, ſuper omnia diligam ſemper.

O Virgo ſuperbenedicta, cujus anima tota ſemper ferebatur in DEUM, Divini amoris vulnere ſauciata clamans: Dilectus meus mihi, & ego illi: effice, ut animæ meæ quoquè ſolus DEUS ſit ſemper dilectus.

O Virgo Sanctiſſima, cujus Filius ſpecioſus formâ præ filiis hominum, cujus ſpecie & pulchritudine, oculorum mentis & corporis intuitus tuus mirum in modum ſemper oblectabatur, excitans in te ſummum erga eum amorem: fac, ut hanc ſpeciem & pulchritudinem Filii tui, tota mentis intentione contempler ſemper, dicens: Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus, quem amo ex totis viſceribus cordis mei.

O Ardentiſſima Virgo, quam velut ignis ferrū Spiritus Sanctus totam decoxit, incanduit, & ignivit; ita, ut in te Spiritus S. flamma tantum videatur, nec ſentiatur, niſi tantum ignis amoris DEI: ſupplex

ſupplex rogo intercede pro me, ut idem Spiritus Sanctus ignem ſui amoris accendat in corde meo, ut ardeat ſemper, & nunquam per aliquod peccatum extingvatur.

O Vigilantiſſima Virgo, cujus cor vigilabat, dum tuum corpus dormiebat; vigilabat autem ideò, quia cor, mentemq; tuam ſemper urebat DEI amor. Ita enim per diem mens tua ſanctiſſimis meditationibus, affectibus, & amoribus DEI ſe occupabat, ut dormiens eoſdem iteraret.

O ſi & ego, per tuam interceſſionem ita amem DEUM meum ſemper, quantùm volo, quantùm debeo, ut ipſe ſolus ſit ſola intentio, & omnis meditatio mea; ut ipſum ſolum mediter ſinè ceſſatione in die: ipſum ſolum ſentiam per ſoporem in nocte: ut dicere poſſim: Ego dormio, & cor meum vigilat ad te DEUS meus.

O Beatiſſima Virgo MARIA & Mater DEI, utinam exemplo tuo & modo, ſolum DEUM præ omnibus deſiderem, quæram, & amem, & nihil ampliùs, illiq; ſoli in omnibus placeam! Adjuva me in hoc deſiderio meo, Domina mea clemētiſſima.

O Dilectiſſima Virgo, cujus totus vitæ curſus, perpetua quædam fuit fax Divinæ dilectionis inextincta: ſuccende quoq; in corde meo hanc facem continui amoris DEI, & præſta, ut ſemper concremet viſcera mea.

O Dulciſſima Virgo, quæ Divino amore ſemper exardeſcens, & tantum ignem intra te retinere non valens, dicebas: Fulcite me floribus; quia


amore langveo: hoc eſt, quia præ amoris magnitudine penè morior: tribue mihi frigeſcenti vel modicam ſcintillam, de igne immenſo erga DEUM amoris tui, ut langveat ſemper præ amore DEI anima mea.

O Piiſſima Virgo, rogo te per dilectionem, quâ diligis Filium tuum, ut ſicut diligis & diligi vis eum: ita mihi impetres, ut verè diligam eum.

Sentio me debilem ad diligendum Filium tuum, cum tam ardenti charitate, ut deberem: ideò rogo te, Mater Miſericordiæ, ut ligare digneris charitatem ejus ſuper cor meum: & attrahe illud ad Filium tuum, toto conatu ſeparatum ab omni dilectione carnali.

Fac, ô mater mea dulciſſima, ut dilectiſſimi Filii tui, timorem, pariter & amorem ſemper in corde meo habeam, atquè me in tua & ejus dilectione morientem, in viam ſalvationis & ſalutis dirige.

Oro te, Domina mea, per fervorem quo anima tua in DEUM, velut ſcintilla in ignem ſuum revolavit, ejuſquè Divino cordi adhæſit, ut etiam anima mea tam ferventi amore ſuccendatur, ut in hora mortis, ab omni impedimento libera, feliciter in DEUM valeat euolare.



ALIA

ALIA EXERCITIA VIÆ UNITIVÆ

Et Actus, ad Viam unitivam propriè pertinentes,

Videlicet:

Actus Amoris DEI, Gaudii, Laudis, Gratiarum actionis, & Desiderii videndi DEUM.

PRO DIE DOMINICO

Actus Amoris erga Sanctissimam TRINITATEM.

O Sanctissima, & individua Trinitas, unus DEUS, credo te trinum in personis, & unum in essentia, DEUM, & Dominum universorum, Creatorem, & Conservatorem, & Remuneratorem nostrum, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.

Credo tibi, tanquam infallibili veritati; & ideò credo vera esse omnia, quæcunquè à te revelata credit Sancta Mater Ecclesia.

Credo in te, amando te, & omnia in honorem, amorem, tuumq; beneplacitum dirigendo.

Spero Domine te, & à te; confido in te, & in tua misericordia, in auxiliis, & promissis tuis, & in meritis Christi.

Amo te, DEUS meus, summum bonum super omnia: amo te amore, fervore, & zelo omni possibiliter ignitæ charitatis.

Amo me ipsum propter te: amo omnem homi-

nem, etiam inimicum, ingratum, inutilem, & ignotum, ſicut meipſum propter te.

Amo omnem creaturam in te, & pro omni creatura amo te.

Omnes omnium creaturarum ſubſtantias, potentias, efficacias, actus, affectus, circumſtantias bonas mihi, ô Sanctiſſima Trinitas, approprio, atquè aſſumo, & meipſum unum cum illis, quoad fas efficio: atquè ita me cum omnibus, & omnes mecum pro me, & pro omnibus, in tuum omnimodum amorem, honoremquè ſacrifico.

Omnibus poris, corporis mei, omni capacitate mea, utramq; ſubſtantiam meam, quam à te, Sanctiſſima Trinitas DEUS meus, habeo, in te, & in amorem tui, ignitiſſimè concremo, atq; holocauſtifico: ad omnem quidem guſtum tuum, ſed nominatim ad ſupplendas omnes meas, & omnis creaturæ omiſſiones, imperfectioneſq; in te glorificando commiſſas, ut quantùm ex me, ſit tibi DEO meo, laus pleniſſima, charitas perfectiſſima, exaltatio omnimoda, ab omni creatura, & à me, ſemel pro ſemper.

Sanctiſſima Trinitas, DEUS omnium, & meus naturalis Dominus, ſupernaturaliſq; finis, te agnoſco, amo, deſidero, laudo, adoro, tibi obedio, te timeo, veneror, dignifico, & exalto ſuper omnia, dignitatiq; tuæ me devoveo, ac devotum facio, quia verè digniſſimus, & ipſa dignitas es, & quia ego omni ratione ſervus, mancipium, jumentumquè ſum tuum.

Quod

Quod totum facio affectu tuo, affectu Sanctissimæ Verbi æterni JESU Christi Humanitatis; affectu gloriosissimæ Virginis MARIÆ Matris DEI: affectu omnium beatorum spirituum: affectu omnium Sanctorum & Sanctarum: affectu omnium denique Creaturarum.

Amo te DEUS meus, & vellem te amare atq; laudare, ipso corde JESU DEI & Hominis. Per illum te amo, per illum te laudo, ideò, quia amas sic à nobis amari, atq; laudari.

Utinam possem te infinitè ipso Spiritu tuo diligere: sed quia id non possum, da mihi Spiritum Sanctum tuum, amoris veri Magistrum unicum & optimum. Quia enim tu DEUS dilexisti nos, ut à nobis diligereris, Spiritũ Sanctum dedisti nobis, ut per eum charitatem tuam, in cordibus nostris effunderes, ut anima nostra tibi vicem rependeret in amore.

Da igitur, ut amem te vicissim DEUS meus, à quo video me amari, & quem stupeo tanto amore circa me occupari, quasi omnium aliarum creaturarum sis oblitus. Fac ut obliviscar, tui amore, omnium creaturarum, quæ me à te amando possunt abducere.

Cum tu DEUS meus, animam amas meam, tunc æternitas ipsa me amat, immensitas amat: necesse est ergo animam meam te DEUM immensè & æternaliter reamare, si debet in te DEO perfectè quiescere.

O Sanctissima Trinitas DEUS meus, da, ut è

conversо

converſo amori tuo, cum omnibus viribus meis, penitùs me immergam, nunc velut in amoris perfecti tyrocinio, poſtea plenè in cœlo; ubi implebo illud tuum beatiſſimum dilectionis præceptum, quod in hac vita impoſſibile eſt undequaq; implere.

Actus Admirationis.

O Beata Trinitas, te unum in ſubſtantia, Trinitatem in Perſonis confiteor.

Te ſemper idem eſſe, vivere & intelligere profiteor.

Te DEUM verum, unum in Trinitate, & Trinitatem in unitate adoro & laudo.

O Domine DEUS noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra?

Magnus es Domine & laudabilis nimis, & magnitudinis tuæ non eſt finis.

Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt.

Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt.

Et virtutem tuorum mirabilium dicent, & magnitudinem tuam narrabunt.

Memoriam abundantiæ ſvavitatis tuæ eructabunt, & juſtitia tua exultabunt.

O Domine DEUS meus verè magnificus es vehementer.

O Pelagus omnis eſſentiæ & exiſtentiæ! Tu es ipſummet Eſſe continens omne eſſe, à te omnia pendent & effluunt, & in te refluunt, & eatenus

ſunt, quatenus aliquid tui eſſe participant.

Quàm immenſa & incomprehenſibilis eſt perfectio tua, Domine, cui nihil deeſt, & à quo omnia perfectionem accipiunt!

Confitebor ergo tibi, Domine, quia terribiliter magnificatus es.

Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit ea.

Tui enim ſunt Cœli, & tua eſt terra, orbem terræ, & plenitudinem ejus tu fundaſti Aquilonem, & mare tu creaſti.

Tu fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi.

Tuus eſt dies, & tua eſt nox: tu fabricatus es auroram, & ſolem, & ordinatione tua perſeverat dies, quoniam omnia ſerviunt tibi.

Sed quis veſtigia tua comprehendet? excelſior cœlo es, quid faciam? profundior inferno, & unde cognoſcam? longior terra menſura tua, & latior mari?

Qui extendis Aquilonem ſuper vacuum, & appendis terram ſuper nihilum.

Qui ligas aquas in nubibus ſuis, ut erumpant pariter deorſum.

Qui tenes vultum ſolii tui, & expandis ſuper illud nebulam ſuam.

Terminum circumdediſti aquis, uſq; dum finiantur lux & tenebræ, columnæ cœli contremiſcunt, & pavent ad nutum tuum.

In fortitudine tua maria congregata ſunt, & prudentia tua percuſſit ſuperbum.

Spiri-

Spiritus tuus ornavit cœlos, & obstetricante manu tua, eductus est coluber tortuosus.

Ecce hæc, ex parte, dicta sunt viarum tuarū, & cum vix parvam stillam sermonis tui audierimus, quis poterit tonitru magnitudinis tuæ intueri?

Verè mirabilis es, Domine, in te ipso, mirabilis in operibus tuis. Tu facis mirabilia magna solus.

Utinam intellectus meus, rerum novarum & mirabilium indagator, te solum consideret!

Utinam nihil admirer, nisi te unum!

Quidquid hic mortale sese ingerit oculis meis, contemno illud, præter te, vita mea DEUS.

Tu enim sapientissimus es, & attingis â fine ad finem fortiter, & omnia in numero, pondere, & mensura disponis, & tribus digitis appendis molem terræ.

Tu omnium Artifex, ô æterna Sapientia! tua igitur consilia, tuam viam sequar, & non ambulabo in tenebris. Tu enim mihi lux es: tu illuminator meus; tu revelas profunda: tu deniq; diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorū, quæ fecisti.

Quomodo igitur non diligam te DEUS meus fortitudo mea? quando sponsabis me tibi in justitia, & judicio, & misericordia?

Utinam magne DEUS Zelotes, DEUS æmulator, nullius alterius rei amor occupet cor meum, sed toto corde tibi adhæream, & in pace in idipsum (quoniam tu princeps es & auctor pacis) dormiam & requiescam.

Actus

Actus Gaudii.

O DEUS meus, & omnia, summè gaudeo, & congratulor tibi, quòd solus tu es, qui es. Gaudeo de omni bono tuo, quod es, quod habes, & operaris, & de pleno dominio, ac beatitudine, deq; tuo honore, & voluntatis tuæ impletione; & semper magis gaudere volo, & per te, propono, quàm de quocunq; bono meo.

Gaudeo de tuis infinitis perfectionibus, & attributis Divinis, & de illis communicationibus, quas vos tres Divinæ Personæ inter vos habetis.

Si per impossibile ego haberem, quod tu non haberes, hoc tibi libentissimê darem: immò si possem esse DEUS, nollem tantummodò ideò, ut tu solus esses is, qui es.

Immò quamvis nihil esse deberem, ut tu esses, amore tui, vellem illud nihil esse inter omnia, ut hoc saltem momento, amarem te, ut debeo, supra me, & super omnia.

In summo, tuum esse, tuam gloriam, tuam beatitudinem, tuum omne bonum in te ipso, & propter te ipsum, tibi cupio & opto.

Te super omnia appretio, præeligo, appeto & quæro; paratus cæteris omnibus, propter te abrenuntiare, quotiescunq; & quomodocunq; volueris.

Et quia tu es omnia in omnibus: in quo supereminenter sunt omnia, & qui es infinitè super omnia excellens: ideò te solum in omnibus, & omnia in te solo, & propter te solum, teq; super omnia amo & amplector, & sic semper amare volo.

Tuum

Tuum quoq; honorem, & tui beneplaciti impletionem, magis quàm quodlibet bonum meum, amo, appeto, & totis viribus procurare volo, & per te, propono.

Cupio tibi, quod me cupere vis, & do tibi; quod quia quantùm ex me, minutulum est, peto, ut tu expleas, saties, sagines te, amore, honore, laudeq; tui tantùm, quantum capax es, quantùm dignus es, quantùm potens es.

Actus Desiderii videndi DEUM.

O Superbenedicta Trinitas DEUS meus, in cujus visione consistit perennis nostra beatitudo, felicitas, & vita æterna: quando veniet hoc tempus videndi te?

Nam ad tuæ Divinitatis claram visionem, & continuam laudem, perfectamq; dilectionem & fruitionem: ac æternam & securam possessionem, absorptionem, transformationem, & inseparabilem unionem; quia vis, & sicut vis, tandem pervenire volo, cupio, & in te confidenter expecto: atq; ad hoc tendere, & conari semper totis viribus, & convenientibus mediis, ac studiis te donante, & operante, propono.

Idq; non propter meum bonum & commodū, quod inde mihi provenit, sed purè propter te: ut sic gratissimum tibi, & perfectissimum obsequium exhibeam, & gaudium tuum in me sit, & sicut vis, impleatur.

Sed quando veniam, & apparebo ante rutilantē, & gratiosam faciem tuam? Quan-

Quando Divini vultus tui præsentiâ, plenè satiabis desiderium meum?

O Amor cordis mei DEUS meus! quando perfectè possidebo te?

Quando adjunges me tibi viciniùs, ut clarè videam te?

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum? ita desiderat anima mea ad te videndum DEUM meum.

Anima mea sicut terra sinè aqua tibi: sitit ad te DEUM fontem vivum, quando inebriabis eam incessabili amore tuo?

Cœli enarrate gloriam DEI: Cœli cœlorum laudate DEUM.

O quando aperiemini mihi, & inveniam eum, quem diligit anima mea?

O Angeli, qui semper videtis faciem Patris mei, quando veniam, & satiabor cum apparuerit gloria ejus?

Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales, ut gustem, & videam, quàm svavis sit Dominus.

Da mihi, Domine, ardentissimum hìc moriendi, & ibi in amoris æterni patria, tecum vivendi desiderium, ut ibi coram, anima mea glorificata amet te: ut gaudium tuum in me sit: gaudium autem tuum est amare & amari: & tunc amore tui, saturetur famelica hæc anima mea, ita gaudio tuo illi unita, ut ipsa in hoc gaudio, & gaudium hoc in ipsa sit; & ejus gaudium sic impleatur,

cum

cum tibi DEO, te illamque amanti, & amato, ita unita fuerit, ut se in illa felicissima unione amare sentiat & amari.

PRO FERIA SECUNDA.

Actus Amoris DEI ob ejus infinitã Bonitatem

O Domine DEUS meus, infinitum bonum, qui es ipsa plenitudo, & universitas boni. Tu enim bonus es sinè modo, sinè limitatione, sinè mensura, sinè principio & fine: cui omnis creatura, omne suum bonum acceptum referre debet: Tu simplicissimâ essentiâ tuâ omnem excellentiam, omnem perfectionem, omnem beatitudinem, & omne bonum possides.

A te omnia dulcia trahunt suam dulcedinem, omnia pulchra suam pulchritudinem, omnia lucida suum splendorem, omnia, quæ vivunt suam vitam, omnia quæ sentiunt suam sensationem, omnia, quæ moventur suum vigorem, omnia intelligentia suam lætitiam, omnia perfecta suam perfectionem: omnia demum qualicunq; modo bona hauriunt suam voluptatem.

Tu centrum universi, ad quod naturali pondere res omnes referuntur, in quo omnia conquiescunt: à quo omnia suscitantur: in te sunt illecebræ omnis amoris, consumatio omnis desiderii, terminus omnis motionis, satietas omnis appetitus.

Quanta est hæc vis tuæ illius summæ bonitatis, ad cujus radii splendorem, tanto impetu currit omnis

omnis creatura: dum unaquæq; illarum appetit particulare ſuum bonum, & ad aliud totis viribus connititur, quod bonum nihil aliud eſt, quàm leve veſtigium, & ſignum tuæ bonitatis.

Hoc bonum, omnem creaturam tam potenter trahit: hoc in mundo omnes motus excitat: quidquid enim in rebus creatis ſe movet, agitat, operatur, intuitu boni movetur, & agitur.

Si levis umbra boni tanto impetu trahit, quantò magis trahit ipſa veritas? illa inquam bonitas infinita, id eſt, tu ipſe, Domine, dulciſſimum & ſummum bonum.

Ardentiſſimo ideo deſiderio, ſine intermiſſione deſidero, tibi Domino DEO meo, abſq; ullo medio uniri, & tanto bono divino ſatiari.

Cupio in te dulciſſimum DEUM meum, quantùm tu ipſe largiri dignaberis, tam profundè me immergere, abſcondere, & transferre, ut nihil ampliùs, niſi diviniſſimum illum, & mellifluum amorem perpetuò me amantem, ſentire, ac ſapere videar.

O ſuper admirabile bonum, quando me totum transformabis, & abſcondes in te, & in me! Quod enim eſt mari abſorbere unam guttam, hoc tibi eſt abſorbere me infirmum & vilem creaturam tuam.

Equidem deſidero tibi multùm dulciter unitus, à te ſummo bono medullitùs abſorberi, & in te transformari, quo quidem nihil ſublimius, nihil profundius, & præſtabilius mihi in hac vita con-

ſtituto poteſt obtingere: cum tu, ô dulciſſime DEUS, ſolus ſis bonum illud incommutabile, in quo latet abyſſus quædam immenſa, æterni & infiniti amoris, fonſq; & ſcaturigo excellentiſſimæ bonitatis.

Trahe mentem meam ad te, ô immenſa bonitas, eamq; ad te, ſuper omnes res creatas, vinculo indiſſolubili, & ligamento æterni amoris adſtringe.

Quid quæram, & deſiderabo extra te qui es plenitudo omnis boni: fons, finis, ſvavitas, vis, & medulla omnis boni.

Valeant res omnes aliæ, te ſemper cogitem, amem, ad te contendam: tibi uni adhæream: in te commorer: te laudem, benedicam, & omnibus viribus animæ meæ, tota vitâ meâ uni tibi ſerviã.

Actus Deſideriorum erga DEUM ſummè bonum.

O Superoptime DEUS meus, deſidero te ſummum & omne bonum meum, deſideriis omnibus meis, quæcunquè ego juxta omne placitum tuum, elicere tota ſubſtantiæ meæ capacitate poſſum, tam in genere, quàm in ſpecie, quàm in numero deſideriorum. Intelligendo deſiderii nomine omnem alium pium affectum in te Dominum meum, Fidei, Spei, Charitatis, Æſtimationis, Adorationis, Laudis, Gaudii, Orationis, Devotionis, Subjectionis, Reſignationis, & reliquorum omnium quotcunq; à nobis fieri poſſunt.

Neq; ſolùm Te his deſideriis meis deſidero, ſed etiam

etiam omnium, ſingularumq́; creaturarum, etiam poſſibilium, omnibus genere, ſpecie, numero, poſſibilitate, diſtinctis deſideriis; præcipuè verò Omnium Sanctorum tuorum, tam hominum, quàm Angelorum, tam Beatiſſimæ DEI Genitricis Virginis MARIÆ, quàm Sanctiſſimæ JESU Chriſti Domini noſtri Humanitatis, omnibus abſolute erga te Dominum DEUM noſtrum deſideriis, præteritis, præſentibus, & futuris.

Idquè in omni iſtorum omnium deſideriorum intenſione, in omnibus intenſionis gradibus, & ab omni, & ſingula creatura, etiam atomicè ſumpta, etiam ab ipſa Beatiſſima Virgine MARIA, JESUquè Chriſti Humanitate elici poſſibilibus, tanquam actu, defacto, in præſenti, nunc, pro omni temporis momento, ſemel pro ſemper elicitis, in millies, millies infinities majori, poſſibili, omnimoda proportione.

Neq́; intenſione ſolùm, ſed etiam extenſione deſideriorum omnium & ſingulorum: extenſione, inquam, per omnia & ſingula ſubjecta deſideriorum, perq́; atomos, & indiviſibilia ſpiritualia, & corporalia: tum verò extenſione ad omnia loca, & ſpatia etiam imaginaria, ad circumſtantias, & atomos ſpatiorum, locorum, reliquarumq́; circumſtantiarum DEO poſſibilium: extenſione quoq́; ad omnia tempora, & ad omnia omnium temporum inſtantia: ad omnia quoq́; momenta æternitatis, tam ante, quàm poſt.

Præterea intentione, & motivo, & objecto, &

ratione desiderationis, omni quidem possibili tibi DEO meo atq; complacitâ: sed nominatim illâ omni, propter quam tu, ô superdignissime Domine DEUS es desiderabilis, & desideranda in te, & per quam nos sumus, aut esse quovis recto modo possumus desiderativi tui, & desiderantes te: sive illa ratio, ac intentionis motio sit aliquid ad intra in te, & ipse tu, sive sit, aut esse possit aliquid ad extra diversum à te: sed tamen profectum à te & propter te.

Et cupio hunc actum à me, & ab omni eo, quodcunq; tu non es, mihi voluntate charitatis meæ insubstantiato, in omni atomo sui, & in omni circumstantia, spectato replicari & repeti.

Immò quantum in me, replico, repeto, & repeti gaudeo, mihiq; ex hoc propter te complaceo omni possibiliter in singula, per omnem æternitatem, momenta, tantùm, quantùm tu, ô DEUS meus, & nos omnes creaturæ tuæ desiderare volumus, debemus, possumus, quia tu dignus es, & quia nos debemus, & quia nos adjuvante, immò dante & faciente te nobiscum, & per nos possumus.

Communicando hunc actum imprimis JESU Christi Domini nostri, omnibus meritis & gratiis, unaq; Beatissimæ Virginis, & Sanctorum Omniũ, ad JESUM Christum incarnatum, increatamquè sapientiam, VERBUM DEI Filium tanquam ad caput pertinentium, intercessionibus.

Deinde universæ Divinitatis tuæ, ô DEUS meus, bonitati, & bonitatis Divinitati, atq; dignissimæ & substantissimæ dignitati. Ad

Ad gloriam omnimodam & omnipossibilem, & omniparem Patris æterni ingeniti: Verbi, Filii increati, incarnati & unigeniti; Spiritus Sancti, ex Patre Filioq; procedentis, & ab omni æternitate, & in omnem æternitatem, & ultrà.

Actus Laudis Divinæ.

AH quantùm pœnitet me modò, ô dulcissime DEUS meus, quòd tuam infinitam bonitatem toties inhonoravi, læsi, contempsi, quoties in te, & in oculis tuis peccavi, quoties legem tuam, & voluntatem tuam transgressus sum, quoties mandata tua fregi.

O si exitus aquarum deducant oculi mei, quia aliquando te non amavi, & quia te infinitè bonum offendi; de quo nunc ex toto corde meo, ob amorem tuum doleo: & quantùm honori tuo per mea peccata detraxi, tantùm nunc honoris, & amoris, & laudis tibi DEO meo tribuo.

Et ideò nunc ego magno applausu, & toto pectore te laudo, exalto, magnifico, veneror: atquè utinam hoc possim absq; cessatione præstare semper, & in omni loco terrarum, tantùm; quantùm exaltant te, magnificant, honorant, honorabunt, honorarunt & honorare poterunt simul omnes creaturæ, & omnes qui fuerunt, sunt, & futuri sunt. Immò cupio simul reddere tibi, omnes illas laudes, quas potuissent, possunt, poteruntvè deferre, Beata Virgo, & Sanctissima Humanitas Christi. Et tantùm, quantùm possunt adferre innumeri

mundi, & infinitae creaturae, tam visibiles, quam invisibiles, quas omnipotens manus tua creare potest.

Et tantas laudes, tantos honores, desidero tibi exhibere, quantos nosti exhiberi posse, & quantos mereris.

Quia verò mea facultas istud praestandi deficit, opto saltem, tribuere tibi omnes illos honores, & laudes, quas tuo adjutus auxilio, offerre possum, & quantis tu teipsum amoris viribus amas: quibus nunc istum, qualemcunq; meum affectum laudis, velut exilem appendicem adjungo.

Toto corde desidero, quòd omnes creaturae mecum te agnoscant, laudent, colant, ament, ob solam bonitatem tuam infinitam, ita, sicut Divinae tuae Majestatis amplitudo deposcit.

Congratulor autem tibi, condelector, & laetor, quòd tu DEUS meus, tam sis magnus, tamq; laudabilis, ut neq; vires omnis creaturae, vel in terra, vel in Coelo, sufficiant ad te dignè laudandum, & magnificandum: sed interim gaudeo, teipsum, laudabilissime Domine, id in supplementum illarum omnium, abunde praestare.

O si possem omnes arenas, atomos, folia, & maris ac pluviarum guttas, atq; nivium grana, in Coelos, & Angelorum Choros, te amantium & laudantium convertere, ô quàm libentissimè id facerem!

Certè si omnes homines essent in mea potestate, libenter eos inducerem, & cogerem amare te solũ

super

ſuper omnia, adorare, glorificare, & ex puro amore tibi obedire, ac ſervire; quia tu ſolus omni amore, adoratione, laude, & obſequio ſuperdigniſſimus es.

O ſi poſſem ex qualibet creatura facere animã, & ex qualibet anima facere Regnum Cœlorum, in quo tantam gloriam, laudem & gaudium haberes, quantùm ab initio habuiſti, habes, & in æternum habiturus es, in Beatis Angelis & Sanctis tuis: omnia iſta, ex toto corde, quàm libentiſſimè tibi offerrem & darem: & adhuc centies millies, immò infinities majora, ſi mihi ſuppeterent.

Si haberem omnium Angelorum & hominum vires, eas libenter in tui ſolius cultum & ſervitium expenderem.

Si haberem omnium creaturarum affectum & amorem, illum ad te ſolum libenter converterem, & in te transfunderem.

Utinam poſſem ego ſolus omnes omnium miſerorum pœnas & afflictiones, omnium Martyrum cruciatus & tormenta, ſingulis momentis, amore tui ſufferre, equidem prompto animo, univerſa hæc propter te, tua adjuvante gratia perferrem.

Utinam efficere poſſem, ut à ſingulis creaturis, ſingulis momentis, tantùm laudis & amoris tibi tribueretur, quantûm ab initio à Beatis Angelis & Sanctis tuis tributum eſt, tribuitur, & in ſempiternum tribuetur: profectò omnes vires meas ad hoc ſuperimpenderem.

Actus desiderii videndi DEUM.

O Svavissime DEUS meus, quia hìc in terris, neq; te amare, neq; laudare sinè cessatione possum; ideò desiderans desidero, & idem te ardentissimè rogo, ad illam Cœlestem Hierusalem quàm ocyùs deduci, ubi omnes Sancti te facie ad faciem vident, videndo semper amore tuo ardent, & sine cessatione & fine laudant.

O quàm felix ego, nimiùmq; beatus, si & ego meruero laudare te, & cantare tibi DEO meo, illa quæ cantantur ad laudem tuam ab illis supernæ Patriæ civibus.

O Sanctissima Trinitas, tua dulcissima unitas, influat, obsecro, in me, & in omnes creaturas te laudare valentes, ut amore tui inebriatus, svavissimas concinam laudes tuas in æternum.

Quàm Beati, qui habitant in Domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te!

O Domine DEUS meus, ostende mihi teipsum, & sufficiet mihi.

O Dulcissime DEUS, infunde mihi citò lumen vultus tui; accende cor meum mellifluo amore tuo, ut illo, æterna per sæcula, ardeam.

O quando, quando, te facie ad faciem intuebor? quando te feliciter inveniam, tenebo, & tua intima unione fruar?

Quando, quando, quando me totum absorbebis?

O DEUS meus & omnia! ô abyssus summè svavis & summè amabilis! O simplicissimum & jucundissimum, verùm, & incommutabile bonum, imple me te ipso. Eja

Eja dulcissime DEUS, intra in nudum animæ meæ fundum, & transfer in te originem meam, ut delicias tuas in me habeas.

Remove, quæso, misericorditer omnia impedimenta, & tecum unum spiritum effice, ad gloriam nominis tui. Exaudi Domine mi, exaudi me, non pro mea voluntate. Et interea dum in terris vivo, docè, illumina, dirige & adjuva me in omnibus, ut nihil agam, nihil loquar, nihil cogitem, nihil velim, nisi quod tibi sit acceptum.

PRO FERIA TERTIA.

Actus amoris DEI ob ejus infinitam pulchritudinem.

O Immensa pulchritudo, Domine DEUS meus! ô Abyssus summè svavis & summè amabilis, ob tuam infinitam puritatem & sanctitatem essentialem & universalem! Nam tua essentia est prima origo omnis sanctitatis & puritatis. Tu es principium efficiens forma, exemplar, & finis omnis splendoris sanctitatis, qui reperitur in creaturis. Tu per te ipsum Sanctus es, cujus sanctitas, est fons essentialis omnis pulchritudinis & puritatis.

Gaudeo, & complaceo mihi, de ista tua Sactitate, puritate, & pulchritudine infinita, quam ego admiror, veneror, honoro & amo: utpotè cui omnis reverentia, honor & amor debetur.

O pulchritudo Majestate plena, quàm amabilis es,

es, & cur non amem te? te, inquam, super omnem cogitationem, nobilissime & svavissime DEUS.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam, & pulchritudinem tuam, Domine, requiram.

Domine, omnibus optimi amoris titulis, nominibusq; dignissime, da ut omni amore, dilectione, charitate complectar te.

Amem te, ô pulchrum! ô supremum bonum! & inter omnia, quæ amari possunt, te pluris faciam, te diligam præ omnibus.

Amor meus æstimet te super omnia: dilectio mea diligat te præ omnibus: & charitas mea te corde, quàm potest amantissimo revereatur, & complectatur.

Amet te cor meum totum, & voluntas mea, & omnes cogitationes meæ: amet te mens mea; id est, intellectus & memoria mea: amet te anima mea; id est, vita mea, atq; vis mea interior appetitiva: amet te fortitudo mea, sive vires ac virtus mea, atq; vis mea exterior executiva.

Doleo, quòd te non semper tanti fecerim, quanti fieri debes: doleo, quòd te aliquando ulli unquam creaturæ, quocunquè modo postposuerim. Da, ut nunc eo ardentiùs diligam te, Domine, fortitudo mea.

O Pulchrum meum! ô pulchrum tuum DEUS: sicut in te bono tranquillatur & quiescit appetitus, ita in tui aspectu, seu cognitione, quiescit cor cognoscens te, vel audiens de te: At nec bonum,

num, nec pulchrum est objectum appetitus, nisi apprehensum, da igitur obsecro, ut ita te cognoscam, ut contemplatio spiritualis tuæ pulchritudinis & bonitatis, sit principium in me amoris erga te mei.

Volo te amare, te solum, te unicè, & nihil aliud nisi te, aut propter te, ne me ipsum quidē.

Odi, Domine, odi omnem amorem, quo hactenùs aliud amavi, quàm te.

Actus delectationis de DEO.

O Quantas, jucundissime Domine, causas habeo jubilandi & exultandi: quandoquidem tu es DEUS ille, qui es: nimirum, infinitæ Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Sanctitatis, Puritatis, Pulchritudinis, & innumerabilium aliorum attributorum, tanquam Principium & Finis omnis boni.

Ecce pulchritudo Beatorum Angelorum, pulchritudo Sanctarum Animarũ, pulchritudo corporũ humanorũ, pulchritudo animalium brutorũ, pulchritudo Cœlorũ, siderum, Solis, lunæ, ignis, aëris, maris, terræ, planetarũ, florum, gemmarum, metallorum, svavitasq; sonorum; à te solo est.

Quidquid decoris, gratiæ, amænitatis, elegantiæ, dulcedinis, virtutis, dignitatis & opulentiæ est in creaturis, hoc totum à te profluxit: hoc totum in te abundantissimè, excellentissimè, & immarcescibiliter consistit.

Verè tu es summè pulcher, summè deliciosus, summè amabilis, summèq; desiderabilis. Tu

Tu exuberantiſſimè in te contines omnem venuſtatem atquè jucunditatem, ſemper vernantem atquè florentem, quæ tantò præſtantior eſt illâ, quam in rebus creatis cernere, aut experiri poſſunt homines, quantò tu Creator præſtantior es quâcunquè creaturâ tuâ.

Tu es omnium, quæ delectabilia eſſe queunt ſuperefficiens plenitudo. Tu puræ lætitiæ, ſanctæquè voluptatis pelagus immenſum.

Ideo avidè, Domine mi, deſidero, & volo in poſterum adjuvante gratia tua, omnem animi delectationem eſſe in te, ac de te ſolò, dequè rebus, quæ tuæ ſunt, meq; ad te pelliciunt, ſicut de te benè dixit, qui dixit: DEUS meus & omnia.

Contrà verò faſtidio, prorſuſquè averſor hunc mundum, & omnia, quæ illius ſunt: omnia enim, præter te, Domine, arbitror, ut ſtercora; abominor ut rem contagioſam.

Incredibilem percipio in anima mea voluptatē, de illa voluptate tua, quam tu percipis de te ipſo, in te ipſo, & quam omnes Angeli, Sanctiq; omnes percipiunt ex te ipſo.

Exulto præ gaudio, quod habeo de te: ſicut exultant juſti in conſpectu tuo, & delectantur in lætitia, qui te vident ſicuti es, & qui mellifluam faciem tuam clariſſimè contemplantur, qui abyſſo perennium deliciarum feliciter immerſi, tibi perfectiſſimè uniuntur: quos delicioſiſſima tui fruitione tranquillas, lætificas, reficis & ſatias.

Utinam efficere poſſem, dulciſſime DEUS, ut omni a

omnia gaudia, quæ ſunt & erunt in mundo, non ſint niſi de te: in te enim verum gaudium, in te vera conſolatio.

Abſorbe, Domine, concupiſcentiam meam dulcedine tua, quam abſcondiſti timentibus te; ne interior guſtus vanis illectus & deceptus, ponat amarum dulce, & dulce amarum.

Cupio tuæ ſolius dulcedinis guſtu affici, tantumq; tuis è rebus gaudium & voluptatem capere ſemper, omnes verò res mundanas, & quæcunquè cor meum à te avertunt, reſpuere, abhorrere, deteſtari.

Ad hoc præſtandum, adjuva me, Domine, tua pietate, ut ſerviendo tibi cum gaudio & perfectione in hac vita, poſſim te cum Beatis videre, & frui æternùm in altera.

Actus deſiderii ut alii omnes ament DEUM.

BEnigniſſime Domine, magnam capio voluptatem, non ſolùm ex omni illo amore, quo te proſequuntur omnes Sancti, & juſti, qui ſunt in hac vita; ſed multò magis ex illo, quo te longè ſinceriùs complectuntur: tum illi, qui corpore liberati, adhuc in aditu regni cæleſtis commorantes, avidiſſimè faciem tuam expectant: tum illi, qui in penetralia felicitatis admiſſi, clariſſimo tui conſpectu, & tua jucundiſſima pulchritudine fruuntur, homines & Angeli: ac præcipuè Sanctiſſima Humanitas JESU Chriſti, Domini & Redemptoris noſtri, & Beatiſſima Virgo MARIA.

O Si

O Si ego possem te amare, omnibus illis affectibus, quibus illi omnes te amant! quàm id libenter & hilariter præstarem! sed quia non possum, gaudeo saltē de ipsis, qui melius possunt, id facere: optoq; ut semper magis magisq; id faciant, & in amore eodem perseverent in æternum, secundum beneplacitum tuum.

Ex altera parte, Domine, vehementer displicet mihi, ac doleo: plurimos alios è servis tuis, negligentiùs te amare: plerosq; etiam pro amore injurias tibi referre, tuamq; infinitam bonitatem, & superamabilissimam pulchritudinem contemnere.

Obsecro, Domine, ignosce illis, & largire gratiam tuam, quâ se emendent, & te jam incipiant amare super omnia, & in omnibus exequi tuam Sanctissimam voluntatem.

Sed quid dicam de illis, qui à te ad imaginem & similitudinem tuam formati, & innumerabilibus beneficiis donati, te, quem super omnia amare deberent, ne agnoscunt quidem infideles & improbi? quantum hoc, amabilissime Domine, mihi dolorem creare debet, quas excutere lacrymas?

Utinam omnium illorum corda, & voluntatem in potestate haberem, ut possem illos tuo amore inflammare!

Ecce, Domine, saltem cogitatione mea purgatos ab omnibus peccatis, quales ego esse desidero, & tu facere potes, omnes illos puros, & sanctos tibi offero, ad honorem & gloriam tuam.

O Quanta mihi felicitas eveniret, si possem ego supple-

ſupplere defectum ipſorum, proſequendo te acti-bus illis amoris, quibus ipſi te proſequi deberent: & non ſolùm ipſorum defectum, ſed etiam pravo-rum Angelorum, & hominum damnatorum, qui pro amore & laudibus, exſecrabili contra te odio iráq; flagrant, longè pejùs, quàm flammis inferni.

Sed quia ne pro mea quidem parte, ſatis amare ac laudare te ſufficio, omnem & meum & alio-rum defectum, deſiderio ſaltem, quo poſſum, & quantùm poſſum ſuppleo.

Interea magnum mihi ſolatium eſt, quòd ſciam tuam Divinam Majeſtatem infinito ſuæ voluntatis affectu ſatisfacere pro omnibus, & omnes amandi partes explere; cùm infinito amore amas teipſum.

Quare ſummoperè gaudeo, & hunc amorem nunc tibi humiliter exhibeo, & pro me offero, in ſupplementum etiam omnium illorum, qui omit-tunt hoc facere, ô DEUS amor meus, ſummum & unicum bonum meum!

Actus deſiderii videndi DEUM.

O DEUS meus dulciſſime, ecce infinitè ama-bilis tua pulchritudo, excitat in intimis meis ardentiſſima deſideria, quibus te vi-dere expetam, & ad beatam illam æternæ Patriæ manſionem jugiter aſpirem, ut ibi anima mea, dulcedine tui illecta penitùs charitate colliqueſcat: & ſecedens à ſeipſa, atq; tota tranſiens in te, de-guſtet micas ineffabilium epularum, guttulaſquè incomprehenſibilium deliciarum, quas præparaſti diligentibus te.

O DE-

O DEUS meus & omnia, nihil præter te requirit anima mea, nihil aliud desiderat, quàm ut sancto fervore extra se rapta, in te feliciter soporata obdormiat, tibiq; nuda charitate uniatur.

O Dulcissime, amantissime, benignissime, amabilissime, pulcherrime, quando te videbo?

Quando apparebo ante faciem tuam?

Quando satiabor de pulchritudine tua?

Quando educes me de hoc carcere tenebroso, ut confitear nomini tuo, ita, ut deinceps non confundar?

Quando transibo in illam admirabilem, & pulcherrimam domum tuam, ubi personat vox lætitiæ & exultationis in tabernaculis justorum? Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beati & verè beati, quos elegisti & assumpsisti in illam cœlestem hæreditatem.

O Quàm mira, quàm pulchra, quàm acceptabilia sunt domus tuæ habitacula, Domine virtutum, concupiscit intrare in ea hæc peccatrix anima mea.

Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

Unam rem petii à Domino, & hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? nihil mihi tam dulce, quàm cum Domino meo esse.

Mihi autem adhærere DEO bonum est.

Da

Da mihi, Domine, donec his fragilibus consistam membris, Tibi adhærere, ſicut ſcriptum eſt: Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt cum eo.

Præbe mihi, rogo, contemplationis pennas, quibus indutus ad te volitem ſurſum.

Sed volitanti ad te animæ, multa ſunt quæ obſtrepunt, juſſu tuo, Domine, conticeſcant mihi omnia.

Ipſa ſibi anima mea ſileat, omnia pertranſeat, quæ creata ſunt, tranſcendat à ſe, & perveniat ad te, atquè in te ſolo Creatore omnium oculos Fidei figat.

Tibi inhiet, tibi intendat, te meditetur, te ſibi ante oculos ponat, te in ſuo corde revolvat verum & ſummum bonum, & gaudium ſine fine manſurum.

PRO FERIA QUARTA.

Actus amoris DEI ob beneficium Creationis.

O Domine DEUS meus, qui ex tua infinita bonitate & benignitate, naturalem habes propenſionem, tua bona communicandi, cum rebus inferioribus & creatis, pro cujuſquè capacitate: & ideò cum nullius indigeres, tibiquè ipſi ſufficientiſſimus eſſes, nihilominùs ex nihilo res omnes creaſti, & ex ſua nihilitatis abyſſo eduxiſti: quando eis eſſentiam, formam, pulchritudinem, appetitum boni, fugam mali, vires, functiones, impetum, motum, ſitum, modum, ordinem,

perfectionem, & terminum: & hoc, non ob tuam aliquam commoditatem, vel utilitatem, sed ut ipsis benè esset, & pro sua quæquè capacitate participarent, de tuis bonis, gustarentquè fructum tuæ benignitatis.

Sed præcipuè erga nos homines, excellentissimè resplendet tua benignitas: tu enim ad imaginem, & similitudinem tuam nos creasti, & charactere vultus tui signasti, intellectum, memoriam & voluntatem nobis dedisti, quibus Divinæ gloriæ, & beatitudinis tuæ capaces efficimur, Divinis insuper nos auxiliis, & ornamentis instruxisti, ut mereremur, & consequeremur tam præstantia bona: Angelos etiam nobis custodes, & rectores assignasti; tandem totum mundum creasti, & plurimis bonis instructum pro habitatione, & solatio nobis donasti. Quid majus his beneficiis? quid ista benignitate mirabiliùs fingi & excogitari potest?

Quorum omnium beneficiorum, me quoq; indignum participem fecisti. Ecce, Domine mi benignissime, ex tot millibus, quos oblivioni dedisti, & nescisti, elegisti me, ut essem.

Erant, & sunt in conspectu tuo in abysso potentiæ tuæ, quotquot esse possunt, & esse nequeunt, nisi jusseris, ut prodeant; ego verò cum essem inter hos innumerabiles meliores futuros, jussus sum exire in hanc lucem.

Et quid, quæso, invenisti in me, quòd præ cæteris ante mundi constitutionem sic diligeres me? Quid enim egeram qui non eram? Quid actum videbas, qui toties sprevi te? Quid

Quid ergo impulit te, Domine, ut meminiſſes mei? ſola bonitas. Bonorum enim meorum non indiges. Et quid, quæſo, poſſum extra te amare, aut quærere, qui me ſic amaſti?

O DEUS meus, propter illum immenſum amorem, quo me proſequeris, da ut ego ſic redamem te ſicut mereris, & debes amari.

O Amor meus! ô amor meus! Tu ſolus unicus eſto, totus amor meus.

O Svaviſſima vita cordis mei, DEUS meus, quam deſidero honorificare te, & amare te ſuper omnia?

Diligam te, Domine, quoniam tu prior dilexiſti me; ô ſi te ſolus ita amarem, ſicut te amant omnes juſti in terra, & Sancti in cœlo.

O Ignis, qui ſemper ardes, & nunquam extingveris! O amor, qui ſemper ferves, & nunquam tepeſcis! accende me, accendar, inquam, totus à te, minùs enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.

Gaudeo de illo amore infinito, quo temetipſum ab æterno amas, amaſti, & amabis in æternum. Offero tibi hunc eundem amorē pro amore meo.

Actus Adorationis.

O Adoranda tremenda, & veneranda omnipotentia tua, Domine, per quam omnia de nihilo creaſti, & ſuſtentaculo tui influxus eadem conſervas.

Ecce ego omni illa, qua poſſum ſubmiſſione, &

humilitate, positus coram tua Divina Majestate, DEUS meus, agnosco me creaturam, & opus manuum tuarum, à te per omnia dependens: Te universorum absolutum Dominum dignissimum, qui pro tali ab omnibus habearis, & honoreris, infima cordiali submissione humi prostratus, & ex profundo abysso mei nihil; te adoro, adoratione Latriæ; & tantæ Majestati in infinitum me submitto, omnemquè reverentiam & honorem, quem possum, exhibeo.

Contentus etiam sum, immò contentissimus, me nihil esse, nihil posse, nisi â te proveniret: immò nollem esse, nec aliquid posse, nisi dependenter â te.

Ideò invito, & invoco Sanctissimam Virginem MARIAM, beatos Spiritus, & totam Curiam cœlestem, immò creaturas universas, ut mecum adorent, venerentur, & agnoscant tantam Majestatē: & jam nunc unâ cum illis te adoro, & agnosco: immò isto meo actu, omnes alias adorationes, alios cultus, quibus hactenus affectus es, & quibus affici te conveniebat, & quibus tota labente æternitate afficiendus es, omnes, inquam, eos cultus uno fasciculo comprehensos & colligatos tibi offero, & dedico.

Complacéo mihi, & gaudeo, Domine, de tanta Majestate, & potentia, per quam me creasti: ideò ego misera & indigna creatura tua, firmo & constanti proposito, me totum hodie in Sanctissimam & justissimam voluntatem tuam projicio, & abnegando

gando meipsum, ex toto corde pronuncio, ac protestor, quòd totus velim esse tuus, & nec habeam quidquam, nec habere velim unquam aliud, quàm te solum. Te solum volo quærere, te solum amare, idquê sincerê, simpliciter, ac purè sinè meo commodo.

Et firmiter nunc propono, deinceps tuæ Majestati supremæ servire, & eandem amare, non tam ut fugiam pœnas, carcerem, aut infernum evitem, neq; ut mihi des consolationes, aut beatitudinem in altera, aut aliquid quidquam desiderabile in vita præsenti: sed præcipuê ut quæram te solum, amem te solum: Et certè solus mihi sufficis, qui es verum, unicumq; complementum omnium.

Quare uni tibi me do, & dedico in æternum, idq; tam firmo & inviolabili proposito, tam sincerò cordis affectu, ut totâ animâ meâ te amare, tibiq; servire, supradicta intentione velim, etiamsi viverem sæculis infinitis. Hoc, inquam, est consilium, hoc decretum, hæc enixa voluntas mea.

Actus Laudis.

O Sapientia, quæ aperis os mutorum! ô Verbum, per quod facta sunt omnia: aperi os meum, da mihi vocem laudis, ut enarrem omnia beneficia tua, quæ mihi, Domine, à principio contulisti.

Ecce enim sum: quia tu creasti me, & ut me creares, & in numero creaturarum tuarum numerares, ab æterno tu præordinasti, antequam quid-

quam faceres à principio, antequam extenderes cœlos, necdum erant abyssi, adhuc terram non feceras, nec montes fundaveras, necdum fontes eruperant.

Antequam hæc omnia, quæ fecisti per Verbum, faceres, me creaturam tuam fore certissimâ veritatis tuæ Providentiâ prævidisti, & esse me creaturam tuam voluisti.

Miser ego, DEUS meus, quantùm teneor diligere te, ostende mihi. Quantùm debeo laudare te, demonstra mihi. Quantùm debeo placere tibi, innotesce mihi.

Unde hoc mihi, Domine, unde mihi laudes ad laudandum te? sicut enim fecisti me sinè me, sicut complacuit ante te; ita laus tibi est sinè me, sicut complacet ante te.

Ante te, Domine, laus tua, tu ipse es. Non valeo laudare te sinè te: habeam te, & laudabo te.

Quid enim ego sum, Domine, per me, ut laudem te? Pulvis & cinis ego sum; canis mortuus & fætens ego sum.

Quis ego sum, ut laudem te, Domine DEUS fortissimè, Spiritus universæ carnis, qui habitas æternitatem?

Nunquid tenebræ laudabunt lucem, aut mors vitam?

Tu lux, ego tenebræ: Tu vita, ego mors. Nunquid vanitas veritatem laudabit? Tu es veritas, ego homo, qui similis factus sum vanitati.

Quid ergo, Domine, laudabo te? Nunquid

miseria mea laudabit te? Nunquid fætor laudabit odorem. Nunquid mortalitas hominis, quæ hodie est, & cras tollitur, laudabit te?

Nunquid laudabit te homo putredo, & filius hominis vermis?

Nunquid laudabit te, Domine, qui in peccatis conceptus est, & natus, & nutritus? non est enim speciosa laus in ore peccatoris.

Laudet te, Domine DEUS meus, incomprehensibilis Potentia tua, incircumscriptibilis Sapientia tua, & ineffabilis Bonitas tua.

Laudet te supereminens Clementia tua, superabundans Misericordia tua, sempiterna quoq; virtus & Divinitas tua.

Laudet te omnipotentissima Fortitudo tua, summa quoq; Benignitas tua & Charitas tua, per quam creasti nos, Domine DEUS, vita animæ meæ.

Actus desiderii videndi DEUM.

O Æterna veritas, & vera charitas, & æternitas! Tu es DEUS meus: ad te suspiro nocte ac die, tibi inhio, tibi intendo, ad te pervenire desidero.

Et ego parvulus inter parvulos familiæ tuæ, DEUS Pater, & virtus mea, quando veniam & apparebo ante faciem tuam, & qui nunc tibi confiteor ad tempus, extunc confitear tibi in æternū?

Beatus ero, si fuero admissus ad videndum Claritatem tuam. Quis mihi hoc tribuat, ut ad hoc venire me permittas?

Scio, Domine, & confiteor me indignum, ut intrem sub tectum tuum: sed fac propter honorem tuum, neque confundas in te sperantem servum tuum.

Et quis intrabit in Sanctuarium tuum, ad considerandas potentias tuas, nisi tu aperias? Quis autem aperiet, si tu clauseris? si enim destruxeris? nemo est, qui ædificet; & si incluseris hominem, nemo est, qui aperiat.

Tu nos creasti, ne spernas nos, quia opera tua sumus.

Equidem Domine DEUS noster, nos lutum & vermiculi, non valemus in tuas æternitates intrare, nisi tu duxeris, qui de nihilo cuncta creasti.

Ecce concupiscit,& deficit anima mea diligẽs te.

Eja, DEUS meus, miserere mei.

Attende gemitus meos multiplices, & concede; ut ubi carne exutus fuero, mox perveniam ad te, & glorificem te in æternum: quia ad hoc creasti me; pro quo sis benedictus in æternum.

PRO FERIA QUINTA.

Actus amoris DEI ob beneficium Redemptionis.

O Immensa pietas! ô Inæstimabilis Charitas tua, DEUS meus! qui sic dilexisti mundum, ut unigenitum tuum dares; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Qui nos miseros & indignos, adeò mirabili

bonitate

bonitate amare dignatus es, ut Filium tuum in mortem traderes, & nos servos tuos, filios perditionis à morte liberares.

Quàm benignissimus amator hominum est Filius tuus, DEUS noster, qui factus est Homo, ut de potestate dæmonum erueretur perditus homo.

Venit piissimus DEUS: venit pro pietate & bonitate sua: venit quærere, & salvum facere quod perierat.

Quæsivit ovem perditam, quæsivit & invenit, & humeris suis reportavit ad caulas gregis pius Dominus, & verè multùm pius Pastor.

O Charitas! ô Pietas! Quis audivit talia? Quis super tanta misericordiæ viscera non obstupescat? Quis non miretur? Quis non collætetur, propter nimiam Charitatem tuam, quâ nos dilexisti?

O Quot sunt, quæ me urgent ad te amandum, dilectissime JESU, dulcissime Salvator & Redemptor noster! Quanta tua erga me Charitas! Quanta Misericordia & Benignitas, per quam me redemisti!

Certè non tam facilè refectus sum à te, quàm factus: omnia enim de nihilo fecisti, ô DEUS meus, sed non de nihilo me redemisti.

In creatione mundi, dixisti, & facta sunt; mandasti, & creata sunt: at in opere Redemptionis meæ triginta annis laborasti sustinens, sustinuisti patiens.

Plùs plùs contulisti mihi redimendo me, quàm creando me. Nam creando, me mihi dedisti. Redimendo

dimendo autem me, te mihi dedisti. Animam tuam in morte mei causâ perdidisti, meam autem perditam mihi reddidisti.

O JESU prædilecte, charior tibi mea, ut sic dicam, quàm tua vita: tuam enim pro mea dedisti, & ut ego viverem, tu mortuus pro me.

Ecce tu prior: Tu, inquam, tantus tantillum, gratis ingratum, & talem sic diligis! Et ego qui non gratuitò, sed ex debito amare te debeo, quantùm amare debeo?

Quis finis, quis modus amoris mei?

Amat immensitas, amat supereminens charitas, amat DEUS infinitus, & ego vicem rependam cum mensura?

Sed, ô Domine, non possum amare te, nisi tu juves me, ut amem te: vellem certè, mi JESU, vellem tandem amare te.

Da mihi toto corde amare te, totâ animâ tibi adhærere, omnes vires meas, in tuo amore & servitio expendere, secundum cor tuum vivere.

Da, ut quidquid sum, totus amem te; sicut tu, qui, quod es, amas me.

Ecce jam, ô amor meus! ita me deinceps amori tuo devoveo, ut licet mihi nolles unquam benè velle, aut facere, sive in hac, sive in altera vita: immò licet me hic omnibus malis affligere, atquè post hac inferni ignibus dare velles; amabo te tamen toto corde, serviam tibi ex corde, & fidelissimè faciam voluntatem tuam.

Actus Laudis.

O Dulcissime JESU, quid retribuam tibi, pro tam excellenti beneficio Redemptionis; hoc est, pro his omnibus, quæ pati, & facere dignatus es pro salute nostra?

Ecce, Amantissime JESU, totum me debeo tibi pro me facto, & quid dabo pro me refecto?

Nonne tu, dilectissime Domine mi, poteras me redimere unâ sangvinis guttâ, totum tamen pro me fudisti.

Propter me, venisti in altitudinem maris magni, & tempestas tribulationum demersit te.

Propter me homo factus, jejunasti, laborasti, orasti; propter me ignominias, flagella, spinas, clavos, & mortem pertulisti.

Quid ergo retribuere possum, Domine DEUS noster, pro tantis beneficiis misericordiæ tuæ, quas laudes, quas gratiarum actiones?

Etiamsi illa Beatorum Angelorum scientia & potentia nobis foret; nihil tamen dignum tantæ pietati, & bonitati tuæ recompensare valeremus.

Si certè omnia membra nostra verterentur in linguas, ad repetendum tibi debitas laudes, nequaquam sufficeret exiguitas nostra.

Supereminet enim omnem scientiam tua inæstimabilis Charitas, quàm ostendisti nobis indignis, pro sola bonitate & pietate tua.

Tu scis, Domine, quia si possem, omnem tibi laudem, gloriam & honorem tribuerem, quibus te lau-

te laudant, glorificant, & honorant omnes Angeli & electi tui: sed quia impotens ad hoc sum, suscipe saltem desiderium meum, & bonam voluntatem.

Maior es omni laude, DEUS meus; & ob id gaudeo: quia quidquid obsequii omnes puræ creaturæ præstare tibi quocunq; modo conantur, longissimè impar est Dignitati, & Magnitudini tuæ, Bonitati & Misericordiæ tuæ.

Desidero, Domine, ut laus tua semper sit in ore meo. Lingua autem deficiente, omnis respiratio mea, sit laudis tuæ significatio: corpore verò extincto, & in pulverem redacto, laudes tibi infinitas dicant, minutissima quæquè pulveris grana, usquè ad extremum Judicii diem.

Actus Oblationis.

O Quantùm sumus tibi debitores, Domine DEUS noster, tantò redempti pretio, tanto salvati dono, & tam glorioso adjuti beneficio?

O quantùm à nobis miseris es amandus, benedicendus, laudandus, honorandus, & glorificandus, qui sic nos amâsti, sic salvâsti, sic sublimâsti?

Tibi nempe debemus, omne quod possumus, omne quod vivimus, omne quod sapimus.

O si aliquid haberem in toto mundo, quòd darem tibi, & gratum foret oculis tuis?

Quid vis habere, dilecte mi Domine? Bonorum meorum utiq; non eges. Nemo ditior te, & adhuc aliquid postulas à me?

Volo, inquis, totum habere: Da te mihi, & totum dedisti. Totus,

Totus, quantulus ſum, totus tui ſolius juris eſſe volo: nec habere me, nec velle alium Dominum, præter te unicum, proteſtor.

Cui enim fructuoſiùs, cui jucundiùs, & honorabiliùs me, & cor meum dare poſſum, quàm tibi, qui ſolus ſufficis mihi, qui totum te impendiſti mihi?

Tibi, tibi, dilectiſſime DEUS meus, tibi corpus & animam meam, tibi cor & omnes potentias, ac ſenſus meos, tibi quidquid ſum, quidquid poſſum, cum omnibus, quæ quomodocunq; ad me, ſive in præſenti, ſive in tota æternitate pertinere poſſunt, quantò poſſum affectu, dono & reſigno.

Certè, ſi univerſa, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, non tua, ſed mea eſſent, hæc darem tibi. Sed præcipuè, ô Rex cordium optatiſſime, qui dicis: Fili præbe mihi cor tuum: devoveo tibi, & nunc trado tibi cor meum, ut nunquam mihi illud reddas: ſed tu pro corde in me recondaris, ut motu, & calore tuo vivam.

Excludo à corde meo, quidquid tu non es: in te ſolo omnia gaudia, & deſideria cordis mei repono: tu ſolus potes ſatiare cor meum.

Illabere precor te, illabere in penetralia cordis mei: irrumpè in cor meum, & vim facias potentiſſimè, ut amem te. O quando hanc vim patiar! Tu ſolus dominare cordi meo; tibi ſoli, tibi cor meum pateat.

Tu ductor, tu ſis cuſtos cordis mei, ut exardeſcat ſiti ſolius Bonitatis tuæ, & ut repellat omne, quod adverſatur ſinceriſſimo amori tuo. O

O Spes firmissima cordis mei! certè adhærere tibi omni bono meo, bonum est mihi, & ponere in corde tuo fidelissimo omnem spem meam.

Actus desiderii videndi DEUM.

O Benignissime JESU, qui pro immensa pietate, & misericordia tua, pretioso sangvine tuo, vitaliq; morte tua, comparasti mihi cœlestem illam hæreditatem; nè me, quæso, excludas ab ipsa, digneris me perducere ad te ipsum, qui es summum & incommutabile bonum meum.

Dulcissime DEUS, ego tecum esse, amabilemq; faciem tuam intueri vehementer exopto. Et quando id mihi continget?

Quando ab hoc exilio, in cœlestem illam & veram Patriam meam revertar?

Credo, Domine, quod non video. Credo opes, delicias, & jucunditates cœli esse immensas, atquè æternas.

Credo, te summam increatamq; pulchritudinē, ac dulcedinem esse, â qua omnis pulchritudo, & dulcedo creata profluit; sed te nondum video.

Præsta Domine, ut permanendo in eo, quod credo, & non intueor, merear aliquando intueri, quod credo.

O JESU mi chare, quando quæso, corpus meum (te perimente) revertetur in pulverem, & anima mea refluet in te suam originem?

Quando in te, ô Pax mea dulcissima! obdor-

miam

miam & requiescam, ut apertè contempler tuam ineffabilem gloriam?

Quando plenè aspirabit mihi mellifluæ tuæ Divinitatis flagrantia, & exorietur tuæ manifestæ visionis dies sempiterna?

O quàm bonum est dilecte mi, te clarè videre, te habere, te in æternum possidere!

Eja tu mihi concede, ut miseram hanc vitam in tua gratia, atq; amicitia feliciter finiam.

Dulcis JESU, in hora exitus mei, benedic animæ meæ, & mortem meam involve vitali morte tua, quæ est charissimum fædus, firmissimumquè pactum reconciliationis tuæ.

Tunc mitte ad me fidelem adjutricem MARIAM Virginem, Matrem tuam amabilem, & stellam maris inclytam: ut conspectâ hîc præclarâ rutilantiq; aurorâ, cognoscam te solem justitiæ mihi jam propinquum esse.

Dic tunc animæ meæ: Ego Creator, Redemptor & Amator tuus, per angustias mortis quæsivi & acquisivi te: semper mecum eris, noli timere.

Eja præcellens gemma Divinæ nobilitatis, & elegans flos dignitatis humanæ, JESU svavissime, tu me hinc migrantem, benignè recipe in beatam domum æternæ pacis, & claritatis tuæ.

Ibi, ô Salus mea unica! visu mellifluæ præsentiæ tuæ consolare me.

Ibi in spiramento svavifluì spiritus tui, attrahe & imbibe me.

Ibi gustu charæ acquisitionis, quâ me redemisti, recrea me.

Ibi per osculum perfectæ unionis, in perpetuam tui fruitionem immerge me ut vivam de te, & exultem in te, tibiquè hostiam laudis reddam sinè fine, Amen.

PRO FERIA SEXTA.

Actus amoris DEI ob beneficium Sanctificationis, seu Justificationis.

O Amabilissime DEUS, quantùm dilexisti me? testantur ineffabilia & innumera, quæ mihi largitus es.

Ecce ex tot millibus, quos oblivioni dedisti, elegisti me ut essem: & ideò creasti me.

Ecce per unigenitum Filium tuum Redemptorem nostrum, à servitute diaboli, ab æterna damnatione à peccatis & ab omnib9 malis liberasti me.

Ecce ut redemptio, & mors unigeniti Filii tui, efficaciter mihi prodesset, ad Ecclesiam tuam, & veram fidem, & Religionē me vocare dignatus es.

Ecce per Spiritum Sanctum ob merita dilecti Filii tui, in Baptismo sanctificasti me: hoc est, à peccato originali purificasti, & mundasti me, & in filium tuum adoptasti: hæredem regni cœlestis, participem gratiæ tuæ, & amicitiæ fecisti.

Ecce, qui postquam usum rationis attigi, multoties & infinities, gratiam Baptismi, & sanctitatem, & justitiam peccando amisi; tu pro magnitudine misericordiæ tuæ, quotidie peccantem, & tè multipliciter offendentē tolerâsti, à damnatione præser-

præſervaſti, ad te ſæpiùs revocaſti, illuminaſti, compunxiſti, attraxiſti, & redeuntem ad te benignè recepiſti, juſtificaſti, & gratiam amiſſam reſtituiſti.

O Dignatio! ô Miſericordia!

O quomodo cor meum non eſt ardens in me, dum hæc cogito!

O Amabiliſſime DEUS meus, oſtende mihi, quantûm teneor diligere te, quantùm laudare, quantûm placere tibi, innoteſce mihi.

Aperi mihi oſtium luminis tui, ut videam, & cognoſcam, & confitear tibi in toto corde meo; quia miſericordia tua magna eſt ſuper me.

O quomodo non capior amore tuo? quomodo aliquid cogitare poſſum, nedum amare, præter te?

Amo, amo, & coram cœlo, & terra, & omni creatura, te amare æternùm volo, & nihil deſidero, præter te, nihil volo extra te.

O Si te ſolus ita amarem, ſicut te amant omnes juſti in terra, & Sancti in cœlo!

Gratulor infinitæ bonitati tuæ Divinæ, ô DEUS meus dilectiſſime, quòd adæquatè amari tantùm, quantùm amabilis es, nonniſi à te ipſo poſſis.

Et gaudeo, quòd ameris à te amore infinito Divino.

Gaudeo, quod ames te, quantùm amari dignus es; quòd ames te, quantùm amari potes, & quantùm amare potes. Offero tibi hunc eundem amorem tuum, pro amore meo.

Doleo, quòd, cùm tantùm amare te non poſſum,

quantùm amari dignus es, ne quidem tantùm te amem, quantùm amare te possum, si seriò vellem.

Da mihi, Domine, ut id valdè velim: da, ut charitate perfecta te diligam, ô bonitas infinita! tunc autem ex parte mea perfecta charitate te diligam, si te tantùm dilexero, quantùm id mihi possibile est.

Non possum te tam perfectè diligere, quantùm diligi potes, qui infinitè bonus es; da saltem, ut tantùm diligam, quantùm possum; da, ut beatos illos cives imitatus, quàm frequentissimè, & quàm ardentissimè possum, cor meum ad te elevem, & ferar in te, amando te.

Actus Laudis, seu Gratitudinis.

O Amantissime DEUS meus, quid retribuet tibi anima mea, insignita tua imagine, redempta Christi sangvine, desponsata fide, dotata Spiritu Sancto, & ab eodem Sanctificata, quid, inquam, retribuet tibi, pro tot beneficiis misericordiæ tuæ?

Benedicat te tota substantia animæ meæ, & corporis mei.

Glorificent te omnia interiora mea.

Conjubilent tibi omnia desideria mea: Tu laudabilis: Tu gloriosus in sæcula.

Benedicant, glorificent, & magnificent te pro me omnia mirabilia opera tua.

Benedicant te magnæ miserationes, & misericordiæ tuæ, infinita beneficia tua, mihi à te, ô

DEUS

DEUS cordis mei, impensa, & universæ creaturæ.

Tu ipse DEUS, & misericordia mea: tu pro omnibus bonis, quæ fecisti, facis, & facturus es mihi, persolve pro me tibimetipsi laudes æternas, quales potes, & scis congruere gloriæ tuæ, & honori Majestatis tuæ.

Nulla sufficit dignè laudare te creatura: Tu solus tibi sufficis.

Tu solus magnus, & laudabilis. Tu solus dulcis, & amabilis.

Benedicat te igitur pro me, gloriosum & admirabile Nomen tuum DEUS meus, & laudet te Majestatis tuæ imperiale decus.

Benedicat te immensa gloria tua, & laudet te infinita Potentia tua.

Benedicat te justorum judiciorum tuorum, & æternæ Sapientiæ tuæ inscrutabilis abyssus.

Benedicat te multarum miserationum tuarum infinitus numerus; & laudet te omnium misericordiarum tuarum immensum pondus.

Jubilent tibi omnia pietatis & bonitatis tuæ viscera.

Jubilet tibi tua immensa charitas.

Jubilet tibi, totius tuæ beatitudinis incomprehensibilis magnitudo.

Actus desiderii in æternum laudandi & videndi DEUM.

O Dulcissime DEUS meus, quando annectar illis Sanctorum laudibus, qui tibi incessanter proclamant illud ineffabile *Sanctus*,

Sanctus, Sanctus: ut cordis mei jubilus consonet in idipsum laudationis genus.

O quanta & qualis jubilatio, ubi uni & Trino DEO, ab una & Trina Deitate, consonat summa & æterna vox laudis, & gratiarum actionis!

O DEUS cordis mei, ibi, ibi, etiam nunc satisfaciat pro me tuæ jubilationis organum, pro omni bono quod fecisti mihi, in creatione, redemptione, & sanctificatione.

Adjunge me illi laudationis choro, ut medulla cordis mei, indefesse jubilet tibi.

Fac, ut in aspectu Divinissimi vultus tui, repleatur gaudio cor meum, & lingva mea perpetua jubilatione.

O quàm gloriosus locus habitationis tuæ, ubi tu DEUS altissimus, super omnia præsides in tua Majestate.

Concupiscit, & deficit virtus animæ meæ super introitu gloriæ tuæ.

DEUS, DEUS meus, cordis mei amor, & jubilus, refugium, & virtus, gloria mea, & laus mea, DEUS, ô quando laudabit te anima mea in Ecclesia Sanctorum?

O quando oculi mei videbunt te DEUM meum?

O quando tribues mihi desiderium animæ meæ in manifestatione gloriæ tuæ?

O quando contrito laqueo mortis hujus, sinè medio, videbit te & laudabit unica mea?

Tunc ô anima mea, tunc videbis & afflues & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando operiet

riet te inundatio misericordiæ & charitatis Divinæ, omnipotentiæ, bonitatis & Sapientiæ, tunc torrente Divinæ potentiæ seu voluptatis potaberis, tunc calice visionis Divinæ inebriaberis.

Petitio lacrymarum in signum Amoris DEI.

O Dulcissime DEUS meus, dum interea in terris vitam hanc mortalem duco, sicut desidero, sic tota mente mea peto: da mihi amorem tui Sanctum & castum, qui me repleat, teneat, totumq; possideat.

Da mihi evidens signum amoris tui, irriguum lacrymarum fontem jugiter emanantem; ut ipsæ quoq; lacrymæ, in me testentur tui amorem; ipsæ prodant, ipsæ loquantur, quantùm te diligit anima mea: dum præ nimia dulcedine amoris tui, nequit se à lacrymis continere.

O quomodo gemere, & flere debet talis anima, quæ te toto corde diligit, tequè toto desiderio, videre concupiscit?

O unica spes miserorum, præsta mihi hanc gratiam propter te, & propter Nomen Sanctum tuum: ut quoties de te cogito, de te loquor, de te scribo, de te lego, de te confero: quoties tui reminiscor, tibi assisto, laudes, & preces, ac sacrificium offero: toties obortis lacrymis in conspectu tuo copiosè & dulciter fleam: ita, ut efficiantur mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.

Tu Rex gloriæ, & omnium virtutum Magister, docuisti nos verbo & exemplo gemere, & flere

 dicens:

dicens: Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.

Tu flevisti defunctum amicum, & lacrymatus es valde super perituram civitatem.

Rogo te, bone JESU, per illas pretiosissimas lacrymas tuas, quibus mirabiliter nobis perditis subvenire dignatus es, da mihi gratiam lacrymarum, quàm multùm desiderat, & appetit anima mea: quia sinè dono tuo, non possum habere eam, sed per Spiritum Sanctum tuum, qui dura corda peccatorum mollit, & ad fletum compungit.

Da mihi gratiam lacrymarum, sicut dedisti Patribus nostris, quorum vestigia debeo imitari; ut plangam me in omni vita mea, sicut ipsi se planxerunt nocte ac die.

Licet me totum tibi obtulerim, opitulante gratia tua: in multis tamen quotidie offendo, propter nimiam fragilitatem meam.

Da ergo mihi gratiam lacrymarum, benedicte & amabilis DEUS, præcipuè ex multa dulcedine amoris tui, & commemoratione misericordiarum tuarum, præpara hanc mensam famulo tuo in conspectu tuo, & da mihi in potestatem, ut quoties volo, satier ex ea,

Tribue, pro pietate, & bonitate tua, ut iste calix inebrians, & præclarus, satiet sitim meam, ut inhiet tibi spiritus meus, & ardeat mens mea in amore tui, oblita vanitatis & miseriæ.

Audi, DEUS meus; audi, lumen oculorum meorum: audi quæ peto, & da, ut petam, quod audias.

Pie

Pie & exorabilis Domine, nè efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea: ſed propter bonitatem tuam, ſuſcipe preces ſervi tui, & da mihi effectum petitionis meæ, & deſiderii mei, precibus & meritis, glorioſæ Virginis MARIÆ, Dominæ meæ, & Omnium Sanctorum.

PRO DIE SABBATI.

Actus amoris DEI, ut finis noſtri ultimi.

O Bone DEUS, qui es principium, & finis ultimus noſter. Tu enim per omnipotentiam tuam creaſti, & feciſti nos, & non ipſi nos. Tu propter teipſum, & gloriam tuam creaſti me, ut te in hac vita laudarem, amarem, tibiquê, mandata tua ſervando, & voluntatem tuam faciendo, ſervirem, & ut in cœlo æternam beatitudinem, quæ in clara viſione tui conſiſtit, obtinerē; te poſſiderem, & te fruerer in æternum.

Ideò, igitur me ad imaginem, & ſimilitudinem tuam, videlicet, hominem rationalem, capacem æternæ beatitudinis, & gloriæ tuæ condidiſti: media quoq; neceſſaria ad illam conſequendam providiſti.

O Benigniſſime DEUS meus, quis ſum ego, ut præſtares mihi talia? qui me â te in æternum nō abjeciſti, quin potiùs mei miſertus, ac me tenerrimè diligens ad eum finem, cujus gratiâ Angelos condidiſti, nempè ad te, per omnem æternitatem poſſidendum, & fruendum, creaſti.

O quantùm beneficium hoc eſt, quod mihi præſtitiſti! O quàm magni æſtimandum!

Ego autem ingratiſſimus hucuſq; fui, qui non conſideravi, non diligenter in animo expendi, hanc tuam ſpecialem gratiam, & amorem erga me tuum, ex quo me ad tam ſublime faſtigium gloriæ æternæ, ut in miſericordia tua, & in meritis Chriſti Domini noſtri ſpero, prædeſtinaſti.

Et ideò minus curavi, ut ad felicem illum, & ultimum meum finem pervenirem, propter quem tu me creaſti, qui es verum, unicum, & ſummum bonum meum.

O quanta hæc cordis mei veſania! quanta ingratitudo.

O DEUS meus, omni amore, honore, & reverentiâ digniſſime, doleo ex toto corde, ex amore tui ob hanc meam ingratitudinem: exnunc emendationem propono.

Ne deſpicias me, quæſo, benigniſſime DEUS, propter amorem tuum; nec proijcias me unquam à facie tua.

Da, Domine mi, ut ſic te amantem, prout vis, redamare poſſim.

Ecce Domine, coram te eſt cor meū, deſiderat te amare ſuper omnia, ſed per ſe non poteſt.

Admitte me intra cubiculum amoris tui, peto, quæro, pulſo.

Langvet anima mea fame amoris tui, refocilla eam: Satiet eam dilectio tua, impingvet eam affectus tuus, impleat eam amor tuus: occupet me totum, & poſſideat me totum. Hæc

Hæc ſunt ſuſpiria, quæ ſacrifico tibi, hæc deſideria cordis mei, quæ offero tibi.

Accende, quæſo, cor meum vehementer in amorem tui, ut diligam te, ex penitiſſimis medullis animæ meæ.

Da, Domine mi, ut ego totus, dulcedine amoris tui plenus, totus flammâ ſanctæ charitatis ſucceńſus, diligam te ex toto corde meo, & ex intimis præcordiorum meorum.

Diligam te, ô ſvavis amator: diligam te ô unica ſalus animæ meæ: diligam te, quia prior dilexiſti me.

Præſta, ô dulciſſime DEUS meus, ut magis, magiſquè te amem: valida vis amoris tui, funditus à me excutiat pondus omnium terrenorum deſideriorum, & indeſinenter currere me faciat, ad te deſiderabiliſſimum finem ultimum meum.

Vileſcant mihi omnia tranſitoria & terrena. Tu ſolus placeas: te ſolum deſidero, ad te anhelo; concede, ut te inveniam, inventumq; teneam, & brachiis ſvaviſſimi amoris tui arctiſſimè conſtringā.

Utinam te mihi dones, & me tibi intimè unias!

Utinam te unicum bonum meum, poſt hanc vitam, poſſideam, & te fruar in æternum!

Actus gratitudinis pro beneficio vocationis ad ſtatum Religioſum.

ET quoniam inter alia media ſalutis, vocaſti me, Domine DEUS meus, ad ſtatum Religioſum, ut in eo tibi ſerviens faciliùs perveni-

venirem ad finem illum, ad quem me creasti, ideò mille laudibus te extollo, & immensas tibi gratias refero.

O Charitatem! O Infinitam bonitatem!

Et quid unquam oculis Majestatis tuæ placuit in me?

Quid boni ego feci? quid merui? nihil. Sed vox sangvinis tui, ô JESU, ô JESU, clamavit ad DEUM Patrem, & inveni gratiam in oculis ejus.

Et nunquid sunt, qui dicunt? Quare hic eligitur & nos derelinquimur?

Nec habeo, quid dicam? Misericordias Domini in æternum cantabo.

Quantùm enim illud beneficium fuit, quando me bonitas tua, de vana mea conversatione, ad tuam cœlestem, de sæculo nequam, ad hanc sacram Religionem vocavit?

DEUS meus tu, & confitebor tibi: DEUS meus tu, & exaltabo te.

Tradendus eram inferno, non istud fecisti: potiùs magis post tot injurias, exaltasti.

Quot sunt, quos oppressit mors, in fervore peccatorum suorum?

Quot sunt, qui nunc in flammis infernalibus cruciantur?

Quid & de me factum fuisset, si me sic ad tremendum tuum judicium vocasses?

O Altitudo judiciorum tuorum! O magnitudo misericordiæ tuæ?

O Misericordia! ô Redemptio mea! Video me

tantùm

tantùm tibi debere, quantùm deberem, si me jam in infernum præcipitatum ex inferno liberâsses.

Benedicta illa hora, quâ me sic de tabernaculis peccatorum tulisti, & annumerasti me cum generatione quærentium faciem tuam.

Benedicta illa hora, quâ sic ab inferno eduxisti animam meam: salvasti à descendentibus in lacum animam meam.

Benedicta illa hora, quâ me sic in filium tuum, & in Templum tuum consecrasti.

Verè locus iste Sanctus est. Verè DEUS in loco isto. Hîc enim sub eodem tecto, in Sanctissimo Sacramento cohabitas mihi, & ego tibi: habeo hic pignus vitæ æternæ: habitas mecum in terris dans mihi teipsum in arrham, quòd tecum habitabo in cœlis.

Beati & ter quaterq; beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorũ laudabunt te.

Actus Laudis.

SIs benedictus & tu infinities, Domine DEUS meus, in æternum, qui me ex innumeris mundi periculis liberasti, & ad hanc Sanctã Religionem Sanctissimæ DEI genitricis Virginis MARIÆ vocâsti.

Sis benedictus, qui me ad illam ineffabilem gloriam æternam, & ad te fruendum in æternum creasti.

Pro quibus, & pro omnibus aliis beneficiis tuis, cuperem Domine te nunc laudare, benedicere

& glorificare, tali ac tanta laude, ſicut te decet, ſicut tibi placet, & ſicut tu laudari maximè delectaris: ſed quia ad hoc præſtandum infirmus ſum.

Laudet igitur te, & benedicat pro me, ô DEUS vitæ meæ, tuæ imperialis Trinitatis Divinitas, eſſentialis unitas, perſonalis proprietas, dulcis ſocietas, mutua & intima familiaritas.

Laudet te, & benedicat, tuæ incomprehenſibilis dignitatis ſublimitas, glorioſa & perfecta felicitas, incontaminabilis puritas,& fontalis ſanctitas.

Laudet te: & benedicat tua incommutabilis æternitas; infallibilis veritas, & inæſtimabilis charitas.

Laudet te, & benedicat tua æterna ſecuritas, mira ſerenitas, & plena ſvavitas.

Laudet te, & benedicat Sanctiſſimæ Humanitatis Domini noſtri JESU Chriſti caro mundiſſima, ipſius anima præclariſſima, ejuſq; cor dulciſſimũ.

Laudet te, & benedicat pro me glorioſiſſimæ Virginis DEI genitricis MARIÆ digniſſimum cor, & anima.

Laudent te, & benedicant pro me, ſeptem Spiritus beati, qui tibi adſtant, ante conſpectum throni tui.

Laudent te, & benedicant, infinita Sanctorum Angelorum caſtra, omnes Patriarchæ & Prophetæ, glorioſus Apoſtolorum chorus, candidatus Martyrum exercitus, laudabilis Confeſſorum numerus, Sancta & immaculata Virginum turba, & omnis electorum tuorum, cohors.

Laudent te, & benedicant omnia cœli ſidera, & univerſa mirabilia opera tua, quæcunq; cœli, terræ, & abyſſi complectitur circumferentia.

Laudet te, & benedicat cor meum, & anima, cum tota carnis & ſpiritus mei ſubſtantia, ex totius univerſitatis efficacia.

Tibi ergo ſit benedictio, & claritas, & Sapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo DEO noſtro in ſæcula ſæculorum, Amen.

Actus deſiderii videndi DEUM, *& intenſiſſimi amoris* DEI *in morte.*

O Domine DEUS meus, ut tanto beneficio, tantæq; dignationi & charitati tuæ non ſim ingratus: ſed contendam aſſequi finem, propter quem me, tam nobiliter creaſti, volo ex puro amore tibi ſervire, te amare, tuaq; mandata quàm perfectiſſimè obſervare.

Et ex hoc momentò temporis, dirigo omnes meas cogitationes, opera, & deſideria, ad hunc finem, nequè fatigabor, aut deſiſtam, donec ad eundem perveniam.

Unde nihil magis mihi curæ, aut cordi erit, quàm ut conjungar tibi viſione, amore, gaudio, in qua unione conſiſtit, & meum ſummum bonum, & ſumma tui gloria.

Tu, Domine, feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec perveniamus ad te.

Tua ſola majeſtas cor noſtrum poteſt implere, tua bonitas, & dulcedo ſatiare.

Capaci-

Capacitatem nostram, nec dignitates, nec divitiæ, nec voluptates neq; universa bona creata replent, sed unum tantùm bonum infinitum & increatum, quod tu ipse es, replere potest, & felicem efficere.

Cùm igitur, te meum ultimum finem possedero, tunc beatus ero.

O Si contingat mihi, quod cupio!

O DEUS meus, tu es mea optatissima possessio, sine qua aliud quidquam in cœlo, & in terra nec spero, nec volo.

O Pater misericordiarum, fac ut maneam tecū in Regno tuo, tibi unitus intimè in æternum: fac ut intuear faciem tuam, & laudem dicam Nomini tuo, in sæculum & in sæculum sæculi.

O Quando lætificabis me tuâ præsentiâ?

O Quando dicetur mihi: Convertere in requiem tuam, quia Dominus benè fecit tibi?

Utinam audiam vocem illam jucundissimam:

Euge serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui!

O Utinam intrem in gaudium Domini mei, non ut gaudeam de felicitate mea, sed de te, tuâque gloria, propter te, qui es omne bonum, & diligam te toto corde meo, & anima mea!

O Utinam hora mea consummationis signetur, sigillo tuæ dilectionis, charactere tuæ æternæ propitiationis, ubertate tuæ benedictionis!

Utinam perveniat anima mea ad te summum bonum, sempiternæ tuæ fruitionis & possessionis?

Tunc

Tunc ſatiabor, tunc adimplebor de torrente illius voluptatis, cum videbo DEUM meum, amorem meum, in quem tunc deficit cor meum.

O Amor dulciſſime DEUS meus, quis mihi det in ultimo vitæ meæ puncto ardere immenſis ignibus amoris tui, ut qui aliquando remiſſus in amore tuo fui, tunc Seraphico amore tui compenſem?

O Si tantùm in puncto reſolutionis meæ conciperem tui amorem, qui ſolus ſufficeret ſeparare animam meam à corpore meo!

Da, clementiſſime DEUS, da, ut non tam corporalis acerbitate doloris, quàm ardentiſſimi amoris tui actu expirem.

O Miſericordiſſime ac liberaliſſime DEUS, rogo te, ut des mihi ad extremum vitæ meæ inſtans uſum rationis, quin & ſenſuum, ut te etiam in extremo vitæ puncto ſuper omnia diligam, ſuper omnia æſtimem, ſuper omnia cupiam, tanquam ſupernaturale bonum, ultimumquè finem meum; & ex ijſdem motivis, dolendo de peccatis meis, in manus tuas, & Sanctiſſimæ DEI genitricis Virginis MARIÆ, & Angelorum, atq; Patronorum Sanctorum meorum, ſpiritum meum tradam.

Fac in hora mortis meæ, benigniſſime DEUS meus, ut amor & ſitis te videndi & laudandi fortis, ſuperet in me vim mortis. Tu ipſe in illa anguſtia, ſis mihi porta & patria, quouſquè me perducas, ad intima cœli tua gaudia.

O Pax mea, DEUS meus, quando obdormiã in te? Obdormiã, obdormiã, oro, in corde tuo, & ibi


requie-

requiescam, ut non commovear in æternum.

O Svavissima requies cordis mei, Dulcissime JESU, illa tua oratio ad Patrem: In manus tuas commendo spiritum meum: prosit mihi in hora mortis meæ, comitetur me, extremum spiritum meum agentem.

Pateant mihi tunc viscera misericordiæ piissimi cordis tui.

Patens cor tuum benignissimum, sit mihi locus refugii: ibi vivere, ibi mori desidero.



EXERCITIUM VARIORUM AFFECTUUM ET ACTUUM VIRTUTUM,

Compendiosè cum magno merito nostro faciendorum in quacunq; Perfectionis via, quod vocatur,

Pactum cum DEO factum.

QUia non debemus esse contenti aliquot actus certarum virtutum in die elicere, sed necesse est conari, ad singulas respirationes, innumerabiles actus variarum virtutum exercere, ut magis Domino DEO placeamus, & plura merita lucrari valeamus. Verùm quia hoc est factu difficilè: ideò aliqui spirituales & devoti viri invenerunt modum facilem, quo possemus hoc consequi. Svadent, videlicet, facere cum Domino DEO certum Pactum, in quo intentionem & desiderium nostrum declaramus, & protestamur nos

velle tot actus, tot virtutum, toties ejus Majestati Divinæ offerre. Quod exercitium dici satis non potest; quàm admirabile continet in se arcanum, quo mereri multùm, modico tempore, & parvo labore possumus.

Ad hunc igitur finem aliquot pacta hîc posita sunt, quibus uti, vel omnibus, vel aliquibus, unicuiq; juxta suum beneplacitum licebit.

PACTUM I.

O Sanctissima Trinitas unus DEUS, Pater, Fili, & Spiritus Sancte, qui me propter te ipsum creasti, profiteor titulis infinitis, me esse & velle esse servum tuum: & ideò tibi placere semper desidero; atq; te amare, laudare, adorare, de te cogitare & loqui, & omnes possibiles tuæ Divinæ Majestati gratos affectus, erga te exercere continuos, & sinè cessatione percupio. Verùm quia præsentis vitæ ratio id me perficere non permittit: ideò non ex aliqua præsumptione, sed ex sola dignatione tua & bonitate, cui confido, hanc meam voluntatem te acceptaturum, neq; ex affectu meo tepido, sed ex ardentissimo affectu Beatissimæ Virginis MARIÆ, & omnium Angelorum, atq; Sãctorum, justorum quoq; Universorum: tale pactum meum tecum ineo pro tota vita mea, & statuo, in quo intentionem & desiderium meum declaro, quòd ad omnes cogitationes, verba, & opera mea, ad omnes cordis, corporis, & animi mei actus & motus, ad omnes respirationes & in-

ſpirationes meas, etiam ad ſingula temporis momenta, millies, millies, millies, immò millionies, millionies millionies immò infinities, infinities, infinities hos erga te Dominum ac DEUM meum affectus, & ex puro amore tui, atque ex ſolo deſiderio placendi tibi, hos virtutum actus exercere volo: videlicet.

Toties credo te eſſe qui es: credo te unum in eſſentia & trinum in Perſonis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, credo te infinitè Potentem, Sapientem, Bonum, Amabilem, Immenſum, Æternum, & infinitas perfectiones habentem.

Credo tibi, ut inffallibili veritati: & ideò credo omnia & ſingula quæcunquè à te revelata credit Sancta Mater noſtra Eccleſia Catholica.

Credo in te amando te, & omnia ad infinitam gloriam, honorem, tuumq; beneplacitum dirigendo. Et paratus ſum millies mortem atrociſſimam pro qualibet Fidei veritate perferre.

Præterea ſic omnia à te revelata credo, ut in hac fidei profeſſione multos milliones actuum fidei, ad omnes reſpirationes & inſpirationes meas, cuperem ejuſmodi elicere, quales MARIA Virgo Sanctiſſima, & alii Sancti ac juſti unquam elicuerunt, & elicient ad finem mundi.

Amo te DEUS meus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, ex tota mente mea; & déſidero te amare quantùm poſsū, & quantū debeo.

Amo te pluſquàm me: quia tu dilexiſti me pluſquàm te: mori enim voluiſti pro me.

Amo

Amo te, & conſecro tibi cor meum, omneſquè affectus illius, eo fine, ut nunquã ceſſet amare te.

Amo te plùs his omnibus, quæ in mundo ſunt, plùs commodis & deliciis: plùs gemmis & divitiis: plùs omnibus honoribus: plùs charis omnibus.

Utinam collectos habere poſſem amores omnium creaturarum, quæ amoris capaces ſunt, quæ fuerunt, ſunt, & erunt, & omnium poſſibilium, & hiſce omnibus amoribus te amare!

Amo te, dulciſſimè DEUS meus, & paratus ſum pro te omnes morbos & dolores, omnes cruces & tormenta, famem & ſitim, æſtum & frigus, dæmonum tentationes, & deſolationes, inſuper pro te pati, & mori millies, millies, millies.

Utinam amem te ut Sanctiſſima Humanitas Domini noſtri JESU Chriſti, & Mater ejus Deigenitrix Virgo MARIA, & omnes Cœlites juſtiquè omnes!

O Si amem te, prout vis, & prout amabilis es, & prout tu teipſum amas!

Amo te, ô dilectiſſimè Domine mi, ſuper omnia, nec quidquam committam, quod ſit contrarium amori tuo, nec quod diſplicere oculis tuis poſſet; & ideò ex amore tui doleo de omnibus peccatis meis tam magnis quàm minimis.

Doleo quod unquam offenderim te ſummo honore & amore ſuperdigniſſimum.

Deteſtor & abominor omnia & ſingula ſcelera mea, quia ſunt offenſa tua.

Utinam te nunquam offendiſſem, utinam priùs occubuiſſem, quàm in te peccaſſem!

Nolo te ampliùs offendere. Paratus ſum millies mori, quàm illud, quod tibi diſplicet committere.

Sed quoniam infinitè bonus es, ideò veniam omnium peccatorum meorum à te ſpero.

Præterea firmiſſimè ſpero, me tandem auxilio tuo, & bonis operibus gratiâ tuâ præſtitis, gloriâ ſempiternâ fruiturum.

Nullam omninò ſpem ſalutis æternæ habere nunc in vita, aut in morte volo, præterquam in meritis Domini noſtri JESU Chriſti, ejuſquè Paſſione Sacratiſſima.

Clementiſſime DEUS meus, cum ſis liberaliſſimus & benigniſſimus, ſpero me à te obtenturum omnia ad ſalutem meam neceſſaria: videlicet, veniam omnium peccatorum meorum, quantùmvis multorum & enormium, extinctionem vitiorum, victoriam tentationum, mortificationem paſſionum, adeptionem virtutum, ac intimam tecum familiaritatem ac unionem, in formidabili mortis adventu tuam aſſiſtentiam, contra hoſtes animæ meæ protectionem, finalem in gratia tua perſeverantiam, deniq; cum tuis prædeſtinatis cœleſtem gloriam, ut ibi cum omnibus Beatis amem te, & laudem in æternum.

Et quoniam præcipis mihi, Domine mi piiſſime, ut amem etiam proximum meum; ideò quantùm poſſum, cupio, & volo eum amare ſicut me ipſum; precorq; ipſi à te omne bonum, quò felicior atq;

tibi gratior fiat: præsertim justificationis donum, gratiam, virtutes, omnem profectum, & vitam æternam.

Parco ob amorem tuum omnibus proximis meis, qui me aliquando vel facto, vel verbo læserunt; amo illos propter te, & secundum te, & pro eis te supplex oro, da illis veniam, vitam bonam & sanctam, & gloriam.

O Domine DEUS meus, te adoro, & simul adorare te volo, & intendo omnibus Angelorum & Sanctorum adorationibus, quibus usq; modò te adoraverunt, & adorabunt in æternum: & centum millenis adorationum millionibus, quas omnes Sancti & justi Ecclesiæ millitantis faciunt; & omnibus adorationibus, quæ fieri possunt per totam æternitatem.

O Superbenedicta Trinitas DEUS meus, infinities benedico tibi: & singulis momentis dicere intendo: Benedictus DEUS in æternum.

Ultrà hoc, cupio tibi tantas reddere benedictiones, quantas mereris tu; & quantas Angeli, hominesq; omnes tibi possunt desiderare,

Immò opto in actionibus singulis, in dictis, & cogitationibus meis, quas unquam habeo, ut ego, & quotquot in orbe vivunt, tantis te benedictionibus prosequamur, quantis te unquam prosecuti sunt, & prosequentur aliquando omnes Angeli, & homines; & quantis per totam æternitatem possent te prosequi omnes creaturæ rationales, quas tu in mundis infinitis creare posses.

O inæstimabilis DEUS meus, te super omnia pretiosa mundi appretio, & tanti æstimo, quanti omnes Angeli Sancti, & Beati, ac universæ simul creaturæ te nunc æstimant, æstimavêre, & semper æstimabunt: idq; modis illis omnibus, quibus mereris æstimari, & in pretio infinito haberi.

Volo, desidero, & millies ac millies opto, totisquè viribus procurare per te propono, ut omnes ac singulæ rationales creaturæ te cognoscant, adorent, glorificent, ament, & ex puro amore tibi serviant, ac perfectè obediant.

Gaudeo, DEUS meus, de eo quod es, quod operaris, & de omni bono tuo, & pleno Domino ac Beatitudine, deq; tuo honore & voluntatis tuæ impletione, & semper gaudere volo.

Gaudeo, & pro mea beatitudine duco, & reputo, quod tu habeas infinitam gloriam, opulentiam, potentiam, sapientiam, & omnium bonorum cumulum cum æterna securitate.

Gaudeo, quod tu Sanctis & Electis omnibus in æternis amoribus es, & quòd tu infinito amore temetipsum prosequeris.

Gaudeo & de honoribus illis, qui tibi ab omnibus Sanctis in cœlo, & per universum orbem terrarum, à cuncto populo Christiano exhibentur, & æternùm exhibebuntur.

Gaudeo etiam, Domine, propter opera bona, quæ unquam facta sunt, hodie fiunt, fientq; deinceps, propter amorem tui, aliaq; omnia quæ fieri possunt ab ijs quos creasti & creare potuisses, idq; eâ, quâ possibile est, perfectione. Gaudeo

Gaudeo ob ea, quæ Dominus noſter JESUS Chriſtus, Virgo MARIA, Sancti Angeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, omneſq; Sancti & fideles omnes egerunt, ad gloriam tuam, necnon ob amorem, quo te æternum proſequentur, & laudes quas tibi in perpetuum dicent.

Proteſtor coram te DEUS meus totaquè curia cœleſti, quòd in omnibus actionibus meis, cogitationibus & verbis, nihil aliud intendere, totâ vitâ meâ volo, niſi ſolùm purum honorem, gloriam, amorem & beneplacitum tuum.

Purè propter te eſſe & vivere, & ex tui amore, atq; ut tibi ſoli dem guſtum, tibiq; placeam, omnia deſiderare, quærere, petere, agere, dimittere, pati vel refugere, nihil attendendo ad meum commodum procurandum, vel damnum vitandum, decerno.

Opto quoquè ut haberem millies mille vitas, quas omnes in augmentum gloriæ tuæ impenderem; & ut res mundi omnes verterentur in voces & lingvas, quæ te poſſent glorificare.

Cupio præterea omnes actiones meas exercere, eo ſtudio gloriæ tuæ, quo in te feruntur modò, ferenturquè in æternum Beati in Cœlo & fideles in terra.

Et quoniam ob actiones meas imperfectionibus plenas, indignum me duco, qui aliquid in commune conferam ad gloriam tuam, humillimè tibi ſupplico, ut tu te glorificare in me velis, omni

modo quo fieri possit ad gloriam tuam.

Insuper cum sim indignus neq; ad modum Angelorum, & Beatorum, neq; aliorum insignium tuorum servorum te glorificare, illud saltem in votis habeo, ut te glorificem cum omnibus terræ vermiculis, & vilissimis aliis creaturis, quæ & ipsæ suo quo possunt modo, te glorificant.

Complaceo mihi, dulcissime DEUS meus, in omnibus perfectionibus tnis, in excellentiis universis, in illa quoq; divinissima communicatione, quæ inter tres Personas Divinas intercedit: in illa præterea complacentia, quam tu, Domine DEUS meus, de te ipso habes; & gloria illa, quam Sancti omnes reddunt tibi, reddentquè in cœlo, & in terra.

Et his complacentiis infinito quodam modo, magis acquiescere volo, quàm aliis omnibus oblectamentis, quibus frui possem, modo etiam perfectiori, quàm sive sensus, sive animus meus, in hac vita desiderare possent.

Displicent mihi quoquè omnia quæ tuæ displicent Divinæ Majestati, sive in me, sive in aliis, sive in tempore hoc, sive in æternitate, usq; adeò, ut si quidpiam nossem in me, aut proveniens à me, sive cogitatio illa foret, sive verbum, sive actio, sive motus quicunq; etiam levissimus, qui ad gustum tuum non esset, eum nihil cunctarer quàm primùm reijcere à me, prout & nunc jam reijcio.

Desidero, ô Desiderium cordis mei DEUS meus! quantùmvis maxima facere amore tui, sciens

quia

quia tu pro factis desiderata accipias, cum impotentias nostras intueris, quæ efficere ea nos vetat.

Desidero ex toto corde meo propagari ubiquè imperium tuum: & vellem omnes potentiæ animæ meæ, omnia membra corporis cum omnibus operationibus ejus, totidem essent ora ac tubæ, quæ prædicarent ubiquè locorum, solùm te unicè dignum esse omni amore & honore, & cui ab omnibus serviatur.

O si tam essem eloquens, & in persvadendo potens, quemadmodum vellem, omnes continuò monitis meis sanctos efficerem, & ad eum amoris tui gradum proveherem, ut cordibus singulorum, tui amoris tantùm inesset, quantùm unquam inerat cordi Sanctissimæ Humanitatis Christi Domini nostri, & Beatissimæ Virginis MARIÆ Matris ejus, Beatorumq; omnium atq; justorum.

Opto habere tot corda, quot in aëre atomi volitant; quot arenæ per maris littora jacent, ut amare te valerem cordibus his universis, vel, ut dicam rectiùs, corde unico, quod omnibus istis æquivaleret.

Desidero habere desiderium amandi te tantum, quantum te amandi desiderium habuerunt, & habebunt omnes, qui tibi placuerunt, & placebunt ab Adamo usq; ad ultimum omnium mortalium tibi placentium. Desidero quidquid habent Seraphini omnes, & omnes dilecti ac electi tui una cum JESU Domino ac Rege nostro, & MARIA Virgine omnium Electorum Regina.

Quòd

Quòd ſi aliquando hæc deſideria non habuero ardentiſſima, opto tamen illa habere quàm maxima, & tanta quanta omnes Sancti in cœlis, & juſti in terris habuêre unquam, & habebunt, & quanta vis me habere, & alios omnes.

O Clementiſſime DEUS meus, memor beneficiorum tuorum, quæ in me totâ vitâ contuliſti, tibi pro cunctis gratias ago immortales cum omni efficacia, quam tu maximè concipere potes.

Et imprimis, gratias tibi ago, quòd me ad imaginē & ſimilitudinem tuàm creaveris; quòd me hactenus conſervaveris: quòd me per unigeniti Filii tui mortem Sacratiſſimam & Paſſionem redemeris: quòd me lavacro Baptiſmatis regeneraveris; ac vivum Templum, & Filium adoptivum ſinè ullo meo merito, immò cum multis demeritis meis effeceris: quòd me tam multis bonis inſpirationibus, cogitationibus, & deſideriis benè agendi præveneris: quòd à Diaboli poteſtate, morte, & inferno toties eripueris: quòd è tenebris peccati in quibus diutiſſimè hæſi extraxeris, cum tanta ſvavitate & patientia præſtolando pœnitentiam meam, nec præcipitem in infernum agendo, ſicut merebantur ſcelera mea: quòd deniq; cum tanta vi, & efficacia me vocaveris: quòd deniq; per tuam miſericordiam & clementiam me tanquam Filium ſuſceperis, atquè graviſſima peccata mea uti piè confido dimiſeris: quòd eâ ſalutis causâ ſalutaria Sacramenta inſtitueris: quòd me, ut in bonitate tua ſpero, ad æternam vitàm prædeſtinaveris:

veris: quòd me à multis malis & periculis sæpè liberaveris & præservaveris: insuper, quòd me innumeris particularibus beneficiis, quæ aliis non contulisti, affeceris, pro quibus omnibus tum naturæ, tum gratiæ, tum occultis tum manifestis, tum cognitis tum incognitis generatim & specia-tim, mihi, immò & aliis omnibus creaturis, quæ sunt, fuerunt, vel erunt, concessis & concedendis donis; specialiter pro his universis, quæ hucusquè copiosissimè largitus es Sanctis Angelis, & hominibus, Beatissimæ Virgini, & Sanctissimæ Humanitati Filii tui Domini nostri; tota contentione cordis mei, totisq; viribus, infinitas tibi gratias ago, sicut infinitus est amor tuus & bonitas tua, ex qua illis nos affecisti.

Immò nesciens, neq; valens referre tibi gratias, quantas deberem & cuperem, invoco JESUM Christum Dominum nostrum, Beatissimam Virginem MARIAM, & omnes creaturas tam visibiles quàm invisibiles, ad agendas tibi pro me gratias; & illas, quas ipsæ quocunq; gratitudinis genere modoq; tibi reddiderunt, reddunt & in æternum redditturæ sunt, ego illas pro me nunc omnes tibi offero, & unà cum illis eodem affectu, & gratiarum actione tibi gratias ago.

O Laudabilissime DEUS meus, ob tua immensa beneficia, quæ mihi, & cunctis creaturis præstitisti, & præstiturus es; & ob inæstimabilem Magnitudinem, Excellentiam, Magnificentiam, & infinitas Perfectiones tuas, toto pectore te laudo,

exalto,

exalto, magnifico, & veneror: atq; utinam hoc possim absq; cessatione præstare, semper, & in omni loco terrarum, tantùm, quantùm te exaltant, magnificant, honorant, honorabunt, honorarunt, & honorare potuerunt simul omnes creaturæ, & omnes, qui fuerunt, sunt, & futuri sunt.

Immò cupio simul reddere tibi omnes illas laudes, quas potuissent, possunt, poteruntvè deferre Beatissima Virgo, Sanctissima Humanitas Christi, & omnes Sancti, & tantùm, quantùm possunt innumeri mundi, & infinitæ creaturæ, tam visibiles, quàm invisibiles, quas omnipotens manus tua creare potest: & tantas laudes, tantos honores, desidero tibi exhibere, quantos nosti exhiberi posse, & quantos mereris.

O Dignissime DEUS meus, pro universis beneficiis tuis paulò ante recensitis, si millies me tibi singulis horis impenderem, nihilominùs infinitè obstrictus ac debitor manerem.

Quare ego tam talis, qualis sum, liberè & maxima qua possum efficaciâ, me tibi consecro, & per omnia in plenissimum holocaustum offero: nimirum corpus & animam: omnes vires & potentias illius; omnem capacitatem voluntatis ad te amandū, intellectûs ad te cognoscendū & ad te glorificandū; omnes sensus meos, & illorū vim, functiones, & usum, oculos meos, & omnes aspectus, auditum, odoratū gustū, & tactū; omnes appetitus & operationes illorum; omnes deniq; arterias, venas, membra, & ossa corporis mei, omnes illorum facultates,

cultates, & motus vel actus; ſicuti etiam omnes meas cogitationes, verba, & opera, ſtudia, occupationes, & actus totius vitæ meæ, vitam quoquè meam, tempus meum, æternitatem meam, totumquè eſſe meum, in natura, & gratia, me deniquè, tanquam viliſſimum & indigniſſimum mancipium tuæ omnipotentiæ & bonitatis, & à miſericordia tua totaliter dependens: atq; ex vi huius meæ donationis, nunquam per tuam gratiam revocandæ, omnia mea in perpetuum tua eſſe intendo, & illo cordis affectu, quo noſti fieri poſſe flagrantiſſimo, deſidero.

Præcipuè verò offero tibi vitam, pretioſum ſangvinem, & Paſſionem, ac infinita merita Domini mei JESU Chriſti, Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum.

Offero præterea omnia Sancta Miſſæ Sacrificia, quæ vel hactenùs in Eccleſia peracta, vel deinceps uſq; ad conſumationem ſæculi peragenda ſunt.

Offero tibi, omnia bona ſpiritualia, cogitationes, verba, & opera bona, quæ fecerunt, faciunt, & facturi ſunt omnes homines, qui fuerunt, ſunt, futurivè ſunt unquam in hoc mundo; immò omnes iſtas cogitationes, verba, & opera bona, quæ poſſent habere infiniti homines, quotq; creari poſſunt à tua Omnipotentia: ita ut, ſi poſſem, ex amore tuo eadem facere vellem, illâ efficaciâ, quâ tu ſcis maximâ fieri poſſe, & illo modo, qui eſſet Majeſtati tuæ gratiſſimus.

Offero quoq; tibi, omnes pœnas, dolores, martyria,

tyria, & omnia mala pœnosa animæ & corporis; quæ passi sunt, patiuntur, & passuri sunt omnes homines, sive in mundo, sive in purgatorio, sive in inferno, secundum beneplacitum tuum; & omnia, quæ scis ab omnibus & singulis tolerari posse, non solùm in hoc orbe, sed etiam in centum millibus & infinitis mundis, purgatoriis, & flammis infernalibus: ita ut, si tibi placeret, cum gratia tua, omnia talia libenter, propter amorem tuum, salutem meam, & proximi, vellem perpeti.

O DEUS omnipotens, quem unum ego Dominum agnosco, tibi soli fideliter æternùm servire volo: & idcirco omnes curæ meæ, eò nitentur, & voluntates tuas, ea mente exquiram, quatenùs illas, cum quanta fieri potest perfectione adimpleam.

Et nunc submitto me, ex toto corde omnibus legibus svavissimæ servitutis tuæ, quàm ex debito tibi deferunt creaturæ omnes.

Unde exulto, quòd à te uti supremo Domino servus tuus dependeam, usq; adeò ut, si fieri posset, quòd ego minimè à te dependerem, vel ex hoc momento, omni illi juri talis independentiæ renuntiarem. Non enim aliud volo, quàm esse per omnem æternitatem mancipium tuum.

Quo in proposito, volo esse tibi fidelis, & mori in servitiis tuis, in ijsq; perdurare, quacunquè demum ratione me tractare volueris, & ideò si fiat, ut vultum quandoquè mihi minimè benignum videaris exhibere, erit mihi ille nihilominùs semper amabilis.

O Domi-

O Domine piissime, omni affectu cordis mei abnegato, per omnia tibi me totum resigno, & quantùm per me fieri potest, perfectissimè voluntatem meam in tuum divinum beneplacitum transfundo: in quo solo cupio mihi complacere, & quiescere.

Quare te rogo, velis de me, meisq; rebus omnibus disponere, quomodo, & quantùm tibi placet, & videtur conducere ad majorem tuam gloriam.

Projicio me in sinum divinæ tuæ providentiæ, abjectâ de me omni curâ, amantissimè susceptûrus quidquid à divina manu tua submittetur.

Unde si me vis vivere aut mori: si vis me sanū vel infirmum; si honoratum vel contemptum ab omnibus, si vis me habere consolationem vel desolationem: si felicitatem vel calamitatem, hæc omnia gratanter acceptare volo, illud semper dicendo: Domine DEUS meus, fiat voluntas tua. Ita enim submitto tuæ Divinæ meam voluntatem, sicut fecit Beatissima Virgo MARIA, & omnes fideles servi tui. Ideò nihil aliud volo nisi quod est tuæ voluntatis, quā ubi repérero, dulcia mihi erūt omnia ipse adeò infernus acceptabilis esset si ex adorandæ tuæ voluntatis decreto subire illum necesse foret.

O Bone DEUS meus, infinities amore tui renuntio omnibus hujus mundi bonis, omnibus voluptatibus, honoribus, excellentiis, & vanitatibus.

Abdico omnes creaturas, omnemq; sensualitatem, affectionem erga propinquos, omnes quoquè commo-

commoditates, curas corporis inutiles, amorem hujus vitæ & ſanitatis, ſenſuum illecebras, omnia ſolatia è rebus exterioribus & naturalibus hauſta; deniq; omnes hominum favores, opiniones, judicia, ſermones, ac ſenſus; & ita vivere ſtatuo, ac ſi præter DEUM atquè me, nemo præterea in orbe hoc eſſet.

Abnego & me ipſum, ô amantiſſime DEUS, propter te, & denudo me omnibus, quæ mihi intima ſunt: odi animam meam, amorem proprium, omnia placita mea, judicia, & animi mei decreta, commoditates, & univerſa oblectamenta: fugiam æſtimationem meam, & omnia illa, quæ mihi honorem conciliare poſſunt. Nolo unquam magnificè de me ſentire, aliis præferre, hominum laudes, aut illorum favores, vel honoris delationes expetere: illud potiùs deſidero, ut obſcurus & inglorius deliteſcam; nec oculis aliis, quàm DEI appareã.

Quoniam, ô Sanctiſſime DEUS meus, ſanctitas noſtra, gloria, & omnis perfectio noſtra, conſiſtit in ſequela & imitatione unigeniti Filii tui Domini noſtri JESU Chriſti, qui pro nobis factus homo, vitæ Sanctiſſimæ, charitatis, humilitatis, obedientiæ, paupertatis, modeſtiæ, manſvetudinis, patientiæ, temperantiæ, pietatis, omniumquè virtutum exemplum nobis dedit, & poſt ſe, ſuumquè aſcenſum in cœlum, exemplar pulcherrimum illarum nobis reliquit, ut ſequamur veſtigia vitæ ejus Sanctiſſimæ: ideò firmiſſimè conſtituo tradere me hinc ejus in omnibus virtutibus imitationi, quàm

quàm possum perfectissimè, conformando, & assimiliando me ipsi, quantùm fieri potest.

Et quia præcipuè humilitatis virtutem nobis commendavit, dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: id circò amore tui, ejusq; sicut oportet humiliare me volo, & locum inter creaturas tuas capere, quem meretur, ex omnibus miserrima atquè vilissima creatura.

Affirmo me nihil esse, nihil posse, nihil scire, Quod si fateri necesse est me esse aliquid: sum equidem verissimè vermis terræ; mortuo deterior cane, fæx hominum & labes; ingratissimus & sceleratissimus omnium; indignus qui suspiciam cœlos, dignissimus autem, qui post mortem meam, vel in olido fimeto, aut sordium receptaculo defodiar.

Miror, quòd me terra sustineat, quòd cœlum fulmina in caput meum jaculari, ad punienda scelera mea, desinat.

Omnibus notum facio, quòd ego sim infidelissima & ex omnibus malitiosissima creatura tua, quæ cum sit pulvis & cinis, & scelerum tetra quædam compago, digna non est aperire os suum ad alloquendum te; quæq; si ex meritò suo tractanda esset, jam tu illam centies & millies, in ima inferni præcipitem dare debuisses, ut ibi violatarum legum, & præceptorum, ac voluntatis tuæ Divinæ transgressionem pœnas exolveret.

Palam profiteor me misericordiæ tuæ præ hominibus omnibus obstrictissimum esse, eò quòd

 nullum

nullum fuisset omnino genus criminum, quamvis enormium, quo non & corpus, & animam inquinassem: quin Dæmone ipso fuissem nequior, & plura gravioraq; peccata, quàm modo sunt & fuerunt, tanta insuper, cum obstinatione, ac malitia perpetrassem, nisi me tuâ gratiâ Divinâ prævenisses, & peculiaribus tuis auxiliis adjuvisses.

Compatior dilecto Filio tuo, Domino nostro JESU Christo in terris nostræ salutis causâ passo. Habeo intimam commiserationem super dolores ejus, afflictiones, calamitates, opprobria, contemptus, cæterasq; indignitates, quas tempore Passionis suæ pertulit; & optarem ut ambo oculi mei binis lacrymarum rivis sinè cessatione effluerent, quibus ad extremum usq; halitum palàm orbi testificarer, quantùm cor meum affligit mors illius & passio: nec committam, ut in lacrymis, dolorisq; & compassionis actibus, me superent alii, qui ob tormenta, quæ passus est, ejus commiseratione tanguntur.

Renovo, ô JESU DEUS meus, omnes bonas ac pias serviendi tibi voluntates meas, & si fieri posset, in singula momenta id facere vellem, sicut tu beneficia tua, & favores erga nos tuos quotidie, immò omni momento innovas.

Renovo laudabilia animi mei decreta, itemquê vota mea, piaq; desideria omnia, cum omnibus sanctis amoris actibus erga te, erga Virginem Genitricem tuam, erga Angelos & Sanctos tuos, quorum mihi conciliare favores, ut pote amico-

rum

rum tuorum conatus sum, ut ipse acceptior tibi redderer. Insuper, cogitata mea omnia, verba omnia, omnes directas à me actiones in honorem tuum repeto, eoquè, qui mihi possibilis est modo ratifico, & innovo. Et quidquid per universam vitam meam, studio placendi tibi DEO meo, agere conatus sum, innovari in me volo.

O Pater misericordiarum, miserere mei, & omnium pro quibus me orare vis. Te supplex rogo, ut mihi peccatorum meorum veniam largiaris, meq; ab omni peccato non tantùm mortifero, sed etiam minimo veniali præservare digneris.

Oro, ut elargiri mihi velis, quæcunq; oratio Dominica, quam tu nos edocuisti, comprehendit. Oro, ut dones mihi cognitionem tui ac mei. Oro donum perseverantiæ finalis. Oro dona Spiritus Sancti, & omnes virtutes, præcipuè autem oro humilitatem, charitatem: obedientiam, castitatem, cordis puritatem, patientiam, mansvetudinem, & alias omnes, quæ tibi sunt acceptissimæ.

Oro etiam, non solùm pro me, verùm etiam pro Religiosis omnibus, ut nos facias pertingere ad altissimum perfectionis gradum, utq; contingat nobis id omne, quod est ad majorem tuam gloriam. Deniquè ut post periculosa ærumnosæ hujus vitæ certamina, læti victoriâ ex hostibus reportatâ, templum gloriæ ingredi valeamus.

Obsecro Domine DEUS meus, per infinitam bonitatem tuam, fac ut, qui ad hoc usq; momentum non amavi te, incipiam deinceps sic diligere, ut fie-

ut fieri in hac vita mortali poteſt, quo præteritas jacturas omnes, vel hac ratione reſarciam.

Commendo tibi omnia negotia mea, ſanitatem meam, cognatos & amicos meos, benefactores & inimicos, & omnes, qui moleſtiâ qualicunq; me affecerunt, & qui averſionem à me habent, eos denique, qui ſe precibus meis commendarunt, & pro quibus orare aliquando propoſui.

Præterea omnes hujus terræ mortales tibi commendo, nominatim verò illos, qui in gratia tua ſunt, ut in ea perſeverent; miſeros quoq; peccatores, qui illâ ſceleribus ſuis excidere meruerunt.

Inſuper commendo tibi univerſam Eccleſiam, ejuſq; Prælatos, & Superiores noſtros, ac omnes Religioſos, Reges & Principes, nobiles & judices, divites, atq; pauperes, afflictos, captivos, carceri mancipatos, ægros, atq; in extremis poſitos, animas piacularibus flammis addictas, & potiſſimum eas, quæ jam per multos annos cruciatibus illis emendantur.

O DEUS vita animæ meæ, unionem tuam arctiſſimam, & tecum unum quid ſemper fieri deſidero; & ut actiones meæ, cum tuis unitæ ſint, & anima mea cum gratia tua, cor meum cum beneplacitis tuis, omnes deniq; affectiones meæ cum ijs rebus, quas tu amas, amor meus frigidus & imperfectus cum tuo perfectiſſimo, exopto.

O ſi centies millies quotidie unirer Sanctiſſimo Corpori Chriſti Domini noſtri in Sacramento altaris abſcondito; & in momenta vitæ ſingula ſpiritualiter

tualiter communicarem ut ita in perpetua & intima cum Divina tua Majeſtate unione forem, dum beatificam illam exſpecto in cœleſti gloria, quæ nos in omnem æternitatem inſeparabiliter uniet.

Cupio, ô unica voluptas mea DEUS meus, recordari tui ſemper, & quamdiu vixero, etiã dormiens ſingulis momentis cogitare de te, & tanquã præſentem actionibus meis venerari: & quoties vel hauriam, vel exſpirabo hanc auram, quâ vivo, toties deſidero totis te præcordiis haurire, unâ cum perfectionibus omnibus tuis, obſequia quoq; tibi accepta deferre, quæ omnes creaturæ tibi exhiberent, quas tu producere poſſes.

O Dulciſſime DEUS meus, langveo amore tui, ex deſiderio quod habeo videndi te, faſtidio mihi eſt omne id, quod in mundo eſt: nulla in re hujus vitæ perfectam quietem reperio; vitam duco planè mortualem, dum felicitate viſionis tuæ privatum me video, & poſſeſſione illius, quod unicè charum habeo: & propterea ſæpiſſimè hæc ardentiſſima ſuſpiria, ad te Amorem meum unicum edere, & diu noctuq; ad omnes reſpirationes, & inſpirationes geminare volo: ô quando, quando videbo DEUM meum, Creatorem meum; & Patrem, qui eſt in cœlis, meum! Hi ſunt igitur affectus mei erga te Dominum meum amabiliſſimum, quos millies millies, & infinities ad eum modum, quo hic ſunt deſcripti, ad omnes cogitationes, verba & actus meos, & oculorum ictus, ad omnes cordis, corporis, & animi motus, & reſpirationes meas, atquè

ad singula totius vitæ meæ momenta; multiplicare & renovare desidero: præsertim quoties corde, vel ore dixero: ô DEUS meus credo, amo te, & proximos, & adversarios, doleo, spero, adoro, benedico, æstimo, gaudeo, intendo, glorifico, complaceo, desidero, gratias ago, laudo, offero, resigno, abdico, abnego, tibi servire, me humiliare, Christum Dominum imitari, & eidem compati volo, renovo, oro, obsecro, commendo, tibi uniri, tui recordari, te citò videre desidero.

Ego autem coram tua Divina Majestate prostratus, cum profundissima animi submissione eidem supplico, ut pro tua infinita Bonitate & Misericordia hoc pactum meum benignè suscipias, mihiquè, tantùm gratiæ largiaris, ut illud sæpè usurpando proficiam, & hâc ratione efficiar talis, qualem vis me esse.

Hoc Pactum, quia est paulò longiùs potest dividi in partes aliquot, & in principio cujuslibet partis dicendum. O Domine DEUS meus, secūdum Pactum meum, quod cum tua Divina Majestate feci, toties, quoties jam statui.

PACTUM II.

In forma breviori.

SAnctissima Trinitas unus DEUS, in adjutorium meum intende, & dum tempus est, fac me semper operari bonum.

O utinam id continuo, & exercitio nunquam interrupto, diu noctuquè, vigilando & dormiendo faciam!

faciam! Quòd cum ſit ſecundùm conditionem vitæ præſentis impoſſibile: ideò ſaltem deſiderium meum ejuſmodi, tuæ Divinæ Majeſtati offero, nimirum, quòd ad omnes cogitationes meas, verba, & opera, ad omnes animi & corporis mei motus, ad omnes reſpirationes, immò ad ſingula temporis momenta totâ vitâ, hos actus virtutum exercere ſummopere cupiam, ſicut nunc pro tunc facio.

Credo te Domine: credo in te: de te, omnia per Eccleſiam revelata à te, ô Prima Veritas! toto me.

Spero Domine te, & à te, confido in te, & in tua miſericordia, in auxiliis, & promiſſis tuis, & in Chriſti meritis, toto me.

Amo te ſummum bonum ſuper omnia toto te, toto me. Amo meipſum propter te, amo omnem hominem etiam inimicum & ingratum, inutilem & ignotum, ſicut ipſum me, propter te. Amo omnem creaturam in te, & pro omni creatura, amo te, toto me.

Adoro te, & glorifico, & ſuperexalto latreutico cultu ſoli tibi debito, toto me.

Gaudeo, & gratulor tibi, totum te, & omnia tua toto me, toto te.

Laudo, & exalto te, toto te, pro te, & pro me, toto me. Subdo me tibi æternaliter, & ad omnia toto me.

Devoveo me, quàm poſſum devotiſſimè omni voluntati tuæ, bonæ, beneplacitæ & perfectæ, exteriori, internæ, ſubſtantialiquè toto me.

Timeo te, Domine, percuſſus abyſſali juſtitiâ

tuâ. Timeo te timore filiali, ſponſali, Beatorum. Timeo te, toto me.

Gratias tibi ago æternas, pro omnibus & ſingulis beneficiis, & gratiis tuis, naturæ, gratiæ ſupernaturalis, & gloriæ, toto me.

Vilifico, & annihilo me coram te, & coram omni creatura, propter te, toto me.

Confiteor, doleo, deteſtor omnem iniquitatem meam, coram te, propter te, toto me.

Diffido mihi per omnia, & ſoli tibi confido, omniaq; bona tibi, & attribuo, & reſtituo, mihi meum nihil reſervo, toto me.

In lumine vultus tui, & ob prudentiæ tuæ rationes æternas, omnia & agere, & pati volo, toto me.

Volo, Domine, ad normam juſtitiæ, reddere unicuiq; quod ſuum eſt, propter te, toto me.

Cultum omnem, & abyſſalem reverentiam tribuo tibi, quâ digna es Majeſtas DEI mei, toto me.

Fortitudo mea, & laus mea tu es Domine, tu me conforta in hac & omni hora, & in te DEO meo tranſgrediar murum, toto me.

Dominari ſenſibus, & concupiſcentiis meis per tuam gratiam, volo ſemper, toto me.

O Caſtitas, ô cordis & corporis puritas! amo, deſidero te, tu Domine, cor mundum, & corpus caſtum, crea & conſerva in me, toto me.

Omnia quæ mundus immundus habet, ac æſtimat, arbitror & abjicio, propter Chriſtum pauperem, ut ſtercora & detrimenta toto me.

Obedire,

Obedire, & subdi volo omni creaturæ propositæ mihi à te, propter te, toto me.

Humilio me sub potenti manu tua, & sub manu omnis creaturæ, propter te, Domine, toto me.

Gaudens gaudeo in JESU meo crucifixo & mortuo pro me, & in unione meritorum ejus, & pretiosissimæ Matris ejus, ac Electorum ejus, agam, & patiar universa semper, toto me.

O Domine, utinam te homines nossent, utinam te norint, ament, æstiment, revereantur, desiderent, laudent, atq; voluntatem tuam, sicut in cœlo & in terra faciant, toto me, toto te.

Tabescere me fecit & facit, zelus tuus, zelus gloriæ tuæ, zelus salutis nostræ, toto me.

Opto anathema esse à Christo, pro fratribus meis in Christo, opto inferorum portam obturari ipso me, & per me, ne quisquam ampliùs descendat in damnationem.

Cupio dissolvi, & esse cum Christo, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, toto me.

Sanctissima Trinitas, JESUS Christus, MARIA Mater DEI, & omnes Electi ejus, mei dulcissimi amores: patiar, ego, moriar ego amore vestri, totus sim vester, nullus meus, toto me.

Toto me, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Gloria Deigenitrici Virgini MARIÆ, & JOSEPHO Sancto, & omnibus Sanctis.

Toto me, semper & ubiquè sit laudatum Sanctissimum Sacramentum, quod ego semper & ubiquè latreuticè adoro, desidero, recipio, toto me;

deq;

deq; ejus dignitate & dignatione exulto, toto me: atq; ad ejus consecrationem & sumptionem, per omnes actiones & passiones meas, meritis & sangvini JESU Christi conjunctas, desidero, peto, propono, toto me.

Confusio, & abjectio, & supplicium inferni mihi vilissimo peccatori. Sancta Trinitas miserere mei, sicut potes, scis, & vis, propter te. Da peccatoribus veniam, justis perseverantiam, fidelibus defunctis requiem æternam.

PACTUM III.
Brevissimum.

O Dulcissime Domine DEUS meus, cognosco te esse unicum bonum meum, summam meam felicitatem & beatitudinem: ideò maximè mihi curandum est omni studio, ut tibi semper arctissimè conjunctus permaneam.

Et ut hoc assequi possim, cupio nunc quâ possum reverentiâ, & humilitate, cum tua Divina Majestate inire Pactum, & perpetuò fœdere sancire, ut, quemadmodum, quoad vixero, nunquam cessabo respirare, ita nunquam cessem in te credere, te amare, te laudare, gratias tibi agere, me offerre, me tibi resignare, in te sperare, gaudere de te, & abhorrere à mundo velut à peste, habere zelum honoris tui & salutis animarum, te timere, me humiliare, pœnitentiam agere, sancta proponere, & amare proximum meum. Humilitatem, Castitatem, Paupertatem, Obedientiam, &

alias virtutes tibi gratas colere, & petere à te, quæ tu vis, & quæ ad salutem meam, vitamq; æternam consequendam, sunt mihi necessaria.

Præterea te cognoscere, adorare, teque DEUM Infinitum, Immensum, Immutabilem, Æternum, Omnipotentem, Sapientem, Bonum, Sanctum, Benignum, Providum, Misericordem, Justum, & ultimum nostrum finem confiteri.

Atquè hanc prorsus esse nunc mentem meam summa cum animi demissione, coram Divina tua Majestate, & tota cœlesti curia protestor, quòd cupiam toto corde tota illa virtute, puritate intentionis & efficaciâ, quâ maxima possum, omnia illa observare, quæ dixi. Idq; quoties respiravero, & quoties aliquid dixero, vel aliquid cogitavero, & fecero, quoties aliquos actus animi & corporis mei edidero, immò ad singula vitæ meæ momenta.

Accipe Domine hunc actum præsentem, nunc & pro illo, & pro omni tempore. Atq; hoc animi mei desiderium ratum confirmatumq; sit gratiosissimo beneplacito tuo in æternum.

PACTUM IV.
V. P. F Joannis à JESU MARIA,
Ex libello de arte amandi DEUM.

Quod Pactum vocat exercitium de respiratione & inspiratione.

O Dulcissime Domine JESU Christe, cui me totum & omnia debeo, & quem continuò amare, laudare,

laudare, & de eo semper cogitare, loqui, & propter quem omnia pati & facere, & continuò uniri desidero; sed quia multa me impediunt; ideò non ex aliqua præsumptione, sed ex sola dignatione tua & bonitate, cui confido hanc meam voluntatem te acceptaturum; neq; ex affectu meo tepido, sed ex ardentissimo affectu amantissimæ Matris tuæ Virginis MARIÆ, Beatorum Angelorum, & omnium Sanctorum, tale pactum meum tecum pro tota vita mea, ineo, & statuo: nimirùm, quoties respiravero, toties ad singulas respirationes, hæc tibi offero, & offerre volo semper.

Primò. Offero tibi omnes divitias & thesauros totius mundi, omnes gemmas, & lapides pretiosos, omne aurum & argentum, omnia regna mundi, reditus, principatus; quæ si haberem, propter honorem tuum, & amorem, hæc omnia pauperibus erogarem, donec ad tam extremam paupertatem redigerer, ut è manibus tuis, & hominum stipe victitarem.

Secundò. Offero omnem infamiam, contemptum, contumelias, detractiones, irrisiones, adeò, ut mihi pergratum esset, si me omnes, ut vilissimam & infamissimam creaturam haberent, & ut talem re ipsa tractarent.

Tertiò. Offero omnes afflictiones, dolores pœnas, atq; diversa Martyria, quibus ita me obijcio, & expono, ut ipse tamen dolorum, infirmitatis & mortis delectus à te Domino meo veniat; ipsa verò eorum passio, per gratiam tuam, sit mea, cui nunquam contradicere volo.

Quartò.

Quartò. Offero omnes animas æternæ beatitudinis capaces, tam infidelium, hæreticorum, & peccatorum; quàm hominum in gratia existentium, quibus ab infidelitate, vel hæresi, vel peccato, ad te DEUM nostrum convertendis, ita, ut omnes omninò ad altissimum quendam gloriæ gradum perveniant, me libentissimè, meamquè operam dedico.

Quintò. Offero omnia corda, quæ tam in cœlo, quàm in terra te ardentissimè amant, & cum illis cor tuum svavissimum, atq; Beatissimæ Virginis Matris tuæ, ita quidem, ut ea omnia simul habere, & immensum quoddam purissimi amoris tui incendium ex illis facere vellem, in quo assiduè, incessanterq; consumar. Simul etiam vehementissimum quendam de omnibus peccatis, adversùs tuam Divinam Majestatem commissis, dolorem habeam.

Et hoc facio, non ob aliquod gloriæ meum emolumentum, quamvis honestissimum, sed solùm Divini tui palati gustum, atq; tuæ Divinæ voluntatis beneplacitum, ut, scilicet, cordis mei tributum tibi persolvam.

Quæ omnia recensita, & simul omnes cogitationes meas, verba & opera, etiam ipsum divinissimum Eucharistiæ Sacramentum, quatuor titulis tuæ Divinæ Majestati debita, summo cum affectu, tibi, dulcissime Domine JESU, pendere volo.

Primò. In hostiam laudis, pro gratiarum actione, pro omnibus beneficiis tam naturalibus,

quàm

quàm ſupernaturalibus, tam communibus, quàm particularibus.

Secundò. In hoſtiam pro peccato, ſeu in ſatisfactionem pro peccatis meis, quibus ſicut ad iram te Dominum meum ſæpiſſimè provocavi, & inhonoravi: ita nunc per hæc omnia ſupradicta, te placare, & honorare volo, & pro peccatis quantùm poſſibile eſt ſatisfacere, uniendo ſatisfactiones noſtras, cum ſatisfactionibus tuis, & meritis Beatiſſimæ Virginis.

Tertiò. In hoſtiam pacificam ex voto, pro impetrandis beneficiis, tum naturalibus, tum ſupernaturalibus, quibus opus habemus, donec ad beatitudinem cœleſtem perveniamus, quæ ut conſequar beneficia, omnes cogitationes, verba, & opera mea, in unione operum, verborum & cogitationum tuarum, ac Divæ Virginis offero.

Quartò. In holocauſtum, eò, quòd tu es, qui es: ſcilicet, ob tuam Majeſtatem infinitam Bonitatem, Pulchritudinem, aliaq; attributa, meipſum totum, & omnia mea, nihil mihi, vel in uſum meum reſervando, offero.

Quoties igitur reſpiravero, ad ſingulas reſpirationes, hæc omnia, modis prædictis, tibi amantiſſime JESU, offero, & volo, ut quælibet reſpiratio, per totam vitam meam, ſit ſignum iſtius pacti, & oblationis.

Volo præterea, ut quævis reſpiratio, ſit exercitium omnium virtutum, ut ſit, videlicet, velut fidei meæ profeſſio: certa in te Spes: amor tuus ar-

dentiſſi-

dentissimus: cordialis peccatorum meorum abominatio: contemptus omnium bonorum terrenorum, & voluptatum, ac oblectationum: perfecta mei abnegatio: meæ vilitatis ostensio: & omnium aliarum virtutum actus quàm perfectissimi.

Quæ omnia supradicta, & illorum singula, quòad ejus potest fieri, etiam ad Beatissimam Virginem Matrem tuam dirigo, & in augmentum gloriæ, gaudiorumquè ipsius continuum offero: Præterea volo, ut hæc prædicta sint aliis communia: nimirum, ut istorum sint participes illi, qui jam cœlesti gloriâ donati sunt: quibus est velut hostia laudis pro gratiarum actione; omnes quoq; peccatores terræ, quibus hostia pro peccato, universi quoq; justi in mundo viventes, quibus est hostia pacifica ex voto, intercedendo pro eorum perseverantia: necnon animæ in purgatorio detentæ, ipsis saltem mediam mearum satisfactionum partem applicando; adeò, ut ne quidem in materia spirituali aliquid proprii possideam, quod non commune aliis faciam.

Deinde quoties inspiravero, seu âërem externum intra me attraxero, pactum ejusmodi tecum, dulcissime JESU, statuo. Videlicet cupio, ut, quoties ad me àërem attraho, toties cordiali quodam affectu, te Dominum meum JESUM Christum, & purissimam Virginem Matrem tuam intra me attraham: Filium simul & Matrem mihi quàm affectuosissimè unire, & complecti desiderans: id est, tui ipsius personam, cogitationes, verba &

opera

opera tua & Virginis Matris tuæ, necnon omnium justorum, qui cœlô, terrâq; continentur, eaq; meis cogitationibus, verbis & operibus, unire, ut sic ego, quantùm ad personam, cogitationes, verba & opera, in hac unitate tibi Domino meo quàm maximè placeam: atq; sicut per inspirationem illa intra me attraho; ita per respirationem in quinto modo tibi rursus reddo.

Cujus pacti præsentis, erit signum, per totam vitam meam, quælibet inspiratio mea, per quam te Dominum meum, cordi meo imprimere satago, & volo; & ab hac hora, propono me nihil aliud velle, cogitare, loqui, aut bonum mihi aliud procurare, quàm te dulcissimum & amabilissimum Dominum nostrum JESUM Christum, & immaculatam Virginem MARIAM Matrem tuam.

Imprime, ô dulcissime Domine, pulcherrimum vultum centro cordis mei: intra svavissime animæ meæ Sponse in intimum medullarum mearum, & præsta, ut de spiritu & fortitudine tua vivam; quia tu es fortitudo, virtus, & vigor meus.

Mihi mori desidero, ut in te sine fine vivam, in ardentissimo amoris tui delicatissimi igne consumptus. Quis mihi det, Sponse gratissime, ut ego moriar pro te, & omnes illæ infamiæ improperia, & dirissima tormenta, quæ mundus, & infernus adversum te excogitârunt, super me irruant, & pro his, præmium aliud non habeam, quàm, ut dulcissimo, & tenerrimo cordi tuo placeam.

PACTUM

PACTUM V.

Pactum cum Sanctissima Virgine DEI-Genitrice MARIA.

O Purissima DEI genitrix Virgo MARIA, & mea centies millies amabilis Mater & Domina, cuperem sine cessatione, cor & cogitationes meas ad te attollere: sed cùm spiritus mei infirmitas, & ipsa miserabilis hujus vitæ conditio, quæ nos mille occupationibus & distractionibus implicat, id non permittat, en paratum me, supplere defectus istos, per pacta & conventa mea, quibus testificari meum, in te Dominam meam augustissimam, amorem volo.

Igitur ad omnes meas cogitationes, verba, & opera, & omnes animi & corporis motus, ad omnes respirationes, & inspirationes, immò ad singula temporis totius vitæ meæ momenta, & quotiescunq; mentem ad te meam elevavero & corde, vel ore aliquid dixero:

Amo te, Adoro, Æstimo, Laudo, Saluto, Desidero, Gaudeo, Gratias tibi ago. Tibi offero, in te spem & fiduciam habeo, Tibi condoleo, te oro; toties intendo dicere.

Amo te post DEUM ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex omnibus viribus meis. Amo te, & si millies, millies millena corda haberem, omnibus his cordibus te amarem. Amo, amo te, & in amore tui mori volo. Amo ampliùs, quàm conjunctissimos amicos, & propinquos meos; quàm

honores divitias,, vitam, ſanitatem, mundum totum, & omnia, quæ infra lunam ſunt: magis etiam, quàm omne, quod creatum eſt, ſivè in cœlo, ſivè in terra; atq; ita plûs, quàm Angelos univerſos, pluſquàm alios omnes Cœlites Sanctos, & poſt JESUM, plùs quàm alia omnia.

Te adoro, & cum profundiſſima reverentia, tibi, ut veræ Genitrici DEI cultum Hyperduliæ reddo: & cum quanta poſſum cordis mei ſubmiſſione, te honorare ſemper, prout omnes beati Spiritus, & Sancti omnes, atq; homines tibi devoti, honorant, honorârunt, & honorabunt te æternùm, deſidero.

Æſtimo te ſuper aurum, & argentum, ſuper gemmas & lapides pretioſos, ſuper omne id, quod æſtimant homines univerſi in terris: æſtimo te poſt DEUM ſupra omnia: Nam te eſſe pretioſiorem cunctis, infra DEUM cenſeo.

Laudo te, benedico tibi, & te glorifico, & cupio, omnes ſi fieri poſſet laudationes, omnes honores, omnes benedictiones, glorias omnes in te conferre, quas Angeli, quas omnes orbis nationes, quinimò, quas ipſæ tres Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, in te unquam vel contulêre, vel conferūt, aut etiam collaturæ ſunt, tum in tempore, tum per omnem æternitatem.

Te ſaluto, idq; in unione amoris, & per cor dilectiſſimi Filii tui, & ex affectu Gabrielis Archangeli, & omnium Beatorum Spirituum, ac Electorum, ſervorumq; tuorum te amantium.

Desidero, ut te omnes homines ament, colant, tibiq; serviant: desidero immensum gloriæ tuæ, gaudiorum tuorum semper fieri augmentum in æternum: desidero & volo, omnem cultum, honorem, & gloriam tuam procurare semper, etiam cum ipso vitæ meæ dispendio.

Gaudeo ob excellentias & perfectiones tuas, ita, ut si omnium tibi addictorum servorum collecta habere possem gaudia, quæ aut senserunt in animo, aut palàm etiam prodiderunt, propter illa, quibus tu affluis, affluebas, & afflues æternùm, id facerem sanè ex toto corde; & nunc quantùm possum, & licet, ita gaudeo & exulto.

Gratias tibi ago, & exopto habere gratas Angelorum mentes, omnium amicorum DEI benignas affectiones, fecundissimorum ingeniorum calamos, atq; lingvas, quin ipsius dilectissimi Filii tui cor atq; sermonem, ut ita in omne ævum dignas, augustissimâ simulq; amabilissimâ Majestate tua, gratias referre possem, cùm infinitas agnoscam obligationes meas erga te, præ creaturis reliquis universis.

Tibi offero cor meum, & corpus, & animam, vitam insuper, & sanitatem, & quæcunq; demùm in amoribus mihi sunt. Sum enim, & esse omninò volo post DEUM, ex toto tuus. Unde trado me tibi in servum perpetuum, & mancipium, in filium, in hæreditatem, te autem mihi eligo, & assumo in Dominam, Reginam, Matrem, & Hæredem pro omni æternitate.

In te Spem, & fiduciam habeo meam post dilectissimum Filium tuum; nec alterius opem, ante tuam implorabo: quia tu refugium meum es, & præsidium, & omnia mea post DEUM.

Compatior & condoleo intimè tibi, ob amarissimos dolores tuos: siq; in mea foret potestate sentire ut possem amaritudines cordis universas, quas ex consideratione dolorum & afflictionum ob mortem Filii tui crudelissimam toleratorum à te, servi tui unquam perceperunt, paratus essem sufferre eas universas, & opto mihi ad hoc ipsum, cor dilectissimi Filii tui, qui verè illas in se pertulit, aut tuum ipsius, ut eodē modo sentire eas valerem.

Supplex te rogo, & obtestor, per pretiosissimum sangvinem dulcissimi Filii tui, ut me in servum, mancipium, & filium tuum recipere: præterea peccatorum omnium veram detestationem & remissionem, vitæ seriam emendationem, & à peccatis præservationem, vitiorum extirpationem, mortificationem passionum, perfectamq; mei abnegationem, atq; heroicarum virtutum tuarum usquè ad mortem imitationem: deniq; in gratia DEI perseverantiæ donum mihi inpetrare digneris.

Accipe itaquè, ô Beatissima DEI genitrix Virgo, quoscunq; exiles, quoscunq; meritis tuis impares erga te nostros affectus: & cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus; fiat impetrabile,

quod

quod fidâ mente poscimus: accipe, quod offerimus, redona, quod rogamus, excusa quod timemus; quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum, & in Te, ô Beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum.

Hoc pactum cum Virgine Sanctissima factum, non solùm diebus Sabbati, sed & aliis, præsertim in festivitatibus ejus potest sæpiùs renovari, sivè quo ad omnes affectus, dicendo: O Virgo Sanctissima te amo, adoro, æstimo &c *sive quo ad aliquos tantùm repetendo illos, vel decies, vel quinquagesies, vel ut alicui placebit.*

Notandum de singulis Pactis, quòd possunt sæpiùs renovari breviter dicendo: Domine DEUS meus pactum meum, quod hodie, vel aliquando feci, confirmo, & renovo, ad eum modum, quo illud feci.

ACTUS VARIORUM AFFECTUUM

Erga Virginem Sanctissimam.

Actus Imitationis Beatissimæ V. MARIÆ.

O MARIA Virgo purissima, Mater DEI Sanctissima! ô Angelorum Imperatrix gloriosissima! ô Sanctorum Omnium Regina altissima. O Domina mundi potentissima! cui omnes Angeli inserviunt, Omnes Sancti obediunt; quam omnes creaturæ venerantur; cui me pro

perpetuo servo & mancipio trado, & devoveo, tibiq; fidelissimè servire, tibi in omnibus placere, tuamq; Sanctissimam vitam, actiones, & virtutes imitari, pro mea infirmitate desidero & volo.

O duo Luminaria magna huic mundo visibili data, JESUS & MARIA, ad illuminandum nos, lucidissimis virtutum radiis, & Sanctitatis exemplo. Et quoniam Luminare majus videlicet, Dominum nostrum JESUM Christum jam proposui mihi ob oculos mentis ad imitandum: ideò aliud Luminare minus, videlicet, Virginem MARIAM, dulcissimam Matrem ejus nunc mihi propono.

O MARIA, erit mihi tua vita Sanctissima tanquam in imagine descripta, ad quam semper convertam oculos meos, ut ad normam ipsius meam efformem vitam. Volo conari exprimere vitam, moresquè tuos in meo mortali corpore, ut in me vita manifestetur tua.

Hic Cibus erit animæ meæ quotidianus, meditatio tuæ innocentissimæ vitæ, ô MARIA Virgo, & Mater DEI, quam DEUS perfectissimũ exemplar omnis Sanctitatis, & universarum virtutum nobis ad imitandum proposuit, de quo exemplari die ac nocte meditabor.

O Virgo Sanctissima, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias; cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo; per quam illuminari desidero, ut sciam, quomodo absquè reprehensione vivere, & DEO meo, tibiquê placere debeo.

Certissimè credo, tuam vitam Sanctissimam, ad similitu-

similitudinem vitæ dulcissimi Filii tui fuisse ex activa & contemplativa compositam, ut omnes status Ecclesiæ erudires, & universis hominibus vitæ exemplo præluceres, quod exemplum sequi, & hujus vitæ utriusquè exercitiis fideliter & diligenter, incumbere sollicitus ero.

O Speculum, omnium virtutum! quod cùm homines intuerentur, in admirationem rapiebantur, & ad desiderium Sanctitatis & perfectionis attrahebantur, hoc ego speculum intueri decerno, ut ad perfectionem citiùs consequendam obtineam incitamentum.

O Domina, Sanctitatis & perfectionis tuæ ac sublimissimarum virtutum tuarum non tantùm admirator, verùm & amator, immò sedulus & constans imitator esse conabor: ut per imitationem illarum possim assimiliari tibi, in charitate, innocentia, cordis puritate, humilitate, obedientia, modestia, mansvetudine, patientia, paupertate, resignatione, & aliis virtutibus, quibus tu Divinæ Majestati placuisti.

O Magistra sapientissima! libenter audiam verba tua, quia sunt verba vitæ; illa, inquam, verba, quæ dicis ad nos: Nunc ergo filii audite me. Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abijcere eam. Itaquè audire te, & tuis consiliis monitisq; obedire, atq; custodire vias tuas, virtutumquè tuarum vestigia assiduè sectari volo.

Pudet me hactenùs degenerem fuisse filium tuum, torpentem servum tuum.

Jam dixi; nunc cæpi: jam firmum propositum edidi, custodiam vias tuas, & ferventiùs solito, te auxiliante, virtutes tuas imitabor.

Actus Laudis.

DIgnare me laudare te, ô MARIA Virgo purissima, Mater DEI Sanctissima & gloriosissima, sed quia hoc dignè præstare non possum: Tu ipsa, ô Domina mea, da mihi virtutem, adjuvando infirmas vires meas.

Verùm quibus ego te laudibus efferam nescio. Digna es, ô Domina nostra, accipere laudem, & honorem, & gloriam, & benedictionem à me, & ab omnibus creaturis, ut Regina cœlestium, terrestrium, & infernorum.

O Si possem omnes arenas, atomos, folia, guttas, in cœlos, & choros te laudantium, & amantium Angelorum, hominumvè convertere; ô quàm libentissime id facerem!

Igitur cum omnibus Sanctis jam ex nunc canto, & in omnem æternitatem cantare opto ex cordiali amore, quo possum, canticum hoc tibi: Benedictio, & claritas, honor, gloria DEI genitrici Virgini MARIÆ, in sæcula sæculorum, Amen.

Toto pectore, toto cordis mei gaudio, laudo, magnifico, exalto, colo, ac veneror te, ô MARIA Virgo Beatissima, tantùm quantùm te laudant, magnificant, exaltant, colunt, & venerabuntur,

omnes Beati Spiritus, & omnes Sancti in cœlis, & homines tibi devoti in terris.

Tibi Reginæ sæculorum, Tibi Virgini Matri DEI, honor, & gloria in æternum.

Gloriam tuam volo, ô Domina mea, gloriam, tuam volo, & honorem; glorificeris tu in æternum in cœlis, & in terris.

Gloria MARIÆ Virgini Filiæ DEI Patris.

Gloria MARIÆ Virgini Matri Filii DEI.

Gloria MARIÆ Virgini Sponsæ Spiritus Sācti.

Gloria MARIÆ Virgini, Templo Sanctissimæ Trinitatis nunc & semper & in sæcula sæculorum.

O Quis mihi daret, ut omnia membra mea verterentur in lingvas, tunc non aliud prædicarē, & laudarem, nisi JESUM & MARIAM!

Declinate à me maligni, & totus impendar, & super impendar in MARIÆ laudes, & honorem: quia ipsa est omni laude dignissima.

O Domina, non est mihi curæ in mundo aliquid, nisi ut super omnia infra DEUM per me glorificeris, & exalteris.

O Quis te dignè possit celebrare, cujus dignitatem perfectè solus DEUS capere potest?

Quis valeat laudes tuas comprehendere, in cujus visceribus incomprehensibilis comprehensus est?

Veniant ad te, ô Domina, omnes gentes & insulæ: reddant tibi tributum laudis, Tibi, quæ es Regina totius mundi.

Si lingvis hominum & Angelorum loquar, & omnem scientiam habeam, adhuc celsitudinis tuæ dignita-

dignitatem, ô Virgo pulcherrima, ne adumbrare quidem, ne dum effari potero.

Summè cupio, ut ex singulis cogitationibus, verbis, actionibus, motibus, respirationibus meis, resultet laus tua, & gloria, ô MARIA.

Nihil deinceps, nihil cogitare, loqui, & agere volo, nisi ad honorem, laudem, & gloriam tuam.

Laudo te, ô Mater dulcissimi JESU, sicut didicit à Christo Filio tuo prædilecto te laudare Sancta Mechtildis.

Laudo te, inquam, in ea fidelitate, quâ illi præ omnibus in vita tua fidelissima extitisti, in omnibus actibus tuis, semper voluntatem illius tuæ præferens voluntati.

Laudo, & extollo fidelitatem tuam, quâ illi in omnibus necessitatibus illius fidelissimè astitisti, ita, ut omnia, quæ ille passus est in corpore, tu sustinueris in mente.

Magnifico illam tuam fidelitatem, quâ adhuc in cœlo Christo fidelissima es, acquirendo illi peccatores, ut convertantur, & animas, ut à pœnis liberentur: quia tuis interventionibus, innumeri peccatores sunt conversi, & animæ à purgatorii igne liberatæ.

Actus Salutationis.

DIgnare me, salutare te, Virgo Sacrata DEI genitrix MARIA: confido enim de bonitate tua, quòd quamvis indignus sim, tamen non verear te salutare tuo inflammatus amore. Sed

re. Sed dic mihi, obsecro, ô Domina mea clementissima, quâ salutatione utar tibi magis gratâ.

Equidem, ô Cœli Regina, si te dulcissimâ aliquâ salutatione, quàm unquam cor humanum excogitare potuit, salutare possem, libentissimè salutarē. Et quoniam Beatæ Mechtildi sic oranti apparuisti, habens in pectore scriptam aureis literis Angelicam salutationem, dicens: Ad hanc salutationem nunquam homo pervenit.

Ideò hac salutatione, ex affectu Gabrielis Archangeli, atquè omnium Angelorum, omniumquè Beatorum ac hominum tibi devotorum te saluto: & ad omnes cogitationes, verba, & opera, respirationesq; meas, & ad omnes actus, & motus corporis, & animæ, etiam ad singula momenta, salutare desidero, devotè & reverenter dicens.

Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui JESUS.

Quot maris sunt guttæ, cœli stellæ, quot Beatorum Spirituum agmina, quot arborum folia, & terræ gramina, toties ex intimo cordis mei te saluto, ô gloriosissima atq; dignissima Mater DEI, cœli Regina præclarissima, amabilissima atq; dulcissima Domina, Virgo MARIA!

Saluto autem te, in unione amoris, & per cor dilecti Filii tui, atq; omnium te amantium, dicens cum Sancta Mechtilde: Ave ex Omnipotentia Patris: ex Sapientia Filii: ex Clementia Spiritus Sancti, dulcissima Virgo MARIA cœlum & terram illuminans.

Gratiâ plena, infundens & replens omnes te diligentes. Dominus tecum, DEI Patris unigenitus, amicus & Sponsus dulcissimus.

Benedicta tu in mulieribus, quæ Evæ fugasti maledictionem, & æternam impetrasti benedictionem. Et benedictus fructus ventris tui JESUS Christus, omnium Creator, & Dominus vivificans, & locupletans omnia.

Utinam omnium Creaturarum corda haberem, ut ex affectu, & viribus omnium, te dulcissima Virgo, salutarem inquiens: Ave Filia DEI Patris. Ave Mater Filii DEI. Ave Sponsa Spiritus Sancti. Ave templum Sanctissimæ Trinitatis.

Præterea te saluto cum Ecclesia Sancta Catholica: Ave Maris stella, DEI Mater alma, atquè semper Virgo, felix cœli porta.

Salve Regina Cœlorum, Ave Domina Angelorum, salve radix, salve porta, ex qua mundo lux est orta.

Te saluto cum devoto servo tuo Divo Bonaventura: Ave Domina mea, Mater mea, immò cor meum, & anima mea, Virgo MARIA, & Maria mea.

Te saluto cum Sancto Chrysostomo: Ave animatum DEI templum. Ave cœli, terræq; pariter domicilium. Ave naturæ illius, quæ comprehendi non potest, amplissimum habitaculum.

Te saluto cum Beato Cyrillo Alexandrino: Salve Sancta Deipara, eximium totius Orbis decus & ornamentum. Salve lampas inextingvibilis, Coro-

na Virginitatis. Salve Mater & Virgo, per quam is benedictus in Evangeliis prædicatur, qui venit in nomine Domini.

Te saluto cum Beato Andrea Cretensi: Salve Prophetarum & Patriarcharum decus, & clarissima arcanæ præcognitionis humanæ tuba.

Te saluto cum Sancto Francisco: Ave Domina, Sancta Regina, Sancta DEI genitrix MARIA, quam consecravit Pater, cum Sanctissimo dilecto Filio suo, & Spiritu sancto Paraclito; in quo fuit, & est omnis pulchritudo gratiæ, & omne bonum. Ave Palatium ejus; ave tabernaculum ejus: ave domus ejus: ave ancilla ejus: ave Mater ejus.

Saluto te cum Beato Andrea Hierosolymitano: Salve lætitiæ organum, per quod delicti nostri condemnatio expiata est; ac veri gaudii plena facta commendatio est. Salve verè benedicta. Salve illuminata. Salve magnificum Divinæ gloriæ templum.

Salve consecratum Regis palatium. Salve thalame in quo Christi Humanitas desponsata est. Salve electa DEO, antequam nata fueris. Salve Divina cum hominibus reconciliatio. Salve thesaure vitæ immarcescibilis. Salve cælum, Solis gloriæ cæleste tabernaculum.

Te saluto cum Divo Ephrem Syro: Ave præclarum, & electum vas DEI. Ave Domina MARIA gratiâ plena. Ave inter mulieres Virgo beatissima. Ave stella fulgidissima, ex qua Christus processit. Ave Lux splendidissima, Mater &

Virgo.

Virgo. Ave quæ venerabiliter Regē omniū peperisti. Ave Regina & Domina cunctis sublimior. Ave per quam clarissimus Sol Justitiæ nobis illuxit. Ave Mater alma Christi Filii DEI vivi.

Saluto te cum Sancta Gertrude. Ave candidum lilium fulgidæ semperquè tranquillæ Trinitatis, totaq; præfulgida cœlicæ amænitatis, de qua nasci, & de cujus lacte pasci Rex cœlorum voluit: divinis influxionibus animas nostras pasce.

Laudo & saluto te, Mater beatitudinum, dignissimum Spiritus sancti sacrarium; per dulcissimum cor JESU Christi, DEI Patris, tuiquè amantissimi Filii, orans, ut in omnibus indigentiis & in hora mortis nobis succurras.

Salve MARIA, Regina clementiæ, oliva misericordiæ, per quam nobis venit vitæ medicina: Virgo Mater Divini germinis. Eja, sicut per Filiū tuum facta es omnium vera Mater, quorum ipse unicus tuus, non est dedignatus fieri frater; sic nunc pro ejus amore, me indignum in curam tuæ Maternitatis, in vita, & in mortis hora suscipe.

Te saluto cum Sancta Mechtilde: Salve Virgineum cor Matris JESU, cor purissimum, humillimum, devotissimum, ferventissimum, conservantissimum, patientissimum, fidelissimum, in contemplatione & oratione sedulum atq; sollicitum.

Salve Virgo excellentissima, in stillicidio dulcissimo, quod de corde Beatissimæ Trinitatis ab æterno fluxit in te, de tua felicissima prædestinatione.

Salve

Salve Virgo Sanctissima, in stillicidio dulcissimo, quod de Beatissima Trinitate fluxit in te de Filii tui dulcissima doctrina, & prædicatione.

Salve Virgo amantissima in stillicidio dulcissimo, quod de Beatissima Trinitate fluxit in te, in tui unigeniti Filii passione, & amarissima morte.

Salve Virgo dignissima, in stillicidio dulcissimo, quod de Beatissima Trinitate fluxit in te, in omni gloria & jucunditate, quâ nunc gaudes, & in æternum gaudebis super omnes creaturas in cœlo, & in terra, præelecta ante mundi constitutionem.

Te saluto cum eadem Sancta Mechtilde, ancilla tibi devota illa salutatione, quam tu ipsam docuisti.

Salve in illo ineffabili gaudio, quod habuisti, cum incessabile lumen Beatissimæ Trinitatis primò aspexisti, & ex quanto amore, te præ cunctis in Sponsam sibi & Matrem elegit.

Salve in plenitudine illius gaudii, quod aures tuæ susceperunt, ex dulcissima salutatione amantissimi Filii tui, Patris, & Sponsi, cùm te amantissimè suscepit secundum immensitatem sui delicati amoris, decantans tibi altissimum & svavissimum amoris canticum svavissimæ vocis suæ.

Salve in plenitudine illius gaudii, quod anima tua suscepit, in osculo illo prædulci, quod tibi Divinitas inflixit, in quo suæ Divinæ dulcedinis gustum tam affluenter tibi infudit, ut ex redundantia tui gaudii, melliflui facti sunt cœli, ita ut in terris tam miser aut malus non sit, quin ei ex tua

plenitu-

plenitudine (si tamen desideret) valeas imperire.

Salve in illo ineffabili gaudio, quod habuisti, cum anima tua succensa est igne Divini amoris, & cor tuum liquefactum est, ex dulcedine Divini cordis; atq; ex tuo ardore, novo quodam modo Sanctorum multitudo incanduit amoris favore.

Salve in illo ineffabili gaudio, quod habuisti, cùm splendor Divinitatis omnia tua clarissimo lumine ita penetravit, ut cœlum à tua gloria nova luce illustretur, & omnium Sanctorum gaudium de tua præsentia augmentetur.

Actus Benedictionis.

PEr singulos dies, benedicam tibi, ô MARIA Virgo & Mater DEI Sanctissima, & laudabo nomen tuum in sæculum.

Benedic anima mea Dominæ nostræ Virgini DEI-genitrici MARIÆ, & omnia quæ intra me sunt, nomini Sancto ejus.

Benedicta & venerabilis es, Virgo MARIA, quæ sinè tactu pudoris, inventa es Mater Salvatoris, Virgo DEI-genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus Homo.

Benedicta tu in mulieribus; id est, supra omnes mulieres, quia Virgo DEUM peperisti, Patrem tuum genuisti, portantem te portasti, nutrientem lactasti.

Benedicta tu in mulieribus, una, scilicet, præ cunctis mulieribus: quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

Benedi-

Benedicta tu in mulieribus: id est, præ omnibus amplius benedicta; quia magis electa, majoribus gratiæ donis referta, & quodam modo quasi infinita dignitate in Filii DEI conceptione sublimata.

O verè benedicta: quia Virgo es & Mater, supra Sanctos Sanctissima, super Angelos purissima, super omnes creaturas DEO dilectissima.

Benedicta sis, ô beatissima Virgo MARIA, in qua DEUS magnus, factus est puer parvus; æternus Dominus, factus est pusillus Filius; Creator invisibilis, creatura visibilis.

Benedicta sis tu æterna benedictione, ô MARIA dulcissima: quia Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum, Virgo cum Sponso, Virgo etiam indubitata, dubitante Joseph sponso tuo, fuisti.

Benedicta sis tu, ô Domina mea Virgo MARIA, quia omnis creatura fidelis, pro te Sanctam collaudat Trinitatem, eò quòd tu ejus creatura es dignissima, quæ pro miseris animabus, veniam impetras prōptissima; & pro omnibus peccatoribus existis Advocata fidelissima.

Benedicta sis tu tota, ô Domina dulcissima, in corpore tuo purissimo, & anima Sanctissima.

Benedico beatissimum uterum tuum, in quo, Dominum cœli & terræ portasti.

Benedico beatissimos pedes tuos, quibus ipsum super terram bajulasti.

Benedico beatissimum cor tuum, unde in eum

firmiter credidisti : & ferventer eum dilexisti.

Benedico beatissima ubera tua, quibus eum lactasti.

Benedico beatissimas manus tuas quibus eum nutristi.

Benedico os & labia tua, quibus ei dulcissima oscula dedisti.

Benedico beatissimam lingvam tuam, quâ ad ipsum sæpiùs locuta fuisti.

Benedico beatissimas aures tuas, quibus dulcia ejus eloquia delectabiliter auscultasti.

Benedico beatissimas nares tuas, quibus svaveolentem fragrantiam Humanitatis ejus sensisti.

Benedico beatissimos oculos tuos, quibus ipsum devotè respexisti.

Benedico beatissimum corpus & animam tuam, quæ Christus in te omni benedictione consecravit.

Benedico te, ò superbenedicta Virgo & Mater DEI, cui benedixit Dominus; Pater & Filius & Spiritus Sanctus; cujus benedictionis, & nos servos tuos participes facere digneris.

Actus Æstimationis.

ÆStimo te, ô pretiosissima DEI Mater & Virgo MARIA, super omne aurum & argentum, super gemmas & lapides pretiosos, supra omne id, quod æstimant homines universi in terris.

Æstimo te, supra cor & animam meam, supra vitam & sanitatem, supra omne bonum utile, delectabile, & honestum.

Æstimo

Æſtimo te ſupra parentes, & conſanguineos meos, ſupra omnes amicos & benefactores meos ſupra omnes delicias & honores.

Æſtimo te ſuper omnia ſolo DEO minora, & cum hac tui æſtimatione perſeverabit anima mea uſq; ad extremum halitum vitæ meæ.

Nam tu es inæſtimabilis omnium virtutũ theſaurus, immenſum totius perfectionis pelagus, cunctarum gratiarum Divinarum profundiſſima abyſſus, ut de te Sancti Patres dicunt.

Tu es honos totius creaturæ, & præcipuè generis noſtri, quæ nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequentem, ut ait Sanctus Bernardus.

Tu es, quæ omnes beatorum Spirituum Hierarchias, & Sanctorum Ordines ſupergreſſa, meritorum verticem, ad ipſum Deitatis ſolium erexiſti, ut Sanctus Gregorius.

Tu es, quà minus eſt quidquid ſub DEO magnum eſt; ut Sanctus Anſelmus.

Tu es, quæ digna fuiſti, ex qua Filius DEI naſceretur; ut Sanctus Ambroſius.

Tu es pretioſa Margarita Orbis terrarum, Templum indiſſolubile, continens eum, qui nuſquam contineri poteſt: Mater & Virgo, per quam benedictus, qui venit in Nomine Domini: ut Sanctus Cyrillus Alexandrinus.

Tu es digniſſima Mater DEI, de qua nihil excellentiùs, nihil ſublimiùs dici poteſt; quia ad quandam infinitam dignitatem ſublimata.

Tu es gratiâ plena, mare ſpiritale, habens gem-

mam cœlestem Christum. Tu solo DEO excepto, cunctis superior: naturâ formosior es ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicandæ cœlestis ac terrestris creatura minime sufficit; ut Divus Epiphanius.

Tu verè admirandum, pariterq; adorandum ob tantam gratiam, tantaquè merita, cœli terræquè prodigium. Tu Imperatrix Angelorum & hominum; Tu cœli terræq; Regina, omniumq; creaturarum Domina: & ideò ego maximus peccator prostratus ante thronum gratiæ & misericordiæ tuæ, adoro te cum profundissima reverentia, & quanta possum cordis mei submissione.

Actus Desideriorum.

O Sanctissima Deigenitrix Virgo MARIA, tu es finis post DEUM omnium desideriorum meorum.

Te semper in corde & ore habere; tui ambulando, loquendo, & quidvis agendo recordari; sine te nihil incipere, & nihil finire volo; cultum tuum ubiq; promovere, in omnibus honorem tuum quærere desidero, & firmissimè propono.

O Beatissima Virgo, si ego essem DEUS, te, non verò aliam creaturam assumerē mihi in Sponsam. Si essem Pater, te, non aliam eligerem in Filii Matrem. Si essem Spiritus Sanctus, in te, non in alia Mysterium Incarnationis operarer.

Si essem Christus, in te, non in aliam flumina gratiarum derivarem. Si essem MARIA, relin-

quere

querem esse Maria, ut tu sola esses MARIA. Si essem supremus Angelus, te, non aliam nomine omnium Angelorum optarem Reginam.

Si in me voluntates omnium hominum positæ essent, te, non aliam Mediatricem redemptionis precarer.

Si cordibus & lingvis omnium creaturarum loquerer, te, non aliam Dominam mundi vocarem.

Protestor coram DEO, quod gloriæ tuæ integritatem redimere, augmentumq; illius procurare cupiam, etiam cùm mei ipsius, etiam cum totius creaturæ (excepta JESU Christi Humanitate) jacturâ, in quantùm id gustui Divino conforme est, aut esset.

O MARIA Virgo & Mater DEI admirabilis, est quidem id per præsentem rerum ordinem impossibile, ut ego te in gratiæ, & gloriæ Divinæ donis excedam. Si tamen id possibile, & in mea manu esset, nollem protestor id esse, sed cuperem, & quantùm ex me, facerẽ te, tam me ipso, quàm omni purâ creaturâ digniorem, gratiosiorem, juxta DEI placitum, Maternitatisq; Divinæ condignũ.

O utinam in te, super omnem creaturam requiescat anima mea, super omnem pulchritudinem, super omnem gloriam & honorem, super omnem scientiam & subtilitatem, super omnem lætitiam & exultationem, quia tu es super omnia desideratissima.

O inæstimabilis thesaurus cordis mei, ad quem semper tendit mens mea, ut ibi requiescat.

Desiderium meum non est mecum, sed est tecum, ô MARIA Virgo dulcissima, ubi enim est thesaurus meus, ibi est & cor meum.

O quando ad plenum dabitur vacare, & videre, quàm svavis est Domina nostra Virgo MARIA.

O MARIA lætabor & exultabó in te, etiamsi nullam haberem occasionem lætitiæ, nisi te, nihil aliud desiderarem, quod me consolari valeret: nec quidquam fugerem, quod me contristare posset: nam tu es causa nostræ lætitiæ.

Maledicta sit omnis cogitatio, quæ me avertit à te, omni veneratione dignissima, & omnis intentio cordis, quæ non est ad te, Anathema sit.

O utinam, utinam, anima mea tota absorbeatur in devotione tui, ut pingvescat, & producat bonorum operum fructum, eò quòd est arida & sterilis!

Utinam, ô Virgo Deipara, in tuo ardeamus amore, te impensè colamus, & totis præcordiorum affectibus veneremur, ad te contuendam assiduis studiis, bonisq; operibus contendamus, ut tecum in Christo Filio tuo perpetuò jucundemur.

Actus petitionis amoris erga Christum Dominū, & Virginem Sanctissimam.

O Beata fiducia! ô tutum refugium! Mater DEI, est Mater nostra (ut verbi Divi Anselmi loquar) Mater ejus, in quo solo speramus, & quem solum timemus, est Mater nostra; Mater, inquam, ejus, qui solus salvat, & solus damnat, est Mater nostra. Si tu,

Si tu, ô Domina es Mater ejus, nonnè & alii filii tui ſunt fratres ejus? Ergo Judex noſter, eſt frater noſter: Salvator mundi, eſt frater noſter: Deniquè DEUS noſter, eſt factus per MARIAM frater noſter.

Qua igitur certitudine debemus ſperare? qua deſolatione poſſumus timere, quorum ſive ſalus, ſive damnatio de boni fratris, & de piæ Matris pendet arbitrio? quo etiam affectu hunc Fratrem, & hanc Matrem amare debemus?

Bone Tu JESU, & bona tu MARIA, dulcis tu Frater, & dulcis tu Mater, dicite, & date animæ meæ, quo affectu vos memorando ex vobis delectetur, delectando jucundetur, jucundando impingvetur.

Impinguate, & ſuccendite veſtri dilectione, veſtri continuo amore langveat cor meum, liquefiat anima mea, deficiat caro mea.

Date piiſſimi, date obſecro, ſupplicanti animæ meæ non propter meritum meum, ſed propter meritum veſtrum, date illi, quantûm digni eſtis, amorem veſtrum.

O Bone Fili, rogo te per dilectionem, quâ diligis Matrem tuam, ut ſicut Tu verè diligis, & diligi vis eam; ita mihi des, ut verè diligã eam.

O Bona Mater, rogo te per dilectionem, quâ diligis Filium tuum, ut ſicut tu diligis, & diligi vis eum; ita mihi impetres, ut verè diligam eum.

Amator & miſerator hominum, Tu potuiſti reos tuos uſq; ad mortem amare, & poteris te ro-

ganti amorem tui, & Matris tuæ negare?

Veneretur igitur mens mea vos, ſicut digni eſtis: ſicut æquum eſt, cor meum diligat vos: ſicut ſibi expedit, anima mea ſerviat vobis, & in hoc conſumetur vita mea, ut in æternum pſallat tota ſubſtantia mea: Benedictus Dominus in æternum, fiat, fiat.

Actus petitionis amoris erga Virginem Sanctiſſimam, ab eadem Virgine Sanctiſſima.

AMore, & deſiderio ad Te piiſſima Virgo MARIA ſuſpiro, & tanquam parvulus, ad tua ubera vehementer anhelo, da mihi tui amorem dulciſſima Domina: doce me, quâ reverentiâ te debeam cogitare, quo affectu ex te delectari, tibiquè ſervire.

Utinam ſic viſcera animæ meæ, dulci fervore tuæ dilectionis exardeſcant, ut viſcera carnis meæ exareſcant.

Utinam ſic intima ſpiritûs mei, dulcedine tui affectus impingventur, ut medullæ corporis mei exſiccentur.

O Domina mea, da mihi amore tui impingvari, ſuccendi, beatificari.

Non deneges mihi id petenti, quo me confiteor indignum; ſed da amorem tuum ſupplicanti animæ, & reddam tibi, quod juſtiſſimè debeo.

Impende mihi tuam, ò Virgo, gratiam, & fac cum ſervo tuo miſericordiam, ut diligens te, diligar à te, & ut ſicut tu verè diligis me, ita & ego verè diligam te.

Unum peto, unum flagito ferveat in me amor tui, occupet interiora mea, affluentia perfectæ charitatis, ut cor meum tibi moduletur canticum svave.

Ineffabilis virtus amoris tui penetret, & rapiat omnia viscera animæ meæ.

Veni millies desiderata, & ex plenitudine gratiarum tuarum, aliquid cordi meo infunde, ut intimè te diligam.

O Domina, converte me ad te, & adstringe me tibi vinculis amoris tui fortiter, ut nunquam à te avelli, & separari queam.

Utinam implear, & superimplear dilectione tui ô MARIA cordis mei Imperatrix augustissima!

Unum peto, unum flagito, ô dulcissima Virgo MARIA, ferveat in me amor tui, occupet interiora mea affluentia perfectæ charitatis tuæ.

Accende me tuo amore, ô Sacratissima Virgo MARIA omni amore & honore dignissima; quia tu es Dei-Genitrix gloriosissima, & nostra Mater purissima.

Actus Amoris erga Virginem Sanctissimam.

O Mater amabilis, & Virgo dulcissima, quam desidero amare te, prout omnes te amant, amarunt & amabunt, in cœlo & in terra! Suscipe hoc desideriū pauperis servi tui.

Toto cordis mei affectu, & quantùm possum, amo te, amabilissima Virgo MARIA, super omnia amabilia creata.

Amo

Amo te, benignissima Virgo MARIA, & desidero te amare, quantùm tu ipsa amabilis es.

Amo te, clementissima Virgo MARIA, & desidero amare, quantùm te amant omnes animæ in Ecclesia militante.

Amo te dulcissima Virgo MARIA, & desidero amare, quantùm te amant omnes beatæ animæ in cœlo.

Amo te, fidelissima Virgo MARIA, & desidero amare, quantùm te amant omnes novem Chori Angelorum.

Amo te, humillima Virgo MARIA, super omnia amabilia creata, & desidero amare, quantùm te amat dilectissimus Sponsus tuus, Sanctus Pater JOSEPH, Patronus meus optimus.

Amo te, innocentissima Virgo MARIA, & desidero amare, quantùm te amat ipsum cor, & anima Unigeniti Filii tui.

Amo te, nobilissima Virgo MARIA ex toto corde meo, & propter amorem tuum, desidero tuam ac Filii tui voluntatem, in omnibus perfectissimè adimplere.

Amo te, purissima Virgo MARIA super omnia amabilia creata, & cupio mortem subire potius, quàm aliquid agere, quod tibi displicet.

Amo te Sanctissimam Virginem MARIAM, unicum post DEUM animæ meæ bonum, & desidero in amore tuo constantissimè perseverare, & continuò ad mortem usq; proficere.

Amo te, Mater pietatis, & totius Trinitatis nobile triclinium.

Amo

Amo te, tantæ dignitatis, ut sis consors DEI Patris potens ad auxilium.

Amo te, tui Creatoris, Mater nostri Redemptoris, Virgo prudentissima.

Amo te, Sponsa delicata, Paraclito consecrata, dulcis, clementissima.

Amo te, semper DEO grata, omni à væ præservata, cujusvis peccaminis.

Amo te, bonis illustrata, virtutibus adornata, cunctis quoquè gratiis.

Amo te, Virgo peractiva, summèquè contemplativa, omnium sanctissima.

Amo te, nostra consolatrix, Filii cooperatrix, Martyr constantissima.

Amo te, jam glorificata, supra cunctos exaltata, corpore & animâ.

Amo te sceptris & coronis, fulgens cunctis DEI donis, Christo sedens proxima.

Amo te, decus Angelorum, honor gaudium Sanctorum, universis imperans.

Amo te, nostra mediatrix, afflictorum consolatrix, nostri semper miserans.

Actus amoris erga Virginem Sanctissimam ut DEI Matrem.

O MARIA Virgo purissima, Mater DEI Sanctissima & gloriosissima, amo te toto corde meo, infra DEUM super omnia, propter id solum, quia digna es, ut vera Mater DEI, de quo ego multùm gaudeo.

Utinam

Utinam te universi homines, ut veram DEI Matrem agnoscant, & revereantur.

O Si possem omnes arenas, atomos, guttas maris, in tot corda commutare, ut omnibus illis te ardentissimè amarem, libenter id facerem.

Benedicta Mater, per quam Christus factus est noster Frater: Benedictus Frater, per quem MARIA facta est nostra Mater.

O MARIA Dei-genitrix Virgo superdignissima, summê desidero te amare, amore omnium in cœlo & in terra te amantium; in eamquè rem, ipsum amorem, quo te omnes in cœlis & in terris amant, tibi offero.

Dignissima Mater DEI, amo te propter te, & non propter ullum bonum meum: etiamsi nihil boni, à te accepissem, & nihil à te sperarem; nihilominùs amarem te, bonitas mea. Nam licet ex me ipso nihil sim, & nihil possim: tamen tua bona, atq; dona, mea esse gaudere possum.

Tantùm te diligo, dulcissima DEI Mater, ut si ego solus possiderem omnium Electorum gratissima corda, libenter illa omnia amori tuo impenderem: quantò magis hanc exiguam cordis mei partem, nunc tibi totaliter tradam?

Utinam sim totus Virgineus, totus divinus, ut cor meum totū, sit amor Virgineus, amor divinus.

O Pretiosissima Dei-genitrix Virgo, amo te post DEUM super omnia: quia DEUS super omnem puram Creaturam amavit, & amat te: quia omnes Cives cœli amaverunt, & amant te: quorum amore amo te.

Amo te, & si mille corda haberem, mille cordibus amarem.

Amo, amo, te, & in amore tui mori volo, ô Mater DEI, centies, millies, millionies, & ultrà amanda.

O Millies beata Filia Sion! ô mellitissima DEI Mater MARIA! exultat in te Spiritus meus, te collaudant præcordia mea, & sancta tui dilectione colliquescit anima mea.

Sicut nulla res poterit me separare à Charitate DEI (ut per DEI gratiam spero) sic nemo poterit me separare à charitate tua, ô MARIA Mater DEI, neq; tribulatio, neq; angustia, nec fames, nec nuditas, nec periculum, nec persecutio, neq; gladius, neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; Principatus, neq; virtutes, neq; creatura alia poterit me separare à charitate tua.

Dum spiro, dum possum, & quantùm possum, amo te, ô Domina cœli & terræ potentissima, ô Mater DEI & Virgo Sanctissima, & amare te toto affectu totius curiæ triumphātis in cœlo, cupio.

Piissime JESU, dulcissimæ Matris tuæ Virginis amorem volo: da mihi amorem ejus, propter amorem ejus, majorem omni amore ejus.

Actus Amoris erga Virginem Sanctissimam ut Matrem nostram.

O MARIA Virgo Mater, quæ occasione mei peccatoris, facta es Mater DEI, & quæ à Filio tuo prædilecto data es mihi in Ma-

trem, & ſolatium, ideò ad te, tanquam ad Matrem dulciſſimam confugio, totus à te, tanquam infantulus à Matre pendeo.

Utinam me, ô Mater chariſſima, ſinu tuo Materno foveas, & conſoleris! utinam ſim unus ex ijs quibus maternum declaras affectum! nihil ampliùs deſiderat anima mea.

Sicut filius ſuſpirat ad ſinum matris, ita ſuſpirat ad te anima mea: ne deſpicias me ô MARIA Mater mea.

Suſcipe me, ô Virgo piiſſima Mater, ad te confugientem: guberna me toto vitæ meæ tempore, ut te Duce cuncta pericula evadam: provide mihi in omnibus, tanquam bona Mater filio; & fac, ut te toto corde diligam, tanquam Matrem meam dulciſſimam.

O Mater DEI, Mater noſtra, cui ab ipſo tuo Filio dati ſumus, & commendati etiam in filios tuos, quomodo de ſalute noſtra jam deſperemus, tam piam Matrem & Advocatam pro nobis habentes apud Filium?

O quo te affectu amare debemus? qua tibi nos familiaritate committere? qua ſecuritate ad te confugere? & qua dulcedine confugientes ſuſcipi à te ſperare debemus?

Monſtra, ô MARIA, te veram eſſe mihi matrem, ama me uſquè in finem, & fac, ut te redamare totis viſceribus cordis mei contendam.

O Mater dilectiſſima, de filiis tuis ſemper ſolicita, accende noſtrum in te affectum, ut te Matrem

trem nostram ex corde veneremur, diligamus, & colamus.

Quis mihi det, ut sim sugens ubera matris meæ, & jam nemo me despiciat?

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, ô Domina & Mater mea, ut satier ab uberibus consolationis tuæ.

O MARIA, tu es dulcissima Mater mea revoca me errantem, ingratum, & prodigum filium tuum; pasce me ab uberibus tuis.

Utinam sim quasi infans modò genitus, ut merear lactari, purissimo & dulcissimo lacte tuo, & ubere de cœlo pleno.

Quia filius tuus licet indignus sum; ideò totus sum, ô MARIA, & tu tota es mea: ego tecum, tu mecum, ad te conversio mea: & à te expectatio mea.

O Gloriosissima Regina, & Mater mea! absit mihi gloriari nisi in te: Tu es vera gloria mea: Tu lætitia cordis mei. Exultabit cor meum in te gaudens, de protectione tua.

Quot Stellæ, quot arenæ maris, tot ego corda, indicibili amore tui flagrantia mihi uniri opto, ut Te superamabilissimam Matrem meam unicè diligere queam.

O Felix Mater! Tu Mater DEI, tu Mater rei: tu Mater Judicis, tu Mater exulis: cum sis Mater utriusq; filii, ne sinas filium reum damnari per Filium DEUM: sed materna pietate procura, ut filius reus, reconcilietur Filio, qui est DEUS: & per filium Judicem, recipe in patriam filium exulem.

O MARIA,

O MARIA, Tu es Mater pulchræ dilectionis; quia tota es amor erga nos, quos recipis in filios: igitur & ego volo, ut totus amor meus, ſit erga te poſt DEUM meum.

O Regina cœli, decor & Mater Carmeli! quæ quaſi vitis fructificaſti, in hoc monte Virgineo ſvavitatem odoris. Et qui nunc flores tui? Nonne illi filii tui, qui extendunt & multiplicant fructus honoris tui, & honeſtatis, per circuitum hujus montis.

Ave clariſſima ſtella cœli: Ave Mater noſtra, & Mater DEI, & ſvaviſſimus flos Carmeli, odor tuus, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, trahe me poſt te, ut curram in odorem tam pulcherrimi & deſideratiſſimi floris, uſq; ad verticem montis Carmeli, in quo beneplacitum eſt tibi.

Actus Amoris erga Virginem Sanctiſſimam ob ejus pulchritudinem.

O Super omnem cogitationem nobiliſſima, ſvaviſſima, & pulcherrima Virgo MARIA, quàm amabilis es, & cur non amem te? Te, inquam, quæ tota pulchra es, tota pulchra es, & macula non eſt in te. Verè pulchra es & decora Filia Hieruſalem: pulchra es in corpore, pulchra in anima, pulchra in hac vita per gratiam, pulchra in altera per gloriam, in omnibus & per omnia amabiliſſima, & ideò ardentiſſimè amare te deſidero.

Fateor, quòd quidquid alibi bonum, quidquid

amabile in singulas dispersum est creaturas, id omne simul unitum reperitur in Te, ô MARIA. Præsta, ut ego te diligam, te sequar, desiderem tui præsentiam, & omnia transitoria prorsus despiciam.

O MARIA, Tu vivens in terris fuisti Virgo amantissima, Virgo sole Serenior, astris lucidior; Virgo melle dulcior, & balsamo svavior; Virgo rosis pulchrior, & liliis candidior; ultrà omnem pulchritudinem decora, ultrà omnem honestatem gratiosa: proinde castissimo affectu te semper diligere volo.

Multæ filiæ congregaverunt sibi divitias, verum tu, ô Sancta Dei-genitrix Virgo MARIA, supergressa es universas: Tu Patriarchas excellis fide, Prophetas scientiâ, Apostolos Sanctos zelô, Martyres patientiâ, Confessores humilitate, Virgines innocentiâ.

Tu ineffabilibus monilibus ornata omnes superni palatii Cives, in admirationem, & amorem rapis.

Heu me, quòd tam exiguo amore hactenùs te prosecutus sum.

O si jam amarem te, quantum amabilis es!

O si saltem amarē te, quantùm possum & debeo!

O Utinam anima mea amore tui liquefiat!

Utinam implear, & superimplear dilectione tui ô MARIA cordis mei Imperatrix Augustissima!

Nihil est pulchrum, nihil delectabile, nihil utile, quod non præponam pulchritudini, deliciis, &

divitiis tuis, ô MARIA. Nam tu mihi es super omnia, ô MARIA.

Quàm pulchra es, quæ ipsam pulchritudinem genuisti; nihil enim pulchriùs Matre pulchritudinis, quam diligere totis cordis visceribus debemus.

O si possem omnes filios Adæ convertere ad te, ut respicerent dulcissimam formam tuam, & jam relinquerent vanitates, quibus eorum viscera depascuntur.

Speciosa facta es in deliciis tuis Sancta Dei-genitrix, quis non diliget te? ô Regina cordium, & Mater sancti amoris; quis non diliget te? Utinam omnes creaturæ tibi serviant, & in amore tuo vivant, & moriantur.

O MARIA tota pulchra, immò tota pulchritudo, cui assimiliabo te? aut cui comparabo te? certè omne pulchrum turpe, & omne mundum immundum ad te comparatum.

Sola es sine macula, sola sine labe, pulchritudo pulchritudinum, candor candorum, splendor splendorum, & quidquid est eminentiæ, & virtutis, tu sola his plena es.

O MARIA, oculi tui columbarum, spirantes candorem, & simplicitatem; quàm pulchra es amica mea, columba mea, quæ pura & simplicia corda trahis. Conijce, obsecro, dulcissimum intuitum in me tuum, & dicat tibi anima mea: vulnerasti cor meum Soror mea Sponsa, in uno oculorum tuorum: en charitate tua vulnerata sum.

O Dulcissima Virgo Antesignana omnium sub

cruce

cruce militantium! Te amo super omnia post DEUM, & desidero contendere cum omnibus creaturis, cum omnibus Beatis, cum omnibus Angelis, etiam ardentissimis Seraphim in amando tuam pulchritudinem, & tuam bonitatem.

Utinam sit fortis sicut mors dilectio mea erga te, dura sicut infernus æmulatio pro honore tuo. Certè paterer me superari ab omnibus in omnibus, sed in hoc, quòd aliquis plûs diligat te, quàm ego, nequaquam patiar me superari.

Actus Amoris erga Virginem Sanctissimam, ob ejus beneficia erga nos, & misericordiam.

O Regina & Mater misericordiæ, misericordias tuas in æternum cantabo, quas ego recepi in vita mea.

O quam pridem periissem, si tu me infinities à perditione non liberasses.

Nullus est, qui salvus fiat, ô Sanctissima Virgo, nisi per te: nemo est, qui liberetur à malis, nisi per te, ô purissima.

Nemo est, cui donum aliquod concedatur, nisi per te, ô DEO dilectissima. Nemo est cujus misereatur gratia, ô Virgo Deipara castissima.

Quis, post tuum Filium, ita generis humani curam gerit, sicut tu? quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? quis tam citò præveniens nos ab irruentibus liberat tentationibus? quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? quis

ea, quæ corrigi non possunt, ad correctionem reducit? nisi tu ô misericordiæ Mater.

Mundus, & terra jam dudum ruissent, si non tuis, ô MARIA, precibus ea sustentasses. Per te igitur, ô Domina, vivit orbis terrarum. Per te nos omnes in vita conservamur. Igitur, quis te non amet? quis te non honoret? quis te non colat? quæ benignissima es, & nos amore invincibili amas.

O MARIA, citiùs aliquis numeraret guttas aquæ, & arenam maris, quàm beneficia, quæ tu confers nobis.

Nihil est in mundo, quod non sentiat misericordiam tuam, ô MARIA: ideò omnis creatura, te creatoris sui Matrem, amat, veneratur, & agnoscit.

Exultant præcordia mea ad te, ô Mater misericordiæ! quia inops, & pauper sum ego, tu verò expectas, ut miserearis mei.

Utinam liquescant omnia viscera amore tui, ô Mater misericordissima! & nullum sit cor durum, & lapideum, sed omnia fluant sicut cera à facie ignis amoris tui.

Quis mihi det, ut continuò inhæream tibi? sinè te enim fragilitas mea, ne ad unicum momentum consistere potest.

O MARIA, tota bona, tota dulcis, tota mitis atq; svavis es; quis se potest abscondere à calore amoris tui? Tu sicut sol facis oriri bonitatem tuam super bonos, & malos, nec pauperem despicis, nec ingratum repellis.

Tu Mater omnium viventium; & sicut terebinthus ramos dulcedinis tuæ extendis; omnes sub umbra tua proteguntur, sub qua etiam viles bestiolæ securæ quiescunt.

Currite ad MARIAM, ô vos omnes orphani atq; pupilli, & à generationibus ejus implemini: Currite; quia Mater pulchræ dilectionis est, Mater gratiæ plena, & misericordiæ.

Quàm bona, & misericors es Domina mea! Ecce ego sum, qui errabam in sæculo nequam, per devia & inaquosa, & tu me dulcissima, oculis tuis huc & illuc vagantem prosequebaris.

Aspiciebas me frequenter, ut alioquin erubescens maternum aspectum tuum, converterem me ad te.

Sed heu me! elongavi fugiens, & mansi in solitudine iniquitatis, sinè te.

Verùmtamen non poterat esse inanis aspectus tuus, quando me traxisti etiam renuentem, & in numero filiorum tuorum collocasti.

Quid retribuam tibi pro his, ô misericordissima Mater? Certè si omnia, quæ sub cœlo sunt tibi tradidero, parùm est.

Scio quid faciam, & dubitare non possum, quòd tu magis de me, quàm de meis gratitudinem requiris. Ergo sicut totus fui servus peccati; ita modò fiam per gratiam totus servus tuus, & mancipium sempiternum.

Non est, quid mentem meam peccatorum pondere pressam æquè recreet, ac recordatio tui, ô

MARIA. Quid enim misero dulciùs, quàm memoria Matris misericordiæ?

O Misericordissima atque dulcissima Domina mea, Sancta MARIA! ô Mater svavissima, pietate affluentissima, miserationibusq; exuberantissima, fac, ut tuarum in me misericordiarum, & beneficiorum sinè cessatione memor sim, Tibiq; aliquam fidelitatis & amoris vicissitudinem, pro omnibus, quæ hactenus mihi tribuisti, rependere non cessem: quatenùs à tua & Filii tui, Domini mei JESU Christi gratia non excidam.

Miserere Domina, animæ meæ post te anhelantis, & secundum ipsam gratiam, qua te voluit DEUS esse plenam, fac mecum misericordiam tuam: fac, ut amor tui semper sit mecum, & cura mei semper sit tecum: fac, ut clamor necessitatis meæ, quandiu ipsa persistit sit tecum, & respectus pietatis tuæ, quamdiu ego subsisto, sit mecum: fac, ut congratulatio beatitudinis tuæ semper sit mecum, & compassio miseriæ meæ, quantùm mihi expedit, sit tecum.

O Quàm beati, quos respexerint illi tui misericordes oculi, ô MARIA! hos ergo oculos ad me converte, & Filio tuo benignè me reconcilia, & in æternum conjunge, ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA.

Rogamus te, clementissima ipsius pietatis & misericordiæ Mater, ut qui tuæ laudis insignia frequentare gaudemus in terris, tuæ miserationis auxilium habere mereamur in cœlis: quatenùs sicut

per

per te DEI Filius dignatus est ad nostra descendere, ita & nos per te, ad ejus valeamus consortium pervenire.

Actus affectûs erga Nomen Virginis Sanctissimæ.

O MARIA sis benedicta, cui dedit tota superſancta Trinitas Nomen, quod post Nomen superbenedicti Filii tui, est super omne nomen, ut in Nomine tuo omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.

O MARIA nomen tuum dulce, Nomen tuum amabile; Felix qui in ipsa nominatione Nominis tui experitur, & noscitur cujus filius sit. Affectus enim erga te tribuit ei maximam fiduciam in te.

Adhæreat lingva mea faucibus meis, si non proposuero te, ô MARIA, in principio lætitiæ meæ: si non meminero tui, oblivis catur mei dextera tua.

Utinam distendantur omnes nervi mei, velut calamus scribæ velociter scribentis, & sangvis meus velut atramentum diffluat, ut possim manifestare Sanctissimum Nomen tuum, Serenissima Regina cælorum, & enarrare cunctis gentibus gloriam magnificentiæ tuæ.

Magnificate omnes Dominam mecum, & exaltemus Nomen MARIÆ in æternum, nam Nomē MARIÆ, Nomen dulcissimum, Nomen Sanctissimum, Nomen dignissimum, Nomen potentissimū, Nomen desideratissimum.

Protege me, dulcissima Virgo MARIA, sub

umbra alarum tuarum: & non recedat in æternũ mellifluum Nomen tuum ab ore, & à corde meo.

Tuum Nomen, ô MARIA, est scutum, & protectio mea ab inimicis meis: Tu igitur virtute nominis tui protege me, & eripe animam meam, de manibus quærentium eam.

O Quàm svave est Nomen MARIA! ô quanta animum explet dulcedine, cum nuncupatur!

O Domina, in virtute tua lætabitur cor nostrum, & in dulcedine Nominis tui consolabitur anima nostra.

Scio, quod tam pia, & svavis es, ô MARIA, ut nec nominari possis, quin accendas, nec cogitari, quin recrees affectum diligentium te.

O MARIA, cùm sacrum Nomen tuum auditur, adeò fervet fidelium devotio, ut omnium corda effervescant, oculi lacrymas emittant, gemitus ex intimis præcordiis emanent, & veluti cùm æquor ebullit, & ad littora erumpit, ita Christianæ plebis affectus, & voces.

O MARIA, tu Divina dispensatione hoc Sanctum Nomen accepisti, quod interpretatur, Domina, Exaltata, Stella maris, Illuminata, Illuminatrix & Spes.

O Quæ spirituales divitiæ, quæ gratiarum multitudo, quis beneficiorum cumulus, quæ DEI beneficia, in Nomine MARIÆ, non clauduntur? quis enim hoc Nomen, ex corde intimo invocavit, & auxilium non invenit?

Tuum Nomen, ô MARIA, super omnia San-

ctorum nomina, reficit lassos, sanat langvidos, illuminat cæcos, penetrat duros, ungit agonistas, jugum diaboli extrudit.

Gloriosum, ô MARIA, & admirabile est Nomen tuum: qui illud retinent, & invocant, non expavescent in puncto mortis.

Invocabo & ego semper Nomen tuum, ô MARIA, semper dicam: ô MARIA, esto mihi MARIA: ô Domina, rege me; tuere me à rugientibus præparatis ad escam; illumina me; me conforta: Stella maris, deduc me ad portum salutis.

Actus Gaudii nostri.

O MARIA Dei-Genitrix Virgo Sanctissima, gaudeo de omnibus bonis tuis, de tua gloria & honore, de tua excellētia & dignitate. O quam exulto de illo amore, quo te amat DEUS Pater, DEUS Filius, DEUS Spiritus Sanctus! & de illo amore & honore, quo te amant & colunt omnes Angeli, & omnes Beati in cœlo, & omnes justi in universa terra!

Omnis gaudiorum meorum sensus, in hoc uno, ô MARIA Virgo, quòd sola sis, ac tanta sis, quæ & quanta es: quòdq; gloria & honor tuus, in cœlis & in terris sit tantus, quantus est.

Gaudeo, quod sis Sponsa DEI, Mater Verbi, Ministra incarnationis, omnium gratiarum Mare, verè illuminata MARIA, Angelorum Regina, Mediatrix nostra, & omnium Domina. Et in tantùm gaudeo, ut gaudium istud non permutarem

omni-

omnibus deliciis, & voluptatibus totius mundi ſimul ſumptis.

Si poſſibile eſſet minui aliquem gradum gloriæ tuæ, quòd vellem omnia tormenta etiam infinitorum infernorum perpeti, quàm tu minimum detrimentum dignitatis & beatitudinis ſubires.

O quantùm gaudeo ô MARIA, de omni affectu, quem habent erga te omnes devoti. Et ſi haberem omnium Sanctorum merita pro quibus gloriam correſpondentem accepturus eſſem, libenter illa privarer, ut tuis devotis à Divina Majeſtate conferretur.

Gaudeo & exulto, ô Beatiſſima Virgo, quòd DEUS te amet ſuper omnia opera ſua, & de hac re ſuper omnia delector.

Summè gaudeo de eo, quod es, quia es ab originali culpa præſervata: quia es Virgo & Mater DEI, Regina cœli, Domina mundi, & ſuper choros Angelorum exaltata.

Gaudeo, tibiq; congratulor in toto corde meo, quia cùm eſſes parvula placuiſti Altiſſimo, & de tuis viſceribus genuiſti DEUM & hominem.

O Mater DEI mei, quibus tibi affectibus gratulabor Maternitatem tuam Divinam! ô ſi omnium mihi corda eſſent! ô ſi omnium potens eſſem voluntatum, potentiarum, & operationum! ô ſi cor ipſe totus eſſem, non quantus ſum, ſed quantum eſt totum univerſum, vellem tibi ſic gratulari; gratulari, inquam, Te DEO, & DEUM tibi, Te illi ancillam, illum tibi Filium.

O An-

O Ancilla Domini, Te, toto me, gratulor æterno DEO! ô Mater DEI, tibi, toto me, gratulor Filium DEUM!

Sed quantulum eſt hoc, quòd toto me gratulor tibi? Te potius, ô Virgo, ancillam DEO, & DEUM Filium tibi, gratulor illo ipſo DEO, cujus Mater es. Sit ergo ille gratulatio tua, qui factus eſt generatio tua, gratia tua.

Actus Gaudiorum Virginis Sanctiſſimæ.

O MARIA Virgo Sanctiſſima & Mater noſtra dulciſſima, ſicut ego gaudeo de omni bono tuo, ita deſidero, ut & tu ſemper gaudeas magis ac magis, & ut ſemper gaudia tua creſcant, & augeantur, atquê renoventur omnia illa, quæ habuiſti in terris, & quæ nunc habes in cœlis: ac propterea nonnulla tibi nunc commemoro. & imprimis quibus abundê perfuſa fuiſti in terris.

Gaude MARIA Virgo Mater Chriſti, quæ per aurem concepiſti. Gabriele nuntio.

Gaude, quia DEO plena, peperiſti ſine pœna, cum pudoris lilio.

Gaude, quia oblatio Magorum, & devotio exhibetur Filio.

Gaude, quia tui Nati, quem videbas mortem pati, fulget Reſurrectio.

Gaude, Chriſto aſcendente, qui in cœlum, te vidente, motu fertur proprio.

Gaude, quia Paraclytus demiſſus fuit cælitûs, in tuo Collegio. Gaude,

Gaude, quæ post Christum scandis, & est honor tibi grandis, in cœli palatio.

Præterea commemoro tibi, ô Domina mea benignissima, illa gaudia, quibus nunc perfrueris in cœlis.

Gaude MARIA Virgo, quia omnes Sanctos superas tuo honore.

Gaude, quia totum Cœlum & Orbem, illuminas tuo splendore.

Gaude, quia ad tuum nutum tota tibi obedit cœlestis Curia.

Gaude, quia ad tuum votum à DEO impetras omnia.

Gaude, quia sola es Sanctissimæ Trinitati proxima.

Gaude, quia tua gaudia non cessabunt, nec decrescent, sed durabunt, & florescent per æterna sæcula.

Commemoro & illa, quibus dum sæpiùs te salutaret quidam tibi devotus Religiosus, multùm placuit tibi.

Gaude DEI genitrix Virgo immaculata. Gaude, quia gaudium ab Angelo suscepisti. Gaude Mater.

Gaude Sancta DEI genitrix Virgo. Tu sola Mater innupta: Te laudat omnis factura: Genitrix Lucis intercede pro nobis.

Deniq; commemoro tibi tua gaudia, sicut à Te edocta fecit Sancta Mechtildis.

Memento Domina gaudii, quod habuisti, cùm

Filius

Filius DEI, tanquam Sponsus procedens de corde Patris, in uterum tuum venit, exultans ut gigas ad currendam viam.

Memento gaudii, quod habuisti, cum de Virginali utero tuo prodiens, factus est tibi Filius dulcedinis, & gaudii.

Memento gaudii, quod habuisti, in Magorum oblatione, ubi factus est tibi Filius honoris.

Memento gaudii, quod habuisti, cùm Filium tuum in templo obtulisti, ubi factus est tibi Filius munditiæ & sanctitatis.

Memento, quòd idem tibi extiterit in Passione Filius mæstitiæ, & doloris.

Memento, quòd idem in Resurrectione, factus est tibi Filius lætitiæ, & exultationis.

Memento, quòd in Ascensione, factus sit tibi Filius Regiæ dignitatis.

Actus Gratiarum actionis.

ADoro, laudo & benedico te, ô piissime Domine DEUS meus, pro omnibus donis, gratiis ac beneficiis, quæ Sanctissimæ Virgini MARIÆ in hac vita mortali olim, & nunc in gloria tecum permanenti contulisti.

Benedictus sit Pater de cœlis DEUS, qui MARIAM Virginem in suam Filiam adoptavit.

Benedictus sit Filius Redemptor mundi DEUS, qui MARIAM Virginem in Matrem suam elegit.

Benedictus sit Spiritus Sãctus DEUS, qui MARIAM Virginem in Sponsam sibi assumpsit.

Benedi-

Benedicta sit Sancta Trinitas unus DEUS, eò quòd MARIAM Virginem in suum tabernaculum consecravit.

O Domine DEUS meus, sit tibi perpetuus honor, perennis laus, & gloria, qui tam dignissimā Virginem creasti. Sit tibi benedictio, & infinita gratia, pro infinitis gratiis, quibus eam cumulasti.

Laudetur DEUS summus, & summus Imperator & Dominus, qui MARIAM Virginem ad tantum honorem creavit & exaltavit, ut Imperatrix & Domina fieret perenniter in Regno cœlorum, cum ipso æternùm regnatura in sæcula sæculorum.

O Benignissime JESU, sis tu benedictus in æternum, qui hanc singularissimam Virginem ab æterno tibi in Matrem elegisti, ab omni peccato immaculatam præservasti, ac omnium virtutum & gratiarum plenitudine exornasti; in ea concipi, ex ea nasci, & ejus lacte pasci voluisti, prædicationi, passioni, ac morti tuæ ipsam adesse, & nostræ Redemptioni cooperari tribuisti, atq; hanc in cœlum cum corpore & anima assumptam, gloriosissimèq; coronatam, eandem nobis in Advocatam, misericordiæ Reginam, atq; Matrem dedisti.

Pro his, sit tibi laus, honor, & gloria sempiterna, dulcissime JESU, ejus cor & merita pro me, & universa Ecclesia nunc offero, & per eandem nos, in cor tuum piissimum commendo.

Benedictus sis tu DEUS Creator omnium, qui in uterum MARIÆ Virginis descendere dignatus es.

Benedictus sis tu DEUS, qui cum MARIA Virgine esse sine gravamine voluisti, & de ea immaculatam carnē sine peccato sumere dignatus es.

Benedictus sis tu DEUS, qui ad MARIAM Virginem cum maximo gaudio animæ ejus venisti, & cum gaudio maximo ejus, sine peccato, de ea processisti.

Benedictus sis tu DEUS, qui MARIAM Virginem Matrem tuam, post Ascensionem tuam, crebris consolationibus lætificasti, & per te ipsum eam consolando visitasti.

Benedictus sis tu DEUS, qui corpus & animam MARIÆ Virginis Matris tuæ in cœlum assumpsisti, & super omnes Angelos, juxta Deitatem tuam honorificè collocasti. Miserere mei propter preces ejus.

Actus Oblationis in servū Virgini Sanctissimæ.

O Pretiosissima DEI-Genitrix universorum Domina, cui serviunt Angeli & Archangeli, Cherubim quoquè ac Seraphim, & universi beatorum Spirituum Ordines, cum tota curia cœlesti; ego quoq; hominum creaturarumq; vilissimus, motu proprio, me tibi totum in servum perpetuum, dedo, trado, & devoveo.

Exspolio me omni meo, si quod habeo, jure, libertate, arbitrio, illud totum in manibus tuis æternaliter depono.

Posside me, ô Domina, utere me, & tanquam servum tuum tracta, & exerce.

O Domina

O Domina, sic fiat, oro, & ne digneris aspernari, qualecunq; obsequium famuli tui.

Sis tu Domina mea æterna; sim ego servus tuus æternùm, dum DEUS erit DEUS, cui honor in sæcula.

Ut tibi serviam, tibi vivere, non mihi cupio.

Tibi, tuoq; servitio, omne tempus, quantùm possum dedico: & opto momenta singula illius converti in æternitates, quibus tibi inserviam.

Doleo, quòd hactenùs non servivi tibi, ut debui.

Pœnitet me, quòd tibi aliquando ingratus fui, ô Dulcissima Domina mea, confundor, quòd nihil dignum hucusquè honore tuo feci.

Utinam, utinam omnia momenta vitæ meæ pro maxima gloria tua impendissem, & servivissem tibi corde perfecto!

Abhinc tibi corpus & animam meam, tibi cor, & omnes potentias, & sensus meos; tibi quidquid sum, quidquid possum, cum omnibus, quæ quomodocunq; ad me, sive in præsenti, sive in tota æternitate pertinere possunt, quanto possum amore & affectu, in obsequium tuum dono, & offero.

Accipe, ô Serenissima Regina, & Domina nostra, accipe jam ex hac hora possessionem absolutam, & perpetuam mei, & omnium horum in æternum.

Verùm & tu, ô Domina mea Sanctissima, adjuva me, ut sim servus tuus in æternum & ultrà. O utinam ut jumentum fiam apud te, ut sim semper tecum!

Fac me semper adhærere tibi, & consurgant adversum me castra inferni, utiq; non timebo mala, quoniam tu mecum es.

O Gloriosissima Domina mea, etiamsi tenebræ tentationum obruant me, & procellæ adversitatum insurgant contra me, non recedam à te. Immò si ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio in me veniant, tamen serviam tibi.

Actus Commendationis Virgini Sanctissimæ, ut Matri Nostræ.

O Dilecte votorum meorum! ô JESU Charissime omnium Charissimorum! commenda me Matri tuæ, quæ pro tuo amore sit mihi in perpetuum Dux, & Custos. Consigna me illius manibus. Eja, eja, dicito de me illi: Suscipe hunc in curam tuæ Maternitatis; ego eum tibi commendo in tota virtute meæ Charitatis.

Vide, Mater, quomodo mihi eum immaculatum repræsentes, & secundum cor meum educatum reconsignes.

Verùm & ego ad tuæ sanctitatis pedes prostratus, vitam meam totam, & mortem, tibi ut Matri misericordiæ, filiali confidentiâ & devotiône voveo & commendo.

Tibi me trado regendum: Tibi mea omnia præsento & committo; totum me sub tua prædulci protectione constituo.

Absint à me mundi hujus vanissimi honores, &

tituli, hoc ſolum, quod omnibus illis majus eſt, ambio & affecto, ut MARIÆ ſervus & Filius dici, & eſſe, & talis ab ea agnoſci merear: hoc ſolum me lætificare, hoc ſolum conſolari & ſatiare poteſt.

Honorabile enim mihi nimis eſt, & cordi meo dulce nimis, tam potentem ſortiri mihi Dominam, tam fidelem nanciſci Advocatam, tam benignam & miſericordem habere Matrem.

Quandoquidem ergo hoc ſolum in votis mihi eſt, ut te, ô MARIA, in Dominam & Matrem mihi de cætero habeam: ſuſcipe igitur me licet indignum, ſecundum meum deſiderium, in tuum fideliſſimum ſervum, veneratorem devotiſſimum, & filium chariſſimum.

O MARIA, monſtra mihi Te eſſe Matrem: ſuſcipe me in Maternam tuam cuſtodiam & diſciplinam: in gratiam & amorem, in patrocinium & tutelam Materni cordis tui, tanquam filium, quamvis indigniſſimum.

Adſcribe me in eorum numero, quos ſingulari gratia in corde tuo habes prædilectos & impignoratos: quos jugiter foves, protegis, & in omnibus juxta beneplacitum Filii tui dirigis, honeſtas, & perficis: & qui Te viciſſim ſingulariter amant, & colunt, qui te imitantur, & tibi in ſpiritu & veritate ſerviunt & famulantur.

Suppliciter poſtulo, benigniſſima Mater, ut me dirigas, ſerves, promoveas in omnibus viis & actibus meis.

Etenim

Etenim sine te, quàm pauper, & inops & egens sum auxilio tuo!

Serva, igitur, ô Sanctissima Virgo, ô piissima Mater, corpus & animam meam, ab omnibus malis & periculis.

Fac me participem bonorum tuorum, gratiarum atq; virtutum; præsertim profundissimæ humilitatis, eximiæ puritatis.

Accende in me filialem in te affectum, ô benignissima, ut te Matrem meam ex corde diligam & colam: reconcilia me Filio tuo, ejusquè mihi amorem & favorem semper conserva & auge: sis mihi, ô MARIA, pia semper Mediatrix apud Filium: sis de me tanquam de tuo filio solicita: succurre erranti; deduc me in semitas justitiæ: misericordes tuos oculos ad me semper converte; & mihi in morte ut pia Mater occurre: ab hostibus me defende; & tecum ad cœlestẽ paradisũ assume.

Actus Oblationis cordis nostri Virgini Sanctissimæ.

O Domina mea Sancta MARIA DEI-Genitrix Virgo, quamvis jam totum me tibi dedicaverim & obtulerim: præcipuè tamen offero tibi cor meum, non despicias, quæso, hoc munus exiguũ, ô clemens, & Mater misericordiæ.

Suscipe ergo cor meum, recipe te in illud, immò verò tu, ô Regina, dominare in corde meo, tene illud, posside illud, apud te sit semper, ò requies mea desideratissima.

O MARIA, ad te est cor meum, nec requiescit, donec fruatur plenè pulchritudine tua.

Tu sola post DEUM, ô Domina mea, tene cordis mei principatum, etiam nulla ei creatura misceatur.

Si ego solus omnium electorum gratissima corda possiderem, libenter illa omnia tibi, Virgo Sanctissima, præberem, quantò magis hanc exiguam cordis mei partem, nunc tibi totaliter tradam?

O Utinam dulcissima Virgo auferas cor meum, & des mihi tuum, ut cor tuum vivat in me, & cor meum vivat in te.

O Quàm felix essem, si universa corda, & vota omnium diligentium te haberem, ut ijs te ad quamlibet respirationem meam glorificarem.

O Si cor meum esset tanquam lampas ignis atq; flammarum, libenter funderem sangvinem meum pro liquore limpidissimo, & ossa mea pro lichno ferventissimo, ut essem lampas accensa coram te, ô MARIA.

Accipe tibi, ô clementissima Virgo, cor meum & colloca illud juxta tuum, neque illud unquam mihi reddas, nisi Filii tui vulneribus vulneratum, & sangvine rubricatum: nisi amore tui vehementi succensum, & odore svavissimo variarum virtutum delibutum.

Certè affectum meum totum in te traxisti, ô MARIA, & cor meum totum rapuisti, guberna illud, quæso, tanquam cor tuum, & in sangvine Agni immaculatum illud conserva, & in latere

Filii

Filii tanquam in refugio tutissimo colloca; vel, si tibi ita placet, fove illud, & me in visceribus tuis; nunquam me dimittas, neque à te separari permittas.

O Mater DEI benignissima, rogo te, ut sic extrahas à corde meo dilectionem omnium rerum temporalium, ut tu sola, & Filius tuus sit mihi super omnia charissimus usquè ad mortem.

Suscipe cor meum, dilectissima Mater mea, & offer illud purissimis manibus tuis, purissimo Filio tuo.

Adorna, ô MARIA, cor meum, ut unâ cum tuo corde possim illud offerre Sanctissimae Trinitati, ut cor meum nihil cogitet, loquatur, operetur, quod non sit in honorē Divinae suae Majestatis.

Actus Spei in Virgine Sanctissima.

O Mater misericordiae, unica Spes & solatium peccatorum, ad te confugio, nullum aliud reperiens refugium.

Desperare possem prae multitudine & gravitate peccatorum meorum, nisi tu esses misericordiae Mater: tu enim propter miseros peccatores genuisti Misericordiam; atq; ita quoties te aspicio, toties mihi sinum misericordiae apertum esse video. Cur ergo spe non gaudebo, dum me MARIÆ misericordiâ protectum videbo.

Fateor me quidem indignum gratiâ dilecti Filii tui, quem saepè offendi, cui tam ingratus extiti; attamen veniam & misericordiam spero per te, ô

 gloriosa

gloriosa Mater & Virgo, quæ instar solis, qui super bonos & malos oritur, indifferenter omnibus te exorabilem, omnibus clementissimam præbes, omnium necessitates amplissimo quodam miserearis affectu: respice me oculis misericordiæ; monstra te mihi in negotio æternæ salutis meæ misericordissimam Matrem.

O Gloriosa Regina mundi, unica Spes nostra, & Advocata gentis nostræ: loquere tu sæculorum immortali Filio tuo dulcissimo pro nobis, & libera nos de morte æternæ damnationis.

Data est tibi, ô MARIA Virgo, cœli terræque Regina, omnis potestas, in cœlo & in terra, & in manu tua est vita & salus nostra, & nihil tibi impossibile, cui possibile est, desperatos in spem beatitudinis relevare.

Tu es Spes unica peccatorum; quia per te speramus veniam omnium delictorum, & in te nostrorum est expectatio præmiorum.

Non nobis est alia, quàm in te fiducia, ô Virgo sincerrima. Tu enim es omne auxilium, armatura, exultatio, spes, & robur nostrum.

In te sperant, qui noverunt Nomen tuum; quoniam non derelinquis sperantes in te.

Quis, ô Domina mea, speravit in te, & pudore est affectus? aut quis hominum omnipotentem tuam rogavit opem, & fuit derelictus unquam?

Certè, Domina mea benedicta, Tu es defensio generis humani, portus & protectio eorum, qui ad te confugiunt.

O Quàm

O Quàm innumeri peccatis dediti, jam DEUM deseruerant, omnemq; cœlestis patriæ cætum, ac DEUM ipsum abjurârant, negârantquè, & in desperationis voraginem sese præcipites dederant! qui tamen ad te confugientes, benignissimè à te servati sunt, donec, te intercedente, apud DEUM in gratiam restituerentur?

O Quoties tremendi Judicis severam justitiam, aut mitigâsti, aut avertisti?

O Quoties apud Filium tuum dilectissimū, nobis indignis, gratiam & consolationem impetrasti?

Citiùs cœlum cum terra periret, quàm tu aliquem seriò te implorantem tua ope destituas.

Revera Tu es, & diceris Mater, & Regina misericordiæ. Tu es desperantium spes opportuna, & auxilio destitutorum adjutrix præsentissima, cujus honori tantùm tribuit Filius dulcissimus, ut quidquid petieris, mox impetres; quidquid volueris, mox fiat.

Tibi regni cœlestis omnes thesauri & claves commissæ sunt, quibus cœlum omnibus te invocantibus, & in te sperantibus aperis, & nemini claudis.

O Quoties jam cecidissem, nisi tu me tua intercessione tenuisses? quoties periissem, nisi me protexisses, & conservâsses?

Insuperabilem, ô Deipara, spem tuam habens servabor: defensionem tuam possidens non timebo: tantummòdò compatere animæ meæ ad te suspiranti, & in te speranti: respice in me, & festina semper in adjutorium meum.

Ne finas me, ô consolatrix cordium, ne finas me elongari à te; intuere benignis illis oculis tuis desiderantem tibi placere.

Sicut enim in æternum vivere, ac salvus esse non potest is, quem à te aversum despexeris; ita in æternum perire non potest is, quem ad te conversum respexeris. Occurre, Domina, quærenti te, recipe confidentem in te, esto mihi semper propitia, ut salutem per te inveniam.

Eja candidum lilium, post DEUM spes mea maxima, ô MARIA dulcissima! loquere pro me bona, coram tuo dilecto Filio: fac verbum pro me efficaciter; age causam meam fideliter, vota mea impetra misericorditer; quoniam tibi confido, post Christum spes unica.

Tantummodo velis salutem nostram, & nequaquam salvi esse non poterimus.

Dic, ô MARIA Virgo benignissima, dic animæ meæ, ut audiam & sentiam. Ego sum Mater & Advocata tua, confide in me, non abijciet te cor meum. O quàm felix, si hoc verbum audire meruero! quàm felix si me tuo protegi sentiam auxilio! quàm felix, si in extremis mihi consolatrix adesse digneris; quàm felix, si gloriosum tuum vultum cernere merear in cœlis!

O Mater consolationis, exaudi me, protege me, consolare me, & adimple omne desideriū cordis mei.

Actus petitionum variarum à Virgine Sanctissima.

O Dignissi-

O Dignissima Mater DEI! ô piissima Mater nostra, & unicum refugium, & solatium peccatorum, Sancta MARIA! ego maximus peccator, accedo ad thronum gratiæ & misericordiæ tuæ, & ad pedes tuos provolutus, toto cordis ac mentis affectu, supplex te rogo, ac per vulnera, ac pretiosum sangvinem dilectissimi Filii tui, ejusq; sacratissimam Passionem, obsecro ut semper pro me orare, & intercedere digneris ad Dominum DEUM nostrum.

Prohibet quidem mea abominabilis vitæ meæ turpitudo, quo minùs ad te Dominã nobilissimam, Cœliq; Reginam excellentissimam accedam.

At quò vadam aliò, quàm ad clementissimam reus? ad misericordissimam peccator? ad Sanctissimam omnium vitiorum plenus? ad Beatissimam infelix?

Ah! per omnia, quæ in te operatus est DEUS, mirabilia, te obtestor, ne despicias me.

Impetra mihi apud Filiũ tuum veniam & gratiã.

Non sit memor iniquitatum mearum, sed proiiciat in profundũ, immò miserationum ipsius abyssus devoret, absorbeatq; omnia peccata mea.

Recordare, & monstra te nobis esse Matrem datam, & fac mihi securum accessum ad Filiũ tuum.

O Misericordissima Domina & Mater, impetra mihi jugem, perfectissimamquè contritionem de omnibus peccatis meis.

Utinam scindatur cor meum durissimum, ut lacrymæ mihi amarissimæ fluant die ac nocte,

quòd

quòd tam ingratus, & tam rebellis DEO, & tam indevotus remaneo tot annis, infirmus ad omne bonum, impotens ad resistendum tentationi, & in omnibus delinquens.

Impetra mihi à dilecto Filio tuo uberem gratiam agnoscendi, deflendi, & ritè expiandi omnia peccata mea, deinceps seriò vitam meam emendandi, & ferventi omnimodæ perfectionis studio ingratitudinem meam compensandi, ac demùm in gratia usq; in finem perseverandi.

Exaudi, Domina mea, vocem quâ clamo ad te, & ne despicias orationem servi tui. Si enim tu non respicies, quis aspiciet? Ne quidem ipse DEUS: à te enim non respectus, à DEO est despectus.

O Domina, omnes creaturæ derelinquant me, tantummodò tu non deseras me.

O serenissima Lux, & dulcissima serenitas, illumina me, doce me, dirige me in viam salutis æternæ, ut non aberrem.

Domina mea, quid est hoc, quia inimicus meus supplantat gressus meos? respice de cœlo, & non adijce, ut etiam nunc illaqueent me decipulæ hostium meorum.

Ad te sunt oculi mei, Domina mea, ut eruas animam meam, de manibus quærentium eam. Tu es unicum refugium meum, in die tribulationis meæ.

Contine me sub tua protectione, Mater dulcissima, defende me à cupiditate mundi, à superbia vitæ,

vitæ, & à voluptate carnis, ut non solùm illicita non faciam, aut appetam, sed etiam à licitis, à modò abstineam, & tu sola cum Filio me delectes tuo.

O Spes mea sancta, præbe mihi tranquillitatem, seda omnem in me tempestatem, vitia ad radicem usq; extirpa, averte occasiones peccandi: contere caput serpentis, in me omnes illius laqueos mihi detege, & vires frange.

Succurre mihi tua potēti virtute, malaq; omnia mea pelle, ut Mediatrix & Domina, oratione, meritis, & potestate.

Effice me fortem, ut passionum & concupiscentiarum mearum vires frangam, nullis adversis deijciar, nullis prosperis extollar, nullis tentationibus movear, animi quietem nulla unquam re turbari patiar, nihil præter DEI gloriam intendam, & quæram.

Dirige vitam meam, juxta tuum, tuiq; Filii dulcissimi beneplacitum, omnesq; actiones meas tuo honori consecratas suscipe, decoremq; & internam animi serenitatem mihi tribue.

Actus petitionis bonæ mortis.

O Virgo singularis, & DEI Mater ac nostra piissima, ego me totum semper, vitamquè meam, sed præcipuè finem vitæ meæ tibi commendo.

Tunc, tunc monstra te mihi Matrem misericordiæ, pietatis & clementiæ, tunc exhibe mihi jucundissimam præsentiam tuam. Appa-

Appareat mihi gloriosus vultus tuus in extremis, & consolatio tua lætificet egredientem spiritum meum, ô Mater clementissima.

O Beatum me, si te mitissimam Virginem liceat mihi in hora mortis præsentem videre, tuo frui solatio, tuisq; manibus auxiliariis conservari. Nihil enim tunc me terrebunt minæ conscientiæ, non affligent peccata, non dæmones nocebunt.

Ego certè dum vivam, tuis laudibus cum gestiente lætitia studebo, ad te quos potero clientes adducam, me totùm in obsequia tua effundam: Tu me in exitu vitæ, à tuis laudibus & obsequiis revertentem clementer suscipe: & cujus universa vita tibi consecrata fuit, non patiaris mortem esse à te alienam. Ego quasi in tuis brachiis svaviter conquiescens, vivere à modò studebo: Tu fac ut in ulnis tuis moriar, & expirem.

Succurre mihi in manu forti, Domina mea, cùm hinc peccata, inde inimici mei undiq; coangustabunt me in extremis; comitare tunc animam meam, dum egrediens è corpore, aliud iter plenum periculis inire debebit.

Eja Domina mea, Patrona & Advocata mea, Virgo MARIA, esto mihi Dux & Propugnatrix in tantis periculis: Tu me ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

Non mihi prævaleat tunc inimicus; nihil suum in me inveniat; sint omnes animæ meæ sordes in meritis, & sangvine Filii tui abstersæ; nihil in ea maculæ, nihil fœditatis remaneat.

Metuo

Metuo equidem difficile illud iter, & peccatis oneratum me sentiens totus contremisco: at tu metûs causas tolle, ô Mater benignissima, iter mihi para tutum, ut per te securus perrumpam hostium agmina, & misericordem à Filio tuo per te mihi placato recipiam sententiam

Scio me, ô Domina indignum, qui ad cœlestia aspirem: scio, quòd offensam DEI mei incurri, & mille gehennas promerui: attamen scio te esse Matrem misericordiæ, & miserorum peccatorum refugium tutissimum.

Confido de tua bonitate, quòd à peccatorum meorum nexibus, me à Filio tuo absolvi antequam moriar, procurabis, & simul emigrantem è corpore animam meam, manibus tuis suscipies, eamq; Christo Domino veræ Luci, æterno lumine illustrandam præsentabis.

✠ O MARIA Virgo dulcissima, si quando pro necessitate aliqua ex corde ad te clamavi, certè pro extrema illa mortis necessitate, maximè & cordialiter tibi supplico, ut me tunc non derelinquas, sed præsentia visitationis tuæ me infirmum confortet, ab inimico protegat, & desolatum consoletur.

Iterum, ac millies, commendo tibi humiliter & affectuosè animam meam, ut in hora egressionis ejus à corpore, eam suscipias, & ab omni potestate & invasione dæmonum eripias.

Hæc est hora, ô Virgo Mater Sanctissima, cujus ad memoriam contabesco, sciens tam enormiter

ter me oculos Filii tui offendisse, ante quos comparere, non sine causa, formido.

Hæc est hora illa tremenda, pro qua toties ad te cum lacrymis suspiro, ut eam mihi bonam & felicem impetres & facias.

Hæc est hora, in qua piam, & benignam te mihi Matrem experturum me confido: & licet reus nimis sim, & peccator, meæ tamen in te confidentiæ fructum, tunc me percepturū non diffido.

Appare tunc mitis, & consolans me, ô dulcissima; dic animæ meæ, ego Mater sum misericordiæ, confide in me, ego te non derelinquam, sed rogabo pro te Filium meum.

O Quantùm solatium mihi tunc erit, si faciem tuam jucundissimam tunc videro, si consolationem sensero! quàm fortis fiam ad resistendum diabolo, quàm patiens inter dolores mortis, quàm resignatus ad omnem DEI voluntatem.

Sic, sic, Mater dilectissima, me conforta, sic me protege, sic me consolare & visita, ut fugiant à facie tua exterritæ diabolicæ potestates, ab infestatione sua desistentes, & ego cum amorosa respirans in te fiducia, svaviter obdormiam inter brachia tua beatus in pace.

✠ O Multùm desiderabilis MARIA Virgo, ne elongeris unquam à me, quoniam plurima hostium me premunt bella; noli tardare spes mea, quin statim succurras inter manus inimicorum penè deficienti. Quid enim sine te possum, aut faciam, in terribili præcipuè mortis articulo, si non adsis

ultrò

ultrò propitia, cùm ne invocare quidem te potero?

Nunquid non recordaberis mei tunc, ô Domina? quid fiet de me, Mater, si tunc avertas faciem tuam à me? & dicant inimici mei, comprehendamus & diripiamus eum; quia non est qui eripiat & adjuvet. Quid agam miser, si tunc non inveniam in tua pietate refugium.

Veni Domina, ostende mihi tunc desiderabilem faciem tuam, & porrige manum periclitanti, extrahens me de profundis tam vehementium aquarum, ne obijciant hostes tuæ misericordiæ invidi, ubi est ejus Domina, de cujus clementia confidebat?

Veni dulcissima, festina in adjutorium meum, antequam inimicus meus me rapiat, antequam me involvant tenebræ, antequam infernus me devoret.

O Quandiu, quandiu dicetur adhuc mihi: ubi est Domina tua, expecta, & reexpecta.

Quando apparebo ante faciem tuam, ô charissima, ubi simul & faciem tuam, & dulcem ventris tui fructum mihi ostendas? ad hoc aspirat cor meum, & anima mea, ô MARIA, assume me velociter ad te, & comple desiderium meum; fiat, fiat.

Adesto Virgo super omnes speciosa, adesto mihi in occasu vitæ meæ.

Velis, ô Cœlestis decor domûs DEI, velis simul cum dulcissimo Filio tuo, cor servi tui veniens exhilarare, & pro hora mortis firmare.

Gere,

Gere, ô Mater piissima, gere continuam curam mei, & ne obliviscaris officii piissimæ Matris, nunc & in hora mortis meæ.

Ora pro me, ut sim fidelis usq; ad mortem, & ut fidem meam Filio tuo dilectissimo conservem usquè in finem, ut de manu ipsius accipiam coronam vitæ.

Festina, ô Mater misericordiæ, veni, & fac, ut in occasu meo, oriatur mihi sol, non tam justitiæ, quàm misericordiæ.

Anima mea sit in manibus tuis, de quibus nemo potest eam rapere.

Potens es, etiam de portis inferni, potens es eripere me, & salvare me.

O Domina, tuis advolvor pedibus, oro adsis mihi in hora mortis meæ tuâ præsentiâ svavissimâ.

Serva me, tuere me nunc, & in extremo spiritu constitutum.

O Unica consolatio mea, defende me à tetris & horrendis dæmonum aspectibus.

Exurge, Domina piissima, exurge, & veni in adjutorium mihi, confundatur, & pereat inimicus meus à facie tua.

Suscipe miseram, ac desolatam animam meam, & deduc eam ad summi Judicis conspectum atquè de æterna beatitudine, certam redde & securam.

Actus isti ne tædium legenti afferant, in tres partes possunt partiri, juxta Signum ✠ Crucis.

Actus

Actus desiderii videndi Virginem Sanctissimam in Cœlis.

O Gloriosissima Dei-Genitrix Virgo MARIA, multùm quidem gaudeo de bonis tuis, & de gratia DEI, quam habuisti in terris: sed multò magis desidero gaudere de tua gloria ineffabili, quam habes in cœlis.

O Quantùm desidero videre vultum tuum, speciosissima Virgo! assume me velociter ad te, & comple desiderium meum.

Da mihi gratiam tuam, ut semper de te gaudeam, & post illud exilium te contempler in gloria.

O Svavissima Virgo, trahe me post te, ut curram in odorem ungventi tui pretiosi. Nardus enim tua dedit odorem svavissimum, & ideò Rex regum exaltavit te, & introduxit te ad solium gloriæ tuæ, ubi super omnes choros Angelorum exaltatam te videre, & inde æternis gaudiis perfundi cupio.

Quemadmodum desiderat cæcus lumen, ita, immò plùs, ô clarissima Stella maris! oculi mentis meæ gestiunt te videre: & libenter eligerent privari visu omnium, quæ sunt sub sole, ut te tantummodò, in quam desiderant omnes creaturæ aspicere, cernere valeant.

O MARIA pulchra ut Luna, electa ut Sol, cujus pulchritudinem sol & luna mirantur, fac me videre hanc pulchritudinem tuam, & ob eam adorare, & laudare Divinam Majestatem in æternum.

Fac, ut in aspectu rutilantis vultus tui, replea-

tur gaudio cor meum, & lingva mea perpetua jubilatione.

Fac, ut exultem æterna per ſæcula de tua gloria, & de mellifluæ faciei tuæ ſempiterna viſione.

Concupiſcit, & deficit virtus animæ meæ ad contemplandam ſpeciem, & gloriā tuam in cœlis.

Suſpiro multùm de tam longa tui abſentia: deſidero multùm ad te venire,& exhilarari de tua præſentia.

O Quando videbunt oculi mei te Dominam meam glorioſam, cœli terræq; Reginam?

O Quando adimplebitur deſiderium animæ meæ, in manifeſtatione gloriæ tuæ?

Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te clarè intuendum in cœlis, Dominam & Matrem meam dulciſſimam.

Sitivit anima mea, ad te DEI Matrem viventem & regnantem in cœlis: quando veniam, & videbo lucidiorem ſole faciem tuam?

O Quando rupto corporis mei vinculo, videbit te, & laudabit anima mea?

Utinam adjungar Angelorum Choris, & Beatorum omnium ſocietati laudantium te, ut medulla cordis mei, indefeſsè jubilet tibi Reginæ cœli!


O Mater & Mediatrix noſtra dulciſſima! admitte me aliquando ad ſempiternam tuam lætitiam, & deduc me in gaudia Filii tui, ubi DEO, Tibi, & Sanctis omnibus collætari valeam, & in æternum à veſtro conſortio, & conſpectu nunquam ſeparari.

Aſpice

Aſpice inter cæteros, me peccatorem famulum tuum, & favore tuo tam in vita, quàm in morte, me dirigens ad ineffabilem gloriam tuam contemplandam, admirandam, & laudandam tandem me perducito.

O glorioſa Domina & ſpes noſtra, ſicut mundus per manus tuas recepit Salvatorem; ita in manibus tuis ſpero me viſurum Dominum meum JESUM Chriſtum. Ita noctu oranti Beato Franciſco in ſinu depoſuiſti, ô Virgo Mater, parvulum Filium tuum, eumquè illi per noctem totam ad delicias cordis ejus reliquiſti.

Verùm ego non ſum dignus tanto favore tuo; ſufficiet mihi ut videam, laudem, & amem in cœlo dulciſſimum Filium tuum, & te dilectiſſimam Matrem ejus in æternum.



ACTUS
Diverſis temporibus
A viris ſpiritualibus exercendi.

N*Octu evigilando identidem in corde dicendum:* Miſerere mei DEUS ſecundũ magnam miſericordiam tuam: quamvis minor ſim miſerationibus tuis.

Miſerere mei DEUS, ſicut potes, ſcis & vis.

DEUS propitius eſto mihi peccatori.

O DEUS meus & omnia.

O Beata Trinitas DEUS meus in te credo &

ſpero: te adoro & laudo: te amo ſuper omnia; & ex amore tui de omnibus peccatis doleo: te ampliùs offendere nolo: veniam, emendationem, vitamq; æternam à te ſpero: & me totum ad omnia quævis, offero.

JESUS, MARIA, ſis mihi JESUS & MARIA.

JESUS, MARIA, JOSEPH, Angeli, Sanctiq; omnes, ſint nobiſcum ſemper.

Surgendo ex lecto. DEUS DEUS meus ad te de luce vigilo. In matutinis meditabor in te: quia fuiſti adjutor meus: *Pſ.* 62.

Cor meum & caro mea exultaverunt in DEUM vivum: *Pſ:* 83.

Benedictio DEI Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, deſcendat ſuper me & maneat ſemper.

Clementiſſime Domine DEUS meus, benedicat nos tua Omnipotentia. Inſtruat & dirigat tua Sapientia. Inflammet tua Charitas. Stabiliat nos tua Trinitas. Intrahat & uniat nos tua dulcis Unitas.

Benedicta ſit Sancta & individua Trinitas: confitebimur ei; quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Sicut erat in principio *&c.*

✠ O DEUS meus, ſpes mea, amor meus, & omnia, ſis infinitè benedictus, infinities, ab omnibus, in omnibus, ſuper omnia, gratis, propter te, in æternum, & ultrà.

Gratias ago bonitati tuæ pro requie, quam mihi hac nocte concessisti, & me dormientem à subitanea morte, & ab aliis periculis mentis & corporis præservasti. Commendo tibi hodie animam & corpus meum : serva me, quæso, ab omni peccato: doce me facere voluntatem tuam: & in omnibus actionibus me dirige. Peto, Domine, & desidero, ut ex singulis actibus, verbis, cogitationibus, motibus, & respirationibus meis resultet laus nominis tui. Peto, ut omnes Spiritus beati, & omnes Sancti tui glorificent te pro me, omni temporis momento. Tibi enim debetur laus, gloria, honor, & benedictio in sæcula sæculorum, Amen.

JESUS, MARIA, sis mihi JESUS, MARIA.

JESUS, MARIA, vobis dono cor & animam meam.

JESUS, MARIA, quoties respiro toties ad vos suspiro, & suspirare volo.

Actus Oblationis manè faciendæ.

CLementissime Domine DEUS meus, Pater, Fili, & Spiritus Sancte, qui me propter temetipsum creasti, & cui ob plurimas & gravissimas causas mei totius tributum debeo, ob id ego nunc, quantâ vi, & affectu possum maximo, me ipsum totum, unâ cum dulcissimo JESU Christo, & Virgine Sanctissima, universis Spiritibus beatis, & Sanctis, qui in cœlo sunt, ac justis, qui ubiq; existunt, quos mihi per affectum ar-

ctissimè adstringo; & simul omnia verba, cogitationes & opera, immò omnes respirationes, & omnes cordis, corporis, & animi mei actus & motus, atq; cuncta momenta hujus diei, totiusquè vitæ meæ, uniendo hæc universa meritis & operibus JESU Christi Domini nostri, & dulcissimi Redemptoris mei, & Beatissimæ Virginis MARIÆ, svavissimæ Matris & Patronæ meæ, & omnium Beatorum Angelorum, & Sanctorum, atq; justorum, qui unquam fuerunt, sunt, vel erunt, ad maximam gloriam & honorem tuum dirigo & offero! & ex amore tui, & propter amorem, & honorem, ac beneplacitum, & gustum tuum, & ex intentione tendendi ad perfectionem cuncta dicere, cogitare & agere hac die, totoquè vitæ meæ decursu volo.

O si præter angustum hoc cor meum universa possiderem corda, quotquot tibi placuêrè ab æterno, & in æternum placitura sunt; & præter ea, quæ tu creasti, si infinita alia haberem corda, quæ & ab æterno fuissent, & in æternum perdurare deberent, quæ nihil aliud agerent, nisi te respicerent, cogitarent, laudarent, & amarent.

Protestor coram te, totaq; curia cœlesti, hanc esse mentem meam, hoc votum, & desiderium, in omnibus cogitationibus, verbis, & operibus meis, quinimò & in omnibus suspiriis, motibus, & respirationibus, hoc me singulariter velle, & intendere, ut omnem illam actuum & cordium tuæ Divinæ Majestati placentium multitudinem congregem,

gregem,

gregem, & te cum illis ſemper cognoſcam, laudem atq; diligam ſuper omnia: quod & modo facio, & poſt ſemper faciam; idq; puritate, quâ poſſum maximâ, ſine ullo præmii, vel pœnæ reſpectu, ſed propter Te ſummum Bonum meum: quandoquidem multis titulis hæc tibi debeo, ſed præcipuè ob hæc quatuor, illa tibi offero.

Primò in Holocauſtum, ad tuam Divinam Majeſtatem proteſtandam, & unionem cordis meî tecum ineundam.

Deinde in Hoſtiam pro peccatis expiandis.

Præterea in Hoſtiam laudis & gratiarum actionis, ad gratiam pro beneficiis univerſalibus & peculiaribus referendam.

Deniq; in Hoſtiam pacificam, pro bonis & donis omnibus, quibus egeo, uſq; ad beatitudinis adeptionem, impetrandis.

Præcipuè pro impetranda vera compunctione, peccatorum remiſſione, emendatione vitæ, ab omni peccato præſervatione, victoria tentationum, Chriſtiana perfectione, paſſionum mortificatione; præſertim NN. vitiorum extirpatione; maximè NN. virtutum acquiſitione, præcipuè NN. pro dono perſeverantiæ, & bona morte: pro lucrandis indulgentiis, quaſcunq; hodie lucrari poſſum: deniq; pro fidelibus defunctis; præſertim pro animabus NN.

Qui vult addat: Pro impetranda Eccleſiæ exaltatione, Hæreſum extirpatione, Concordia Principum Chriſtianorum, pro conſervatione ob-

ſervantiæ regularis in tota noſtra Religione, pro omnibus religioſis, ut omnes juxta ſuam vocationem ſanctè vivant & ſerviant tuæ Majeſtati, pro liberando hoc Regno à peſte, fame, & bello, pro benefactoribus noſtris, æterna retributione, pro afflictis, captivis, agonizantibus, pro omnium Infidelium, Hæreticorum, Schiſmaticorum, & peccatorum converſione, pro inimicis noſtris, pro omnibus, qui ſe commendaverunt & commendant orationibus meis, & pro quibus aliquando propoſui, & tu Domine DEUS meus, vis me orare.

Te itaquè ſvaviſſime Domine mi, per viſcera miſericordiæ tuæ ſupplex oro, digneris has omnes oblationes meas admittere, & me in omni cogitatione, locutione, & actione juxta tuum beneplacitum dirige, à ſpiritu immundo, & à quovis peccato, quantumvis minimo, liberare, & in me ac de me quidquid tuæ pietati placuerit, ſemper facere, eamq; mihi præſtare gratiam, ut nullam cordis mei partem, cum quacunq; re creata commutem, ſed totus, quantus quantus ſum, uni tibi Creatori, DEO, Domino, ac ſummo Bono meo jugiter adhæream.

O Domine effice me hominem ſecundum cor tuum; quod ut fiat, tu hodie, ac ſemper in me opera mea omnia operare: tu in me cogita, tu loquere, tu age: tuis meritis opera mea conjunge.

Suſcipe, Domine, univerſam meam libertatem; accipe memoriam, intellectum atq; voluntatem omnem. Quidquid habeo vel poſſideo, mihi largitus

gitus es, id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati gubernandum trado. Amorem tui solùm cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis: nec aliud quidquam ultrà posco.

O DEUS, castorum corporum & incorruptarum animarum habitator! da ut nihil extra te diligam; ut te in sanctitate corporis, te in animæ puritate glorificem: amore te diligam, amore tibi serviam: Nam in te habeo omnia, quem amare appeto super omnia. Sic *S. Gertrudis.* DEUS meus concede mihi, ut in amore tuo permaneam usquè in finem. *Sic S. Aldegundis V.*

Actus Oblationis B. V. MARIÆ.

TIbi quoquè, ô Beatissima Virgo MARIA, cui meipsum totum post Filium tuum dulcissimum imprimis debeo, affectu quàm possum maximo, offero omnes cogitationes, verba, & opera mea, nec non multitudinem illam cordium ad honorem tuum, cum plena tibi placendi in illorum singulis voluntate & intentione, nullam ut propterea aliam mercedem velim, quàm ut purissimæ animæ tuæ sic aliquatenùs voluptatem adferam.

Obsecro te, Regina Serenissima, ut hodie mihi adesse & auxiliari digneris, ut tua intercessione diem hunc in magna vitæ puritate, qualis tua fuit, dum vixisti, traducere queam.

Fac, ut cor meum nihil hodie & semper cogitet, loquatur, operetur, quod non sit in hono-

rem

rem Divinæ Majestatis, atquè tuum, & proximi utilitatem. Doce nos, ut mente habitemus in cœlo, & ea, quæ in terris facimus, non faciamus negligenter.

℟. Impetra mihi, ô Domina dulcissima, charitatem veram, quâ dulcissimum & dilectissimum Filium tuum Dominum nostrum JESUM Christum toto corde diligam, & te post ipsum super omnia, & proximum in DEO, & propter DEUM: sic ut de bono ejus gaudeam, nullumq; contemnam, neq; temerariè judicem, neq; in corde meo me alicui præponam.

Fac etiam, ô Sanctissima Dei-genitrix Virgo, ut dulcissimi Filii tui timorem pariter & amorem semper in corde meo habeam; atq; me in tua & ejus dilectione viventem & morientem, in viam salvationis & salutis dirige.

Eodem tempore matutino optimum esset aliquod Pactum cum DEO facere, aut jam semel factum renovare secundum exemplum, quod habetur suprà pag: 240.

Simili modo posset aliquis eodem tempore seipsum B. Virgini in servum, aut filium offerre, cujus Oblationis, sunt Actus suprà pa: 319. vel Pactum cum eadem facere, aut renovare: ut pag: 273.

Actus commendationis nostri Virgini Sāctissimæ.

O Superpiissima Mater DEI & Virgo MARIA! ô nostra singularis Mater & Advocata, post DEUM potentissima, sapientissima &

ma & benigniſſima! nos & noſtros omnes ad te confugientes ſuſcipe in Maternam tuam cuſtodiam & directionem: adopta in filios tibi devotiſſimos: purga & præſerva ab omnibus vitiis, exorna tua humilitate, caſtitate, charitate, obedientia, cæteriſquè virtutibus: impetra omnium neceſſariorum bonorum conceſſionem, & malorum liberationem ac præſervationem: & da nobis hunc diem, & reſiduum vitæ noſtræ ſub honore tuo dignè trãſigere.

Ora etiam pro infirmis, agonizantibus, captivis, tentatis, afflictis, novitiis, & animabus purgandis. Et hanc domum tuam, univerſumq; Ordinem noſtrum, Eccleſiam & Regnum, in omnibus tam interioribus, quàm exterioribus, ſic conſerva, rege & guberna, ut cultus DEI & tuus animarumq; ſalus, hîc ſemper vigeat & creſcat.

Deniquè fac, ut per Filii tui paſſionem & mortem, tuamq; interceſſionem & merita, perfectè ab omni culpa & pœna hîc purgemur, in tuo ſervitio & cultu ſemper proficiamus, & uſquè in finem perſeveremus, & ſtatim poſt mortem ad æternam DEI fruitionem tecum perducamur. Quod ut fiat, ecce Virgineo cordi tuo piiſſimo commendamus omnia noſtra exercitia, verba, vota, paſſiones & opera, ut ea tuis adjungas, ſuppleas, offeras, optatamquè gratiam nobis referas: & ad cor Domini JESU dilecti Filii tui nunc & ſemper, & maximè in hora mortis noſtræ nos introducas.

Actus commendationis B. Virgini, & simul S. Joanni Evangelistæ.

O Intemerata, & in æternum benedicta, singularis atquè incomparabilis Virgo Deigenitrix MARIA, gratissimum DEI templum, Spiritus Sancti Sacrarium, Janua Regni cœlorum, per quam post DEUM totus vivit Orbis terrarum: Inclina Mater misericordiæ aures tuæ bonitatis indignis supplicationibus meis, & esto mihi miserrimo peccatori pia & propitia in omnibus auxiliatrix.

O Joannes beatissime, Christi familiaris & amice, qui ab eodem Domino nostro JESU Christo Virgo es electus, & inter cæteros magis dilectus, atq; in mysteriis cœlestibus ultrà omnes imbutus; Apostolus enim & Evangelista factus es præclarissimus: te etiam invoco cum MARIA Matre ejusdem Domini nostri JESU Christi Salvatoris, ut mihi opem tuam cum ipsa conferre digneris.

O Duæ gemmæ cœlestes, MARIA & Joannes! ô duo luminaria divinitùs ante DEUM lucentia! vestris radiis scelerum meorum effugate nubila. Vos enim estis illi duo, in quibus Unigenitus DEI Filius, ob sincerissimæ Virginitatis meritum, dilectionis suæ confirmavit privilegium in cruce pendens uni vestrum ita dicens; Mulier ecce Filius tuus: deinde ad alium; Ecce Mater tua.

In hujus ergo tam sacratissimi amoris dulcedine, quâ tunc ore Dominico velut mater & filius ad invicem conjuncti estis, vobis duobus ego mi-

ſerrimus peccator commendo hodie corpus & animam meam: ut in omnibus horis atq; momentis, interiùs atq; exteriùs firmi cuſtodes, & pii apud DEUM interceſſores mihi exiſtere dignemini. Poſcite mihi, quæſo, corporis & animæ ſalutem.

Agite, quæſo, agite veſtris glorioſis precibus, ut cor meum inviſere & inhabitare dignetur Spiritus almus, gratiarum largitor optimus, qui me à cunctis vitiorum ſordibus expurget; virtutibus ſacris illuſtret, & exornet, in dilectione DEI & proximi mei perfectè ſtare & perſeverare me faciat, & poſt hujus vitæ curſum ad gaudia ducat Electorum ſuorum benigniſſimus Paraclitus. Qui cum DEO Patre, & Filio vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Hac commendatione ſui quotidie utebatur S. Edmundus Epiſcopus, qui à B. Joanne admonitus fuit, ne illam unquam omitteret.

Eadem quotidie utens, vir quidam nobilis defenſus eſt contra dæmonem, qui ei famuli ſpecie à ſervitiis fuit.

Et S. Mechtildis ita ſæpiùs ad Chriſtum oravit.

Commenda me Domine Matri tuæ, ſicut dilectum tuum Joannem ei, & eam Joanni commendaſti.

Eadem Divinum amorem à Sancto Joanne petiit dicens:

Per illud munus, ô S. mi Joannes, quod DEO obtuliſti; cùm ejus Genitricis pio amore omnibus

charis carere voluisti; rogo, ut impetres mihi, omne charum pro Christi amore respuere, ut ipsum toto corde valeam diligere.

Actus commendationis S. JOSEPH præcipuo nostro Patrono.

O Sancte JOSEPH Virginis Matris DEI Sponse purissime, periclitantium, & agonizantium, atquè omnium B. MARIÆ Virgini Sponsæ tuæ, tibiq; devotorum servorum Patrone, Advocate, & Protector fidelissime, ego N. peccator licet vilissimus & indignissimus, omnem tamen spem meam & fiduciam in te, post DEUM & Sanctissimam Virginem Sponsam tuã, collocans, Te hodie in Patronum & Advocatum meum pro felici morte, & pro perfectione ac sanctitate vitæ consequenda, eligo, & propono, firmiterq; statuo, me nunquam contrarium honori tuo aliquid dicturum vel facturum; immò juxta meam possibilitatem, erga te devotionem inter fideles propagaturum, laudesquè tuas, quibus potero modis, enarraturum.

Obsecro, igitur, & obtestor te, per illum amorem & submissionem, quam tibi dulcissimus JESUS Filius DEI uti Nutritio suo, & Patri putativo, ac B. V. MARIA tanquam Sponso suo dilecto exhibuit: specialiter verò per illam consolationem animæ tuæ, & lætitiam cordis tui, quam in egressu animæ tuæ de corpore percepisti, dum tibi morienti assistentem JESUM & MARIAM habuisti;

habuisti; suscipe me in servum perpetuum; adsis mihi semper in omnibus necessitatibus meis tàm spiritualibus quàm corporalibus: defende me ab omnibus hostibus visibilibus & invisibilibus. Præcipuè verò in agone meo, tuum patrocinium afflicta anima mea experiatur, adsis illi Patronus in hac extrema necessitate, effice tuis sanctissimis precibus apud JESUM & MARIAM, quatenùs me tunc sua præsentia dignentur consolari, mihiquè morienti assistere: ut sic per bonam & sanctã mortem ad felicem æternitatem transire valeam, ibi tecum simul beatè victurus.

Actus commendationis Angelis Sanctis.

AVe per svavissimum cor Domini JESU, singulari affectu, Angele mi custos pietate superna mihi peculiariter deputate: avete & vos omnes Angeli Sancti, quibus humiliter gratias ago pro vestra fideli custodia & benignitate: & obsecro vos, ut me propter multiplicem meam irreverentiam, inobedientiam, negligentiam, ingratitudinem & alios defectus non deseratis; sed his omnibus vestra intercessione deletis, assistite mihi, ut dignè ambulem in vocatione mea.

Et quoniam nimis sum infirmus, ignarus, tepidus, instabilis, & ad omne malum proclivis; hostibusquè fortissimis, astutissimis, & crudelissimis undiquè circumdatus, & in maximis semper periculis constitutus: custodite me, quæso, in omnibus viis meis; in manibus vestris me portate, &

ab

ab hostium omnium insidiis & impugnationibus protegite & liberate: in omnibus operibus & studiis meis me excitate, dirigite, adjuvate, & perficite: ac omnia opera mea DEO offerte: mihiquè, & omnibus pro quibus teneor & intendo orare, optatam gratiam referte: atquè in hora mortis me protegite, consolamini, suscipite, & ad Regnum gloriæ vobiscum perducite.

Actus commendationis S. Matri nostræ Teresiæ.

AVe per Cor dulcissimum Domini JESU, ô S. Virgo Teresia, gaudeo de tua gloria, & gratias tecum ago Domino DEO pro omnibus bonis tibi collatis; tibiquè, in augmentũ gaudii & gloriæ tuæ, offero idem Cor dilectissimi ejusdem JESU, qui te in Sponsam sibi amabilissimam elegit. Obsecro te, per amorem JESU, quo flagras, impetra mihi licet indigno filio tuo duplicem tuum spiritum: spiritum, scilicet, Seraphicæ charitatis, & unionis cum DEO; spiritum quoq; contemplationis & devotionis: impetra omnes virtutes, quibus tu Divinæ Majestati placuisti, præsertim ardens desiderium & continuum studium acquirendæ perfectionis: quatenùs castris tuis insertus, tuisq; vestigiis inhærens, promissa tandem diligentibus DEUM præmia tecum consequi merear. Oro etiam, ut in fine vitæ meæ, tu Mater piissima, Patrona, & Advocata mea, me infidelem clientem & servum tuum, ab insidiis inimici defendere

fendere digneris, tantamquè contritionem & fontem lacrymarum mihi obtinere, ut peccatorum vinculis absolutus, subitò valeam DEUM finè fine laudare, & cum ipso in æternum lætari. Quod ipse præstare dignetur, intercedentibus sanctis meritis tuis, qui in Trinitate perfecta vivit, & regnat in sæcula sæculorum.

Actus gratiarum actionis pro donis omnibus Sanctis collatis.

BEnedico te, amantissime JESU, DEUS meus, pro omnibus gratiis ac donis, quæ Sanctis tuis in hac vita mortali olim, & nunc in gloria tecum constitutis contulisti: præcipuè verò his, quorum hodie est Festivitas in cœlis, aut in Ecclesia memoria in terris: & potissimùm Ordinis nostri Sanctis & Patronis meis NN. Horum omnium orationes & merita tibi pro me offero, & per illos me tibi nunc in Cor tuum piissimum commendo, & per intercessionem ac merita horum Sanctorum obsecro, ut ego virtutes eorū, illis devotus existens, semper imitari studeam, eorumq; in omnibus, sed præcipuè in hora obitus mei auxilium sentiam, Amen.

Una sociarum S. Ursula quemdam Carthusianum docuit sic orare quotidie: B. Virginem: & S. Ursulam ac socias ejus. De quo Marches. Diarij 21. Octobris.

O Virgo Regina Virginum, summum Trinitatis Sacrarium, Angelorum speculum, scala Sancto-

rum omnium, tutum peccatorum refugium, cerne, ô pia, nostrum periculum: in morte tuum placatum ostende Filium: & tuum vultum gloriosum atquè rutilum.

Orate pro me, beatissimæ Virgines & Martyres, ut adversum me non prævaleant hostes terribiles.

Omnipotens æterne DEUS, qui nos idoneos fecisti ad Majestatem tuam exorandam, fac Sanctas Virgines & Martyres tuas, Ursulam & socias ejus pro nostris intervenire peccatis, quarum meritis nobis indulgentiam largiaris.

Sancta quoq; M. Magdalena, B. Mechtildē monuit: Omnis, inquit, *qui DEO gratias agit pro lacrymis, quas ad pedes Domini JESU fudi; & pro amore, quo tunc me totam replevit; orans ut lacrymas veræ pœnitentiæ obtineat, & divinum amorem sibi infundat; quod meritis meis obtinebit, ita, ut ante mortem Dominus ei peccata sua dimittat, & in DEI amore proficere faciat; & ideò sic orabit..*

Gratias tibi ago, liberalissime misericordiarum Pater pro lacrymis, quas è corde & oculis S. M. Magdalenæ, vi amoris tui elicuisti, quas illa ad pedes Christi Filii tui uberrimas effudit: gratias tibi ago pro amore, quem tunc animæ & cordi illius infudisti, & illam totam replevisti, ex quo amore ejusdem Christi Domini nostri pedes lavit, & crinibus tersit: Rogo te per omnem illam misericordiam tuam, per JESUM Christum unigenitum Filium tuum, per B. Magdalenæ amorem

ac lacrymas, ut des cordi meo veras pœnitentiæ lacrymas, omnia peccata mea mihi dimittas, & amorem tuum infundas frigido huic pectori meo, te deinceps, usquè ad mortem semper ampliùs atquè perfectiùs amare optanti, Amen.

Bonum est præterea nos commendare B. Barbaræ V.M. & per ejus merita mortem felicem à DEO postulare.

Hymnus ad S. Barbaram.

AVe Martyr gloriosa, Barbaraq; generosa,
Paradisi vernans Rosa, Castitatis Lilium.
Ave Virgo pulchra tota, Charitatis fonte lota
Dulcis, mitis & devota, Vas virtutũ omniũ.
Ave criminis ignara, Sponsũ audis voce clara,
Veni pulchra, veni chara, Veni coronaberis!
Ave Barbara serena, Pulchra quasi luna plena
Singulari cantilenâ, Sponsum Agnũ sequeris.
Ave Barbara beata, Quæ cum Sponso præparata
Nuptiarum ad optata, Transivisti gaudia.
Ave fulgens margarita, In corona JESU sita,
Tam in morte quàm in vita, Sis nobis propitia.

Specie tua, & pulchritudine tua
Intende, prosperè procede, & regna.

Oratio.

OStende nobis, quæsumus, Domine, tuæ pietatis misericordiam, quam in Sancta Virgine & Martyre tua Barbara, piè & misericorditer ostendisti, ut ipsius meritis & precibus, à subitanea & improvisa morte liberemur,

& ante diem & horam exitûs nostri, Pœnitentiæ, tuiq; Sacratissimi Corporis & Sangvinis, sacræquè Unctionis Sacramentis, salubriter perfruamur, eaquè intercedente, ab omnium hostium incursu protegamur, & ad te pia devotione & lætitia perducamur. Per Christum Dominum nostrum, Amē.

Multùm sollicíti esse debemus, ut illis Sanctis, quorum nomina, vel in Baptismo, vel in Religione nobis sunt imposita, vel qui sorte quolibet Mense nobis obvenerunt, vel quos ex nostra devotione in nostros Patronos eligimus, nos frequenter & ferventer commendemus, illorum auxilia in necessitatibus nostris imploremus, in virtutibus & in via perfectionis insignes progressus per eorum merita â DEO petamus; certissimè persvasum habentes, quod pro nobis, invocati à nobis, fideliter orabunt: prout S. Mechtildis, dum Litaniæ de OO. SS. recitarentur, vidit B. Virginem, & omnes Sanctos, qui ibi nominabantur, flexis genibus pro hominibus orare. Lib: 4, cap: 4. Spirit: grat:

Nullus *miretur formas Oblationum seu Directionum hìc longiores paulô positas, quàm sint in Instr:* Novit *datæ: quia ibi, exempli causâ, data est norma, quam licet unicuiq; dilatare secundum suum placitum, devotionem, & necessitatem. Unde quomodo id fieri posset, idq; cum uberrimo animæ nostræ fructu, hìc ostenditur.*

Quod si alicui magis arridet forma brevior Oblationum & Directionum, utatur illâ brevissimâ,

vissimâ, quæ est sup: p. 340. à Signo ✠ Crucis. O DEUS meus, spes mea, &c.

Vel etiam illâ, quæ habetur in Instruct: Novit: quæ est hujusmodi.

Clementissime DEUS, cui me totum ex multis capitibus debeo, meipsum totum cogitationes, verba, & opera totius vitæ, sed hodierna die peculiariter unâ cum JESU Christo Domino nostro, Beatissima Virgine, universis Spiritibus Beatis, & Sanctis, qui in cœlo, ac Justis, qui ubiq; existunt, quos omnes mihi arctissimè per affectum adstringo, dirigo ad gloriam Majestatis tuæ, tibiq; sine intuitu alio, per illa omnia placere impensissimè cupio, ac opto ultra ea, quæ recensui, innumera millia perfectissimorum cordium, quæ simul cum eis ab æterno tibi placuissent, & placitura in æternum essent, possidere; omniaquê hoc desiderio intra me concepta, tibi ad singulos halitus offero: in Hostiam pro peccatis expiandis; in Hostiam gratiarum actionis, ad gratiam pro beneficiis universalibus & peculiaribus referendam; in Hostiam pacificam pro bonis omnibus, quibus egeo, usquè ad beatitudinis adeptionem impetrandis; in Holocaustum ad unionem mei cordis tecum ineundam, & Divinam Majestatem tuam protestandam.

O Beatissima Virgo, ego me totum, & cogitationes, verba, & opera vitæ totius, sed hodierna die peculiariter, & universa corda illa, quæ recensui (quoad licet) quàm latissimè possum, in laudem tuam dirigo, & tibi per omnia illa placere summoperè cupio.

 Ad

Ad Sanctos Patronos.

O Sancti Patroni mei speciales, Joseph, Michaël, Teresia, N.N. ô Sancti hujus diei: ô vos omnes ac singuli Sancti, & Sanctæ DEI cum DEO jam regnantes: ex affectu omnium vobis devotorum, per svavissimum cor JESU Christi Domini nostri, vos saluto & laudo, vobisq; congratulor, & vobiscum DEO gratias ago pro omnibus bonis vobis, & per vos nobis collatis & conferendis: obsecrans vos per charitatem, quâ DEUS vos creavit, vocavit, justificavit, & glorificavit, ut me dignemini adscribere inter vobis devotos, purgare, illuminare, dirigere, accendere, perficere, protegere, & in hora mortis mihi assistere. Impetrate etiam mihi hoc N. & hoc N. Ipsum obitum meum attentiùs vobis commendo. Benignè me tunc consolamini, consortate & protegite. Efficite vestris precibus & meritis, ut anima mea munda tota hinc exeat, & ad vitam perveniat æternam.

Vel breviùs. Sanctorum tuorum Patronorum nostrorum, quæsumus Domine, meritis adjuvemur, ut, quod possibilitas nostra non obtinet, eorum nobis intercessione donetur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Actus pro cunctis operibus nostris cum fructu animarũ nostrarũ insigni semper expediendis.

P*Ræmittitur hæc de re doctrina.* Præcipuum hoc munus est viri spiritualis, curare, ut tem-

pus

pus cujuslibet diei atquè horæ, benè & cum fructu & merito animae suæ, quantùm fieri potest, maximo, expendat. Nam tempus hujus vitæ nobis à DEO concessum, valdè pretiosum est: *de quo sic B. Laurentius, Justin: ait: lib: de vita solit: c.* 10. Quid, inquit, pretiosiùs tempore? Quid, quæso, illo fructuosius? Quid carius? Quid excellentius? Quidve amabilius? Sed, proh dolor! penè ab omnibus nihil habetur vilius, nihil tractatur inutilius, nihil indignius possidetur. Nullū temporis momentum præterit, in quo merita non valeant cumulari æterna. Cætera, quæ habemus in mundo, à nobis aliena sunt, tempus autem propriè nostrum est, si tamen illo utimur ad salutem. Illud siquidem divina nobis clementia contulit ad plangendum errata, ad pœnitentiam faciendam, ad promerendam indulgentiam, ad virtutes acquirendas, ad multiplicanda merita, ad vendicandam gratiam, ad inferni supplicia evadenda, & ad æternam gloriam consequendam. *Sic ille.* Ex quibus verbis patet, quàm magni æstimandum est præsens vitæ nostræ tempus. Unde nihil nos poterit magis affligere moribundos, quam temporis jactura, scientes tot optimas horas, tot dies opportunissimos, tot hebdomades ac menses, tot ipsos etiam annos tam otiosè nos consumpsisse. Immò & ipsi damnati nil adeò acerbè in gehenna deplorant, quâm vitæ tempus inter flagitia perditum: quemadmodum unus è damnatis cuidam Religioso oranti enarravit; ut refert Petrus Reginaldus.

Propterea *Sancti è cœlo S. Mechtildi dicebant:* Eja, quàm felices eſtis vos, qui adhuc vivitis in terris, & quàm multa promereri poteſtis: quia ſi homo ſciret, quanta una die promereri poſſet, mox atq; à ſomno evigilaret, tanto gaudio cor ejus dilataretur pro eo, quod dies illa eluxiſſet, in qua DEO vivere, & ex DEI gratia ſuum meritum ad DEI laudem augere poſſet, ut tota die ad omnia, quæ agere, aut pati deberet, alacrior & fortior videretur.

Itaq; dum tempus habemus operemur bonum: id eſt, opera bona ſemper faciamus. Sunt autem *tria operum noſtrorum genera: Bona, Mala & Media. Bona opera dicuntur*, omnes actus virtutum, quæ ex natura ſua ſunt bonæ: ut mortificatio paſſionum, obedientia, oratio, & hujuſmodi alia. *Mala opera ſunt*, omnia gravia peccata, quæ ſunt contra DEI mandata: ut furtum, homicidium & ſimilia. *Mala etiam & illa opera dicuntur*, quæ ſunt præter divina mandata; ut ſunt venialia peccata: quæ ut ægritudines animæ ad mortem ſpiritualem, eam diſponunt. *Media ſunt*, quæ ſecundum voluntatem operantis bona vel mala fieri poſſunt: ut uſus cibi, potûs, divitiarum: & ejuſmodi aliorum.

Mala opera, ſeu peccata mortalia, etiam venialia, ſemper fugienda ſunt viro ſpirituali: hæc enim opera nō ſunt vitæ ſpiritualis, ſed ſunt actiones vitæ carnalis. Quod ſi aliquando viri ſpirituales & juſti in venialia labuntur peccata, id non

faciunt

faciunt prout ſunt juſti, ſed ſicut homines infirmi & imbecilles, propter naturam per peccatum Adæ corruptam: tamen hæc peccata ad vitam ſpiritualem non pertinent; immò ipſi multùm nocent: quia robur ejus labefactant, fervorem minuunt, & ad interitum diſponunt.

Sola bona opera, quæ ſunt actus alicujus virtutis, à viris ſpiritualibus exercenda ſunt: quia hæc propriè ad vitam ſpiritualem ſpectant.

Media etiam opera, ut deambulare, dormire, comedere, bibere, recreatione uti *&c.* licitè exerceri poterunt, propoſito fine virtutis bono, qui eſt honeſtas, quæ eſt in quolibet opere virtutis: vel referendo illa in DEUM, ut ei per ipſa placeamus, & ad ipſius honorem illis utamur. Nam tunc erunt opera bona, & ad vitam ſpiritualem pertinebunt.

Debent igitur viri ſpirituales ſemper operari bonum: ſeu prædicta opera bona facere; & dare operam, ut ſint cum eximio & multiplici fructu & merito ipſorum. *Ad quod requiritur.*

I. *Prævia deliberatio*, & electio agendorum, per quam actio noſtra bona fit magis voluntaria & meritoria: & tales qui ſcienter, ex advertentia voluntaria, propoſito, & delectu aliquid boni operantur, prudenter & rectè operari dicuntur; qui etiam in Sacra Scriptura, ſervi prudentes & fideles, & viri ſecundum cor DEI vocantur. Ideò, qui vult ut ei benè ſuccedant opera ipſius, ſingulis diebus mané, vel pridie veſperi prævideat agenda,

&

& quo fine, quo ordine, quo tempore, quo modo, qua cum diligentia & fervore est aliquid faciendum, & qui defectus vitandi sunt in actionibus suis. Nam sic agere, est hominis rationalis, prudentis, christiani, præcipuè Religiosi, & spiritualis, atquè in meritis singulariter crescentis. Sit autem regula actionum nostrarum. Voluntas DEI, illaquè tantùm agere velimus, quæ DEUS vult, & quia DEUS vult.

II. *Requiritur*, *ut homo* aliquid boni faciens *careat gravi peccato*, sitq; DEO charus, hoc est, in gratia DEI & charitate existens, sine qua nihil DEO placet, nec ad meritum aliquid prodest. Et ideò bonum est, cuilibet actioni majoris momenti Contritionis actum præmittere.

III. *Requiritur Intentio recta*, ut omnia opera nostra fiant propter bonum finem. Est autē finis bonus, dum fit aliquid, vel ob honestatem, quæ est in quolibet actu virtutis: vel propter DEUM: quod tripliciter fieri potest, secundū S. Basilium. Tum ob metum pœnarum DEI; tum ob æternam DEI retributionem: tum ex amore DEI, ob ejus gloriam & honorem, & ut ei placeamus, gustumq; demus, atq; voluntatem ipsius impleamus, sine ullo ad nostrum commodum etiam spirituale respectu, & absq; ulla spe mercedis. Primus finis est servorum: secundus est mercenariorum: tertius filiorum. Et quamvis non peccent, qui faciunt aliquid propter metum, vel mercedem; tamen non est hic finis illorum altissimus, qualem

requirit *Apost:* 1. *Cor:* 10. ab omnibus Christianis, dicens: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid facitis, omnia in gloriam* DEI *facite.* Laudabiliter verò & cum insigni meritorum nostrorum augmento possumus plures variosq; fines compatibiles statuere actionibus nostris. Unde possumus velle aliquid agere, ut laudemus & honoremus DEUM, & simul Virginem Sanctissimã, omnes Angelos & Sanctos: ut imitemur eos: ut nos & omnes homines in holocaustum offeramus DEO: ut gratias agamus ei: ut satisfaciamus pro peccatis nostris & alienis: ut mereamur, utquè tam spiritualia quàm temporalia bona nobis & aliis impetremus.

IV. *Requiritur Ordo,* qui multùm spiritualibus viris, & omnibus perfectionem amantibus & quærentibus, commendatur, ut illum semper in suis actionibus teneant; sine quo nihil benè peragere, nec perfectionem adipisci, nequè Domino DEO placere, neq; multùm mereri, nec vitam sine tædio, & svaviter, ac fructuosè ducere queunt. Igitur, qui hæc mala vitare vult, servare ordinem & actionum & temporum conetur: ut, videlicet, eum ordinem actionum suarum custodiat, quem ipsi Lex divina aut humana, prout fit in Religione qualibet, statuit: atq; omninò omnes suas actiones tam ordinarias, seu sui status communes: quàm singulares ad arbitrium suum propositas, tempore & horâ constitutâ peragat: ita ut uniuscujusq; vita, dici possit Ordinis vita, cùm

in ea secundùm rectum ordinem omnia fiant; quem tamen aliquando ob urgentem necessitatem, proximi charitatem, & obedientiam, intermittere licet.

V. *Requiritur Modus operandi bonus*, ut omnia opera nostra bené fiant: hoc est, eo modo, quem vel Ecclesia, vel Religio, vel laudabilis consvetudo, vel recta ratio, & Prudentiæ virtus præscribit: *v.g.* ut Officium Divinum recitetur, Sacrum celebretur, Oratio, Examen conscientiæ, & alia, eo modo, & cum illis circumstantiis, vel Ceremoniis expediantur, prout sunt præscriptæ; atquè cum DEI præsentia.

Præmittendo imprimis unicuiquè actioni directionem, juxta formas in Discipl: Claust: datas, vel hìc inferiùs positas.

Deinde applicando seriò mentem & memoriam ad illa, quæ facimus, vel dicimus. Nam sæpè dum mente, vel ore proferimus hæc, & similia: Amo te DEUS meus. Doleo quòd te summum Bonum offenderim. Volo esse obediens, humilis, mansvetus: vivacem & formalem apprehensionem sensuum verborum istorum non habemus; & ideò nullum fructum & præmium ex his percipimus.

Præterea fugiendo festinationem: nam unicuiq; persvasum sit: meliorem esse Orationem Dominicam semel debitè dictam, quàm centies prolatam celeriter & indebitè. Quemadmodûm & unum Opus, vel Propositum factum deliberatè, attentè, serventer, devotè, heroicè, humiliter, resignatê, constan-

constanter, plùs apud DEUM valet, plùs illi placet, plùs meretur gratiæ & gloriæ, quàm centum alia Proposita & Opera dissimili modo facta.

Insuper cum ea diligentia cuncta facienda, ac si quælibet actio ultima foret; sicut Christus Dominus S. M. Magdalenæ de Pazzis, id commendavit: Imaginare, inquit, omnia opera & verba tua fore ultima.

Cavendo occurrentia tunc negotia, quæ Diabolus sæpè in memoriam revocat, ut mentem distrahat.

Procurando, ut opera nostra sint operibus Christi, & B. Virg: & Sanctorum conformia.

Deniq; uniendo omnia opera nostra operibus & meritis JESU Christi Domini nostri, B. Virg: & omnium Sanctorum.

Insuper offerendo ad Gloriam DEI omnia, quæ in qualibet actione reperiuntur: ut in Officio Divino omnia verba, syllabas, literas, sensum verborum, interpretationes illorum, omnes cogitationes, respirationes, cunctos actus, & motus animi & corporis, & volendo, ut hæc omnia & singula sint ipsimet actus intensissimi Fidei, Spei, Charitatis, Humilitatis, Obedientiæ, Pœnitentiæ *&c.* ita ut per unum opus, & actionem nostram plures virtutes exerceamus; quia hoc modo, tot merita lucramur, quot virtutes intendimus.

Possunt & alio modo in una actione variæ virtutes exerceri: videlicet ex motivo illarum aliquid faciendo: præcipuè verò curandum est, ut

omnia

omnia nostra fiant ex Charitate, & propter Charitatem DEI.

VI. *Requiritur Fervor*, qui quò fuerit intensior, eò actio nostra DEO gratior, & retributio ipsius erit major: Ideò melior est unus actus intensus, quàm mille remissi, qui fiunt ex tepida voluntate, cujus tepiditas, affert nobis tædium & molestiam in operando, & postea, præsertim in articulo mortis, conscientiæ remorsum : jam verò è contrà, prompta & fervens voluntas minuit labores nostros, fatigatos recreat, laborantes exhilarat, & ad ulteriores labores alacriores reddit. *Hic fervor aliquando est sensibilis*, quem homo sentit tanquam æstum quendam in se, vel in corde, vel in pectore, vel in capite: & talis fervor est parvi faciendus. *Aliquando est spiritualis*, qui fit in animo, in intellectu & voluntate: & nihil est aliud nisi Alacritas, Vigilantia atq; seria Applicatio mentis ad aliquid operandum; quæ alacritas & diligentia dum crescit inter operandum in nobis, dicitur fervor intensus, qui nascitur ex appretiatione & æstimatione operis, & finis, propter quem fit operatio: videlicet, DEI virtutis, animæ salutis, œternæ gloriæ. Hic fervor dat omnibus virtutibus vitam, & pretium actionibus nostris, atq; augmentum meritorum immensum affert spiritualibus viris. Hic fervor fit sine ulla fatigatione nostra, solo tantummodò voluntatis imperio, conatu, & intentione exercetur. Sufficit enim si voluntas nostra imperet sibi: Volo, ut quotquot nunc

passus

passus ambulando fecero (si contingat aliquem aliquò ire, vel deambulare) tot elicere actus charitatis, quo appretio, æstimo & præfero DEUM meum super omnia: ita ut secundo passu sit duplo, triplo, decuplo, centuplo & millies, millies, millies, intensior & ferventior actus meæ charitatis erga DEUM, quo magis appretiem, æstimem, & superexaltem super omnia DEUM meum: & tunc in ultimo passu intensissimus debet esse actus charitatis, secundum proportionem à voluntate determinatam & intentam. Nam tota hæc intensio charitatis pendet ab intentione & determinatione nostræ voluntatis. Et ideò quando voluntas nostra in primo passu intendit DEUM tantùm amare, verè illum tantùm amat: & si in secundo passu, & tertio; & in omnibus, intendit illum decuplò, vel centuplò amare, eò quod sit dignissimus infinities majori amore, etiam illum juxta hanc determinationem & intentionem suam decuplò, vel centuplò amat. Ecce quomodo sine ulla sui fatigatione incrementum fervoris & meritorum innumerabilium unusquisq; facilè habere potest, solo voluntatis imperio & intentione.

Idipsum facere possumus in Corona, in singulis salutationibus: in Horis Canonicis, in singulis Psalmorum versibus, verbis, syllabis, & literis: in Sacrificio Missæ, in singulis actibus & motibus animæ & corporis, verbis quoquè, syllabis, ac literis: in Oratione mentali, in singulis unius horæ minutis, quæ dicuntur sexaginta esse majora: & aliis actibus.

Hoc

Hoc idem fieri potest in singulis disciplinæ ictibus; in singulis aculeis cilicii; vel catenulæ ferreæ, statuendo, ut primi aculei punctura sit signum amoris DEI, quo ipsum amamus super omnia: secundi aculei sit signum decuplò majoris amoris DEI, quo ipsum decuplò magis amare volumus, quàm priùs: sic de tertio, quarto, & omnibus aculeis unius catenulæ determinare possumus.

Denique idipsum facere valemus in omnibus cogitationibus, verbis, actibus, & motibus animi & corporis nostri ab hoc præsenti vitæ nostræ instanti, usq; ad finem vitæ. Idem intelligendum & de aliis actibus virtutum, quod dictum est de amore DEI.

Ex quo patet, quantos meritorum thesauros habemus in manibus nostris, quos quotidie infinities amittimus, tum per ignorantiam, tum per socordiam nostram, per quam hoc exercitium fastidimus.

Etiam ad Fervorem pertinet heroicos actus, & in gradu excellenti conari elicere. Heroici autem & sublimes actus dicuntur, vel ex objecto, seu ex re aliqua ardua & difficili: vel ex repugnantia personæ ad aliquid, ut videre ulcera sanie fluentia, & illam saniem sugere: vel ex solo conatu, seipsum in aliquo vincendi, ad quod habemus inclinationem.

Præterea fervens voluntas non debet esse contenta propriis; sed potest sibi appropriare omnia bona aliena, præcipuè Christi Domini, B. Virginis,

&

& omnium Sanctorum : poteſt quoq; ex actionibus & paſſionibus, alioquin inutilibus futuris, tam alienis quàm noſtris, fructum ſibi facere; in alias creaturas transformari, ac pro eis DEUM collaudare: pro omnibus creaturis defectum Divinæ laudis ſupplere: deſideria ſua multiplicare & dilatare: omnes actiones bonas tam alienas, quàm proprias ratas habere; omnes verò malas actiones retractare : idq; per nos totos, immò per ipſummet DEUM, juxta modos à Magiſtris ſpiritualibus præſcriptos, à quibus Actus varios, hiſce de rebus, pro uſu hominum ſpiritualium, augere ſemper innumera ſua merita deſiderantium, formatos, pro noſtris etiam Tironibus Religioſis, hìc placuit ponere.

Ultimò requiritur Conſtantia in bonis operibus ſervanda, quæ nos facit in benè cæptis, non cedendo ullis impedimentis, moleſtiis, difficultatibus, perſeverare uſquè in finem: ſine qua omnis labor ſuſceptus in bonis actionibus æterno præmio vacuatur: & propterea ipſe Auctor præmii cœleſtis unumquemq; noſtrum admonet, *Apoc. 2. Eſto fidelis uſq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

1. *Actus Intentionis filialis faciendi omnia purè propter DEUM.*

SAnctiſſima Trinitas DEUS meus, omnia opera mea, omnes actiones meas totius vitæ meæ & quidquid facio, quidquid patior, quidquid

faciam, patiarvê unquam, quocunquê modo, totum puro, & gratuito amori tuo consecro.

Non meritum cupio, sed gustum tuum intendo: ipsum meritũ, quod consequor, tuo gustui consecro.

Ipsum, quod mereri non intendo, aut quod gustui tuo consecro, non propter majus meum meritum, sed propter plenius, svaviusq; tuum Placitum, Tibi dignissimo DEO, semel pro semper, toto me, consecro.

Tibi, etsi non absquê te, attamen proinde ac si absq; omni à Te præmii ac boni spe, gratis, purè, ac nudè servio, servireque in æternum volo.

Sufficit mihi placuisse Tibi; non tamen, quia placuisse Tibi bonum mihi, sed quia gratum ac placitum Tibi.

Amo Te, quia mihi places; ut Tibi placeam, ut mihi placeas: non quia id bonum mihi, sed quia id debitum Tibi; quia dignum Te; quia bonum, & gratum, & placitum Tibi: deniquè ut sit bonum, gratum, gustabile, placitumquè Tibi.

2. *Actus transformationis in omnes creaturas, & in ipsis, & pro ipsis Oblationis sui Divinæ Majestati.*

DOmine DEUS meus, volo omnem creaturam, omnem cujusvis creaturæ notitiam, potentiam, actum, passionem, affectum, circumstantiam, capacitatem, atomum meam esse, & re ipsa, quoad possum, plena voluntate, meam, & me illam, & illam vicissim me facio: omnesquè

illas

illas in unum me complector, & sic me in omnibus, omnes in me, pro me, pro omnibus, in tuum summè plenum, plenè summum omnimodè Tibi debitum, creaturæq; possibilem Amorem, Cultum, Dignificationem, voluntatis tuæ omnem Gustum, atquè Expletionem, per omnes atomos atquè momenta, & per omnes naturæ gratiæq; Ordines & Gradus expendo, exhaurio, do, dono, dedico, offero, sacrifico, holocaustifico, annihilo, toto me, semel pro semper, & pro omni æternitate, in unione meritorum JESU Christi, & MARIÆ Virginis Matris ejus, omniumquè Sanctorum.

3. *Actus Appropriationis sibi omnium bonorum creatorū & simul D. DEO Oblationis illorū.*

O DEUS meus, qui solus gratis salvare nos vis, potes, soles, debes. Ego N. paupercula creatura tua, omnium tuarum quarumcumquè, imprimis autem rationalium creaturarū, usq; ad Beatissimam Virginem MARIAM, usquè ad Sacrosanctam JESU Humanitatem procedendo, omnes in genere, specie, numero, Tibi quomodocunq; placitas, aut in omnem æternitatem placituras Actiones, Passiones, Potentias, Entitates, Perfectiones, mihi nunc ex dono gratiæ tuæ, & beneplacito voluntatis tuæ, voluntariè & delibetatè, assumo, approprio, atq; ad purum & nudum Gustum divinissimæ svavitatis, & svavissimæ Dignitatis tuæ offero, illisq; meas pauperculas Actiones, Passiones, & Entitates omnes conjungo, &

tam pro hoc præsenti momento, quàm pro tota vita mea reliqua, quàm pro mortis articulo, quàm deniq; pro toto æternitatis decursu, illas omnes cum hoc appropriationis actu habere intendo, tuæque summæ Majestati, quantùm digna est, substerno, substernereq; in æternum, & ultrà volo. Tibi DEO meo sit honor, ab omni, & pro omni creatura, creaturæq; atomo, in sæcula sæculorũ.

4. *Actus Intentionis seu Directionis operum & actionum passionumq; nostrarum totius vitæ ad varios fines.*

O Sanctissima Trinitas DEUS meus, per omnes, & singulas actiones, ac passiones totius vitæ meæ, quas omnes nunc voluntariè accepto de manu tua, volo laudare Te, videlicet, DEUM Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & JESUM Christum, DEUM, Dominum, ac Redemptorem meum, Pretiosissimam DEI Parentem Virginem MARIAM, Sanctos omnes, Angelos & homines, & nominatim N.N.

Volo imitari Te Sanctissimam Trinitatem, JESUM Christum, præcipuè pro me passum, contemptum, stultum reputatũ Beatissimam Virginem, & Sanctos omnes.

Volo gratias agere Tibi Sanctissimæ Trinitati, ex cujus gratia; JESU Christo, ex cujus merito; Sanctissimæ Virgini, Sanctisquè omnibus, ex quorum precibus illa facio vel patior.

Volo mihi mereri gratiam sanctificantem; glo-

riam & vitam æternam; remiſſionem peccatorum, quæ nunc retracto; & pœnarum quas merui. Tum id quod Divina vult voluntas tua; Augmentum charitatis, & virtutum omnium; Benedictionem in officiis, & neceſſitatibus meis.

Volo impetrare mihi & aliis Gratias actuales frequentes, efficaces, finales, Gratias ſanctificantes, Gratias gratis datas, Gratias proficiendi heroicè, in omni ſanctitate ſtatui propria, Auxilia in conſiliis, neceſſitatibus, officiis. Temporalium ſufficientiam, præſervationem à malis animæ & corporis, Perſeverantiam in bono finalem.

Volo impetrare mihi, & Eccleſiæ, & ſacro Ordini noſtro, Conſervationem & pacem, Propagationem & incrementum, vigilantiam Paſtorum, Copiam Apoſtolicorum virorum, Exterminium ſcandalorum, & ſcandaliſantium, ac hoſtium.

Volo ſatisfacere, & ſatispati pro peccatis meis & pœnis eorum, quæ nunc retracto, pro pœnis peccatorum alienorum, amicorum carne & ſpiritu, Superiorum, & ſubditorum & inimicorum; pro pœnis quoq; animarum in purgatorio.

Volo omnes & ſingulos, & me per omnes ac per ſingulos, ſacrificium tibi DEO meo & holocauſtum facere, omnia mea ex voluntate deliberata, omnia pro hoc, & pro omni reliquo vitæ meæ, mortiſquè momento, omnia ad guſtum & gloriam tuæ voluntatis Divinæ. In unione Sanctiſſimæ JESU Chriſti in mundo converſationis, meritorum, & orationum ejus, atq; B. Virginis, & omnium Sanctorum.

5. *Actus conformitatis cum DEI voluntate in omnibus actionibus nostris.*

O Dulcissime Domine DEUS meus, volo ab hoc tempore deinceps omnia facere eo motivo, eoq; modo, quo Tu vis, & quia Tu vis illa fieri à me, propter omnium mandatorum, consiliorumquè, & beneplacitorum tuorum impletionem, propter virtutum omnium Theologicarum ac moralium, supernaturalium, donorumquè, & fructuum Spiritûs Sancti, in omni congruo mihi gradu assecutionem, exercitationem, incrementum, propter gratiæ gloriæquè Tuæ in me confirmationem. Propter instituti mei perfectam impletionem, propter totius mundi auxilium, propter omnium Sanctorum, omnium Angelorū, pretiosissimæ Parentis JESU Christi, Tuum verò Sanctissima Trinitas DEUS, inprimis honorem, & imitationem, super omnia verò, propter omnimodam Tui gustûs recreationem, adorandæ voluntatis executionem, summæ Bonitatis dilectionem, eminentissimæ Dignitatis exaltationem, mei deniq; universalem annihilationem, quia hæc est voluntas Dignitatis Tuæ, & Dignitas volūtatis Tuæ.

6. *Actus Oblationis D. DEO Actionum & Passionum, alioquin inutilium futurarum, tam nostrarum quàm alienarum.*

DOmine DEUS meus, qui omnia opera nostra operaris in nobis; operaris autem propter Gloriam tuam, & propter bonum nostrum,

ſtrum, neque quidquam in nobis, & â nobis otioſum eſſe vis: omnes actiones paſſioneſq; meas, Angelorum, Beatorum, & omnium Entium creatorum, quocunquè modo Te DEO noſtro dignas, ipſis autem creaturis, cæteroquin vel neglectas, vel inutiles, vel non neceſſarias, ego videns & agnoſcens paupertatem meam, & ſimul nuſquam exulare cupiens Gloriam tuam, utilitatemq; noſtram, has omnes tam meas, quàm omnium creaturarum Actiones atq; Paſſiones, etiam atomicè computatas, Tibi DEO meo præſento, Honori, Gloriæq; Tuæ conſecro; pro meo, & pro omnium creaturarum capacium bono temporali, & ſpirituali, hujus & alterius vitæ, offero; ijſquê omnes defectuoſitates meas, & earum, qualeſcunquè ſuppleri cupio & intendo. In unione meritorum JESU Chriſti Domini noſtri, & B. Virginis MARIÆ, omniumq; Sanctorum; idq; facio ſemel pro ſemper, & pro omni æternitate, ad purum guſtum tuum, ô Sanctiſſima Trinitas DEUS meus.

7. *Actus Inſignis exercitii Amoris DEI, & aliorū affectuum, & virtutis Humilitatis.*

SAnctiſſima Trinitas, DEUS meus, cupio Te amari, & amatum fuiſſe, ac fore, per omnia omnium temporum, Æternitatumq; inſtantia, â me, & ab omni creatura, creaturæquè portione, & atomo & momento.

Vellem Domine DEUS meus, in Te, toties, per omnia ſingulaquè momenta, & indiviſibilia

mea, Amore digno Te, debitoq; tibi à me succendi; quoties ab intrinseco quælibet mobilia corporalia, & spiritualia mota sunt, moventur, movebunturq; per omnem Durationem, perquè omnia instantia Durationis eorum, quoties, Domine, moventur folia & rami in arboribus, herbæ & gramina in campis, segetes in agris, animalia in terris, àëre, & aquis, pulsus in animalibus, guttæ aquarum in fluviis, lacubus, fontibus, & mari, & nubibus, meteora quælibet in äëre sensationes in cognoscentibus, intellectiones & volitiones in Angelis & hominibus, toties ego Te Domine pro me, & pro omnibus creaturis amo, & superamo, superq; amare volo, & propono in æternum.

Quidquid Domine inerat, inest, inerit, inesse possibile fuit, ac erit, unquam intensionis ac fervoris; in omnibus Qualitatibus Actibusq; creaturarum omnium, naturalibus juxta & supernaturalibus, totum hoc intensionis istius conglobamentum, cupio, & quantùm possum, ac Tu donas, facio, inesse omni actui vitæ meæ, nominatim verò huic præsenti actui meo, quo Te, ô Trinitas DEUS, ô Incarnatum pro me Verbum, credo, spero, amo, adoro, veneror; timeo, desidero, laudo, magnifico, gratias ago, summè summum Bonum meum appeto, de omnibus bonis tuis gaudeo, & complaceo.

Domine, pro omnibus & singulis gratiis & atomis terræ, aquæ, äëris, ignis, luminis, cœli, reliquarumq; creaturarum, in his contentarum, Te dignifico,

dignifico, Te laudo, Te timeo, Te ſpero, Te adoro, Te amo, toties replicando actuali voluntate mea, hos omnes & ſimiles affectus atq; actus in te, quot ſunt & eſſe poſſunt prædicta grana, prædictiquè atomi.

Sanctiſſima Trinitas, iſtis omnibus actibus, affectibuſquè, quos hoc die aut hora, hocq; in loco tempore, occaſione, vel quavis aliâ præteritâ, præſenti, ac futurâ, in Te, eliciunt & elicient, ſub quacunq; pia motione, adinventione, induſtria, formalitate, circumſtantia, omnes creaturæ tuæ, omnes pii & boni ſervi tui, omnes prædeſtinati, omnis triumphans & militans Eccleſia, afficior ego quoq; pauperculus vermis in Te, illos Tibi offerendo, infinities volendo, & repetitos perfectiores, ac plures eſſe cupiendo, de illis, & per illos Tibi congaudendo, propterq; illos, omnes auctores illorum amando, honorando, & appretiando.

Quidquid eſt Domine, aut fuit, aut erit, aut poſſibile eſt unquàm & uſpiam, vilitatum & humiliationum naturalium, & voluntariorum, ſupernaturaliumquè, ijs omnibus ego, mi DEUS, coram Te, & Tibi humilio, & vilifico me, meamquè totaliter ſubſtantiam, ita, ut atomus in me non ſit ullus, non ſit motus animi mei ullus, qui non ſit coram Te, propter Te, & Tibi, omnipoſſibiliter humiliatus & vilificatus. Humilio me, Domine, Humilitate JESU Chriſti, DEI mei, humilio me Humilitate Beatiſſimæ Virginis MARIÆ,

RIÆ, Angelorum Sanctorumq; omnium humilitate totius Ecclesiæ, humilitate omnium hominũ, omnium creaturarum reprobarum & damnatarum, humilitate omnium rerum in cœlo, & sub cœlo, in terra & intra terram existentium: humilitate vilitatum, sordium, fæcium, sentinarum, putredinum, corruptionum, purgamentorum, excreationum omnium. Humilitate deniq; omnis, & totius Nihili, ita, ut his omnibus humilitatibus, ac vilitatibus, , instar spongiæ penetrer undiquè, instar piscis innatem in eis totus, instar avis volitem aëre circumdatus, ut deniq; totus per omnia, in corpore & anima, omniq; substantia, capacitate, motu, atomo, instanti horum omnium, non solùm humilis, aut vilis, sed ipsissima humilitas, vilitas, abjectio, contemptus & contemptibilitas, confusio & odiositas efficiar. Tibi DEO meo ad gustum, mihi autem ad debitum omnimodè explendum & exæquandum, ut quantùm Tu dignus es, tantùm ego vilis sim in æternum.

8. *Actus variorum affectuum erga DEUM per creaturas.*

ASpiciendo agros, in corde dicendum. O DEUS meus, hæc omnia, quæ nunc video, videlicet, hos agros (idem dicendum videndo prata, vel hortos) & simul omnes agros per totum mundum, & quidquid in eis ante ab initio mundi excrevit, & nunc crescit, crescetq; ad finem mundi, omnes segetes, herbas, flores, gramina, totam

Enti-

entitatem, substantiam, accidentia, proprietates, & partes, & atomos illorum, Tibi tanquam mea, & me totum cum eis, & in eis, in holocaustum svavissimum offero, & pro eis infinitas gratias ago, Te adoro, laudo, magnifico, & superexalto, toto me, semel pro semper, affectu tuo, affectu Sanctissimae Humanitatis JESU Christi D.N. B. Virginis, omnium Angelorum, & Sanctorum.

Quod si audiantur aliqui soni, vel voces, vel cantus, dicendum: Clementissime DEUS, omnibus sonis instrumentorum musicorum, tonitruorũ, campanarum, tubarum *&c.* omnibus vocibus hominum & animalium, omni cantu mortalium & volucrum, Te DEUM meum laudo, veneror, amo, aestimo, desidero, dignifico, Tibi obedio, Te timeo, adoro & exalto super omnia, toto me, semel pro semper, affectu tuo &c: *ut suprà.*

Quoties videntur densissimae pluviae, grandines, nives, & ingentes arenae cumuli, totaq; moles terrae dicendum: Dulcissime DEUS, pro omnibus, & cum omnibus, & per omnes pluviae guttas (idem dicendum de grandinis, vel nivium granis, vel terrae arenis) Te DEUM meum laudo, veneror &c: *ut suprà.*

Quod si quis viderit aliquam Bibliothecam plurimis libris instructam, dicat: Domine DEUS meus, omnibus his libris, qui hìc sunt, & in toto mundo, omnibus foliis, lineis, verbis, syllabis, literis, in illis contentis, omnibus quoq; ingeniis, & labore Scriptorum, ac Impressorum Te agnosco, laudo &c: *ut supra.* *Quo-*

Quoties audimus tot millia hominum martyrio, vel bello, vel fame, vel alio modo periisse, toties intra nos dicamus: Utinam Domine DEUS, cum Martyribus omnibus, ex amore tui, pro honore tuo, & pro Fide, atquè proximorum ſalute, occubuiſſem! ſicut & nunc mori, eadem de cauſa, ſum paratus, tua gratia adjutus, in qua ſola confido. Jam verò qui tum martyrio, tum bello, tùm fame, tùm peſte, vel quocunqué modo extincti ſunt, omnium morte Te DEUM meum agnoſco, laudo *&c.*

Quod ſi Regna, Civitates & homines conſpexerimus: immò pecudum, volucrum, piſcium, reptilium, vermium agmina, dicendum: Beninigniſſime DEUS, pro omnibus, cum omnibus, & omnibus Regnis, Civitatibus, populis, atquè pecudum, volucrum, piſcium, reptilium, vermium agminibus, Te agnoſco, laudo, *&c.*

Si quando ingrediamur templum aliquod auguſtum, pulchrè ornatum, & apparatu Eccleſiaſtico inſtructum, ſic in laudes DEI prorumpamus, dicentes: Laudo, & ſuperexalto, amo, adoro, & benedico, Te DEUM meum altiſſimum, Tibiquè infinitas gratias ago pro ijs ſumptibus, quibus hoc templum eſt exſtructum, pro his hominibus, qui expenſas pro illo exſtruendo fecerūt, qui manibus, arte, conſilio ad illud ædificandum concurrerunt, qui illud picturis, imaginibus, aulæis, ornârunt; qui vario apparatu, vaſis aureis & argenteis ditârunt, qui Cantores, ut cantu,

campanas,

campanas, ut sono suo, ad laudandum DEUM homines provocarent, providerunt: pro his igitur omnibus, & cum his, & per hæc Te infinities adoro & magnifico, affectu tuo *&c.*

Si viderimus in templo orantes homines, hinc occasione sumpta, sic in corde DEUM alloquamur: Superamandissime DEUS, cum ego nihil boni agere sciam, ideò omnium fidelium pios in Te motus & affectus, orationes & devotiones, pia exercitia, Ecclesiæ preces, & Sacrificia, Religiosorum vota, mortificationes, labores, cuncta hæc, ac si essent mea, Tibi DEO & Creatori nostro in Sacrificium offero, & cum his omnibus, & per hæc omnia Te DEUM meum laudo, veneror, &c. *ut suprà.*

9. *Actus Oblationis Horarum Canonicarum.*

O DEUS, cujus immensam Majestatem adorat omnis Ecclesia Sanctorum. Offero Tibi has Ecclesiæ Tuæ Sanctæ preces à me indigno die hodierno recitandas, offero imprimis omnes à Matutino usq; ad Completorium Horas, offero omnes earum affectus & sensus, à Spiritu Sancto, & ab Ecclesia Sponsa tua, intentos, atque hîc depositos. Offero omnia earum Puncta, Commata, Sententias, Verba, Literas. Offero omnes Motus lingvæ meæ, & Manuum mearum, omnes Ictus oculorum, omnes Respirationes, omnes Cogitationes, & affectiones animæ meæ, omnes mei totius Commotiones, in hac præsenti oratione interventuras.

Accepta igitur hoc tributum servitutis meae, Tu, qui es Dominus meus, Rex meus, DEUS meus, Solus, Unus, Naturalis, meq; mancipium Tuum naturale & voluntarium, Spiritu tuo Sancto, & Gratia efficaci atque abundanti purifica, confirma, sanctifica, ut Tibi servitium meum in Sanctitate & justitia & perseverantia, semper exhibere valeam, qui in Trinitate perfecta vivis, & regnas, unus DEUS, in saecula benedictus.

Domine DEUS, offero Tibi totaliter hanc omnem actionem meam cum omnibus aliis, quas, hujus occasione, per quamcumq; corporis & animae potentiam exercebo; quia haec est voluntas Tua, & hoc Dignitas voluntatis Tuae requirit.

10. *Actus Supplementi defectuum nostrorum in Laudibus Divinis.*

AGnosco DEUS meus, infinitè plurima, in Laude tua, Tibi à me, & ab omnibus creaturis debita deperire, malitiâ, ignorantiâ, fragilitate, imprudentiâ, defectuositate nostra. Cupio mi DEUS supplere, & reipsâ quoad possum suppleo defectus istos omnes nostros, amore tui, aestimatione, & dignificatione praesenti actuali, qua te DEUM nostrum, omne bonum nostrum, amo & superamo, dignifico, adoro, & superadoro, cupio & supercupio, laudo & superlaudo, pro me & pro universis creaturis, secundum omne quod debetur, & quod debemus Tibi, possibileque est nobis, & Tu dignus es. Ut ita Tibi DEO nostro,

ſit laus plena, ſit gloria perfecta, ſit exaltatio pro noſtro poſſe, deſiderio, & velle, adæquata, ex nunc in æternum, ſemel pro ſemper, millies millies majori quàm unquam fervore, atomicè, in Unione Sangvinis, Meritorum, Converſationis JESU Chriſti, Beatiſſimæ Virginis & omniū Sāctorū.

11. *Actus majoris momenti Actionibus noſtris præmittendus.*

SAnctiſſima Trinitas DEUS meus, Te agnoſco, amo, deſidero, laudo, adoro, Tibi obedio, Te timeo, veneror, dignifico, & exalto ſuper omnia.

Affectu Tuo, affectu Sanctiſſimæ amabiliſſimæquè Verbi æterni JESU Chriſti Humanitatis, affectu B. Virginis MARIÆ, affectu omnium Beatorum Spirituum: affectu omnium Sanctorum atq; Sanctarū: affectu deniq; omnium creaturarum.

Per hanc actionem N. meam, & per omnes præteritas, præſentes, futuras actiones, paſſionesq; meas, omnium potentiarum, corporis & animæ meæ, omniumq; creaturarum, mihi & communione creationis unitarum, & affectione liberæ voluntatis, atquè charitatis erga illas, propter Te DEUM meum, imperſonatarum, atquè inſubſtantiatarum.

Semel pro ſemper, pro tota vita, proquè omnibus & ſingulis momentis vitæ, ſive exiſtentiæ meæ, aut etiam partium mearum, & omnium creaturarum.

Majori quàm unquam hactenus fervore Spiritûs, millies{q}; millies majori proportione, & incremento fervoris, puritatis, charitatis, diligentiæ, ac dignificationis Tui, vilificationis autem mei.

Ad purum, & omnem gustum Tuum; ad nullum præmium, bonumvè meum, ad nullum gustum, bonumvè creatum, à Te separatum: præterquam ad eos fines, quos gustui, beneplacitoq; dignitatis ac voluntatis Tuæ subordinatos, specialiter, in omnibus universim, & singulis specificè actionibus, passionibusquè intendere, vel possum, vel debeo, vel Tu vis.

Seraphicè, Mariane Christiformiter, omnitudinaliter, incessabiliter, hujusq; unius actûs, & affectus, pro omnibus substitutivè.

In unione mihi appropriatorum, Tibi autem DEO oblatorum meritorum JESU Christi, B.V.MARIÆ, Sanctorū omniū, & Angelorū.

Atomicè, Sacrificativè, heroicè, omnipossibiliter, dignè te, dignissima Trinitate DEO meo.

Quia mihi places, ut mihi placeas, ut Tibi placeam, ampliùs, & ampliùs, & ampliùs. *Hic Actus saltem semel in die fieri potest.*

Forma oblationis cujuscunq; Actionis nostræ.

Dulcissime Domine JESU, amore Tui, multùm desidero nunc & semper, quidquid Tibi gratius fuerit, perficere. Et quia certus sum, te velle ut hoc nunc faciam; ideò abnegans & relinquens omnem meam voluntatem, & aliud quodcunquè, volo propter Te, & ut desiderio Tuo satisfaciens, gratum

gratum Tibi præstem obsequium, istud nunc aggredi, & perficere: in unione omnium operum & meritorum Tuorum, ad Tuam laudem & omnium salutem. Adjuva, dirige, & conforta me, ut hoc secundum Te, per Te, & Tecum incipiam & perficiam.

Alia forma, quam Christus Dominus S. Mechtildem docuit. Domine in unione Amoris, quo Te in laboribus exercere dignatus es, & adhuc in anima sine intermissione operaris, & nunc opus hoc mihi injunxisti; Tibi ad laudem, & pro utilitate universitatis illud facio; orans, cum perfectissima operatione Tua illud uniri & perfici; qui dixisti: *Sine me nihil potestis facere.*

Alia. Sanctissima Trinitas unus DEUS, hoc opus omnibus Domini JESU, & Beatissimæ illius Matris, ac Sanctorum Tuorum meritis, & amori conjunctum, Tibi in holocaustum amoris offero. Facio hoc amore amoris tui; quia dignus es omni amore, omni reverentia, & obsequio, DEUS meus.

Alia. O Dulcissima Virgo MARIA, tibi ego omnes actiones meas, totius diei (vespere dic: noctis) mensis, anni, vitæ meæ præsentis, præteritæ & futuræ commendo, easquè tuis Sanctissimis manibus & meritis, gratiis & donis exornandas, atq; Sanctissimæ Trinitatis conspectui, pro me offerendas committo; quatenùs enim à me sunt, indignissimæ conspectu ejus sunt.

Alia. In manus tuas, Domine JESU, & in tuas Purissima Virgo MARIA, commendo omnia

opera mea, & hoc præsens opus meum, illudquè utriusquè vestrûm meritis, operibus, & toti in mundo conversationi unio, ornandumq; & Sanctissimæ Trinitati offerendum trado.

Alia. Omnes actus meos, mi JESU dulcissime, in vulneribus, & corde tuo depono, ut in eo detenti, sublimentur, & sic dignè Sanctissimæ Trinitati, tuis & dilectissimæ Matris tuæ Virginis MARIÆ manibus offerantur.

12. *Modus Intensionis Actuum Amoris DEI, & aliarum virtutum cum ineffabili meriti, Gratiæ, & Gloriæ augmento.*

HUjus rei aperitur *Mysterium.* Hæc intensio dependet à Voluntatis intentione, determinatione, & imperio, quæ potest sibi sic imperare. Volo viginti passus facere ex charitate DEI, & ad singulos passus elicere actum Charitatis, (quæ consistit in æstimatione & prælatione DEI super omnia) alium atquè alium, alio ferventiorem & intensiorem, atquè ejusmodi omninò, ut quolibet actu magis æstimem & superexaltem DEUM; & tunc actus ille Charitatis in ultimo passu erit intensior vigesies, & meritum apud DEUM majus toties.

Quod si voluntas sic statueret: Desidero vehementer & volo, quolibet passu in dupla proportione ferventiorem & intensiorem elicere actum Charitatis in DEUM; tunc ultimus actus Charitatis in passu vigesimo, esset major gradibus

536870912. hoc eſt, quingentorum triginta ſex millionum octingentorum ſeptuaginta millium, nongentis duodecim.

Quod ſi ſtatueret in decupla, vel centupla, vel millies millies in majori proportione intenſiorem Actum Charitatis Divinae elicere, quanto augeretur ille Actus merito, gratiae, & gloriae, humana cogitatio id capere vix poteſt.

Et quod dictum eſt de Amore DEI, hoc idem intelligendum de omnibus virtutibus.

Sed advertendum eſt, ut omnes actus virtutum fiant ex motivo Charitatis, & propter Charitatem, & cum Charitate, & in Charitate: hoc eſt, ab homine exiſtente in Gratia & Charitate: & hoc ideò, quia licet omnis actus virtutis elicitus ab homine in Charitate DEI poſito, meritorius eſſe poſſit; longè tamen majus meritum erit, quando fiet ex Charitate & propter Charitatem. Nam aliarum virtutum actibus non datur à DEO meritum Gratiae & Gloriae par ipſis Actibus, ſeu aequale in actuum gradibus, ſed multò minus, ut Theologi dicunt: ita ut ſi actus virtutis ſit fervens ut ſex, non rependantur illi ſex gradus gratiae, vel gloriae, ſed tantùm duo: id eſt tertia parte minus. Jam verò actibus Charitatis, quibus ſuper omnia diligitur DEUS, reſpondet meritum gratiae & gloriae ipſi actui aequale, & ſimul meritum Habitus Charitatis. Quamvis hoc verum ſit, quod etiam latitudini actus eliciti alicujus virtutis, reſpondeat latitudo augmenti Habitus illius virtutis, cujus eſt Actus.

 Hujus

Hujus rei Exempla sequentia dantur.

I. *EXemplum pro matutino tempore.* Sanctissima Trinitas DEUS meus, ego omnia instantia hujus diei, totiusq; vitæ meæ, & omnes actus meos à me quocunq; modo in vita mea perficiendos, offero ad infinities majorem tuam gloriam & honorem & purum gustum tuum sine ulla spe præmii, & in Beatissimæ Virginis ac Omnium Sanctorum honorem: Et protestor omnes illos actus meos, & omnes partes illorum etiam minimas & atomicas me facere velle in Testimonium Amoris tui, & ex amore tui, & propter amorem tuum; & ex affectu & amore in Christum Dominum, B. Virginem, & S. Joseph, & SS. N.N. & ex motivo Gratitudinis, Humilitatis, Contemptus mei, Patientiæ, Pœnitentiæ, Obedientiæ, Castitatis, Paupertatis, Resignationis *&c.* (vel illius virtutis, quam aliquis proposuit exercere aliqua die, vel hebdomadâ, vel mense) ita ut velim in quolibet actu & parte ejus esse decuplò, centuplò, & millies millies majorem & intensiorem Charitatem tuam, & affectum in Christum Dominum B. Virginem, S. Joseph, ac omnes Sanctos; & Gratitudinem *&c.* & ex majori pariter & intensiori motivo Charitatis tuæ, Gratitudinis, Humilitatis, *&c.*

II. *Exemplum pro Oratione mentali, quæ solet unà durare horâ.* Domine DEUS meus, offero Tibi hunc Actum Orationis præsentis, & istud tempus, & omnes actus & motus potentiarum animæ & corporis in hac Oratione futuros,

&

& horum actuum & temporis partes minimas etiam atomicas ad tuam majorem Gloriam, & Beatæ Virginis ac Sanctorum omnium Honorem. Et protestor, me facere velle hanc Orationem, & illa prædicta omnia à me, & in me, fieri in Testimonium Amoris tui & ex Amore tui, & propter Amorem tuum, & ex motivo Gratitudinis, Humilitatis *&c.* ita ut velim in omnibus prædictis esse decuplò, centuplò, & millies millies majorem & intensiorem Charitatẽ tuam, & Gratitudinẽ, *&c.* Et ex majori & intensiori motivo Amoris tui & Gratitudinis.

III. Pro Officio Divino. Clementissime DEUS, ego te affectu tuo, & Sanctissimæ Humanitatis Christi Domini nostri, ac B. Virginis, & Omnium Sanctorum laudare, & has Horas tibi persolvere volo, quarum omnia verba, syllabas, literas, commata, puncta, & omnes motus & actus animæ & corporis, atq; momenta temporis offero ad majorem Gloriam & gustum tuum, & in B. Virginis ac Sanctorum omnium Honorem, & protestor hæc omnia à me velle fieri in Testimonium Amoris tui, & ex Amore tui & propter Amorem tuum, & ex motivo Gratitudinis &c. *ut suprà. Similiter offerantur Missæ Sacrificia, Conciones, &c.*

IV. Pro Disciplina. Dulcissime DEUS, ego hanc disciplinam, qua corpus meum castigare volo, & omnes ictus illius in unione Passionis Domini nostri JESU Christi, & meritorum ejus, &

B. Virginis ac omnium Sanctorum offero &c. & protestor hanc disciplinam & omnes ictus illius me velle facere in Testimonium Amoris tui, ex amore tui &c. ita ut velim, in omnibus ictibus & singulis esse decuplò &c. *Simili modo offerantur puncturæ Cilicii, & Catenulæ ferreæ.*

V. Pro Corona B. Virginis. O MARIA Virgo purissima, Mater DEI Sanctissima, hanc Coronam, quàm modo recitare volo, & singulas salutationes, & simul omnia atq; singula verba, syllabas, literas, respirationes meas, & omnes actus & motus animi & corporis, & temporis momenta, offero ad infinities majorem gloriam Sanctissimæ Trinitatis; honoremq; tuum, & omnium Sanctorum: & protestor omnes salutationes, & cætera prædicta à me fieri in testimonium Amoris DEI & tui, & ex Amore DEI & tui, & propter Amorem DEI & tuum, ita ut velim in omnibus prædictis, esse decuplò, centuplò & millies, millies majorem & intensiorem Amorem DEI & tui, & ex majori & intensiori motivo Amoris DEI, & tui.

VI. Eodem modo deambulando possumus offerre actum ipsum, & singulos passus. Benignissime DEUS, ego nunc deambulare volo ex Amore tui, & Obedientia, & Resignatione, Humilitate, & Contemptu mei. Itaq; hunc actum, & partes, atquè atomos actûs & temporis, & omnes passus, offero ad infinities majorem Gloriam tuam, & B. Virginis ac omnium Sanctorum honorem: & protestor me velle & intendere in his omnibus, &

ad

ad singulos passus elicere actum Charitatis tuae, & Obedientiæ, Resignationis, Humilitatis & Contemptus mei, alium atq; alium, decuplò, & millies millies ferventiorem & intensiorem.

VII. Similiter quælibet Actio offerri potest. Domine DEUS, offero Tibi hanc actionem, & omnes ejus partes, etiam atomos, intendendo cuncta facere majori & majori decuplò, centuplò, & millies millies intensione Amoris tui, Obedientiæ, Resignationis, Humilitatis & Contemptus mei, *&c.*

VIII. Possumus etiam assumere aliquem Actum pium v.g. istum. DEUS meus amo Te super omnia: *& repetere eundem Actum* 33. *trigesies & ter, ita ut intendamus quemlibet actū dicere decuplò, & centuplò, & millies millies ferventiùs & intensiùs, ex motivo Amoris DEI, Gratitudinis, & Imitationis Christi Domini nostri.* Hoc modo.

O DEUS meus dilectissime JESU, amo Te super omnia; quem actum Amoris tui intendo & volo repetere 33. trigesies ter, in honorem 33. annorum, quibus vixisti nobiscum pro salute nostra in terris; ita ut velim quemlibet actum Amoris tui, decuplò, centuplo, & millies millies ferventiorem, & intensiorem esse, & ex motivo intensiori Amoris tui, & Gratitudinis, ac Imitationis tui.

Possumus vel hunc actum Amoris DEI, vel similem alium pluries iterare: hoc est, quinquagies vel centies, &c. prout alicui placebit, pro

majori meritorum augmento. Præsertim hos Actus saltem ter in die in Honorem Sanctissimæ Trinitatis.

Sanctissima Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus Sancte, Unus, Solus, Summus, Verus DEUS, secundum mentem & sensum piorum virorum, toto Te, toto me, Amo, Æstimo, Benedico, Concupisco, Dignifico, Exalto, Glorifico Te, Gaudeo de eo quod es, operaris, & habes, Laudo, Magnifico, Prædico, Sacrifico, Volo & zelo Te, quia es id, quod es, utq; sis id, quod es, propter Te.

Toto Te, toto me, Gloria Tibi, Patri & Filio & Spiritui Sancto: sicut erat in principio & nunc *&c.*

DEUS meus, toto Te, toto me, desidero, & dono Tibi Te, ut sis id, quod es.

DEUS meus, Tibi vivo, deambulo, lego, cibum sumo, dormio, colloquor, operor, taceo, Sacrum audio, Sacrum facio, servio, obedio, ut Tu sis id, quod es, propter Te, toto me, toto universo.

Et hæc profero ita, ut velim quemlibet actum ex prædictis decuplò, centuplò, & millies millies ferventiorem & intensiorem esse supra alium; & ex motivo eodem modo majori & intensiori Amoris tui.

Dixi secundum mentem & sensum piorum virorum: Toto Te, toto me; *quia in his pauculis dictionibus multa includuntur, prout viri aliqui piissimi, & Magistri spirituales sentiunt, docent & declarant, quæ hic brevitatis causa non ponuntur.* Ex

Ex his omnibus, quæ hic allata sunt de modo intensionis Actuum Amoris DEI, & aliarum virtutum, & ex aliis Actibus paulò antè allatis, patet, quanti meritorum thesauri sint in manibus nostris, quos quotidie infinities amittimus: vel ideò, quia ignoramus atqué non advertimus, vel quia negligimus, ac dissimulamus, & præ ignavia tantillum conatum adhibere nolumus, ut tanta animæ lucra conquiramus, non tantùm singulis diebus, sed etiam vitæ nostræ momentis; & ut gratiores DEO efficiamur, & DEUM vicissim nobis Gratiorem, Digniorem, & Pretiosiorem efficiamus. Deniq; ut thesaurizemus nobis pro diebus malis, morbi, scilicet, & senii, quæ Actus virtutum frequentes & ferventes exercere homines impedire solent: utquè tolerabiliorem nobis Mortis horam, atq; Purgatorii moram faciamus: aut etiam, ut, per Divinam Gratiam, corpore soluti immunes à Purgatorii flamma ad cœlum evolemus.

Præcipuè autem inter alia, hæc commendata esse, pro majori merito lucrando, vellem: videlicet, Modum Intensionis Amoris DEI, & aliarum virtutum: Actum antecedentem num: 12. *Et Pacta suprà posita: pag: 240. Præsertim pag: 262.*

Insuper danda nobis est opera, ut, quod lingva, aut cor nostrum dicit, vita & mores non contradicant; ut, dum amorem in DEUM, lingva vel corde profitemur, eundem Amorem DEI, per Mortificationem passionum, amoris proprii, & voluntatis, & per Contemptum nostri, & simplicem Obedi-

Obedientiam DEO, & Superioribus nostris confirmemus.

A C T U S

Ante Sanctissimum Sacramentum exercendi.

TRiplex est Finis, propter quem voluit Christus Dominus nobiscum in SS. Sacramento permanere in terris. Ad nostrum solatium. Ad Sacrificium. Ad animarum nostrarum Nutrimentum.

Itaq; sicut Sancti habentes præsentem Christū Dominum, ineffabile inde percipiunt solatium in cœlis: ita & nos debemus gaudere de ejus præsentia in SS. Sacramento in terris; quod sæpè sæpiùs in die, aut saltem ter, visitandum; ut in omni necessitate certissimum subsidium, in omni tribulatione singulare solatium, in omni rerum eventu præsentissimum consilium & auxilium habeamus. Visitando autem SS. Sacramentum.

Primo. Salutare debemus Christum Dominum ibi præsentem. *Deinde*, Actus Religionis, Fidei, Spei, Charitatis, Gratitudinis, Contritionis *&c.* exercere. *Insuper* petere pro nobis, & pro aliis, gratiam aliquam necessariam ad DEO placendum, eique perfectè serviendum. *Quod fieri potest per ejusmodi Actus.*

Ave Domine JESU Christe, verus DEUS & Homo, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, Te mihi nascens in socium, convescens in edulium, moriens in pretium, regnans in præ-

mium

mium dare dignatus es, ego pulvis & cinis, indignus conſpectu tuo, ob innumera peccata mea, de quibus medullitùs doleo ex amore tuo: Te Dominum, ac DEUM meum hìc verè præſentem, omnium creaturarum poſſibili affectu, ſaluto, adoro, laudo, glorifico, & ab omnibus, in omnibus, ſuper omnia adorari, laudari, amari, & glorificari deſidero in æternum, & ultrà. Agnoſco & amplector Charitatem tuam erga me, qua me cum Patre & Spiritu S. ab æterno ſic dilexiſti, creaſti, redemiſti, juſtificaſti, vocaſti, hucuſq; tam ingratum deduxiſti, & conſervaſti, & ut ſpero glorificabis in æternum; & ex toto cordis affectu gratias ago, atq; in ſacrificium laudis, & gratiarum actionis, omnium Sanctorum obſequia, & meipſum Tibi in unione infinitorum tuorum meritorum offero. Totus tuus eſſe, & permanere deſidero, ſicut Tu totus meus eſſe dignaris, ô JESU DEUS cordis mei, & pars mea in æternum! In Te, ô ineffabilis Veritas, credo; in Te, ô unica Spes mea, ſpero; Te, ô infinita Bonitas, amo, & amare deſidero propter Te, ſuper omnia, in æternum; gaudeo de omni Perfectione, Beatitudine & Gloria tua, meq; tibi totum uſq; in mortem, & annihilationem mei reſigno. Utinam ſemper ſic Te amaſſem, & nunc amarem, & nunquam offendiſſem, nec offenderem poſthac in æternum! doleo de omnibus peccatis meis, quia Tibi, quem ſuper omnia diligo, diſplicent, cupio, & propono seriò emendare, & pro ijs ſatisfacere: in ſatisfactionem

me,

me, & omnem vitam meam tuo obsequio offero: veniam cum finali gratia precor, & spero per Te, ô bone JESU, in cujus meritorum abyssum me demergo, Tu æterna charitate tua supplere digneris imperfectũ desideriũ meũ, mequè tuis indutũ meritis Sanctissimo tuo penitùs in omnibus conforma beneplacito, nec in æternum permittas me separari à Te, (*hic fieri potest Communio spiritualis hoc modo*) Hæc ut efficaciùs consequi merear, veni, ô bone JESU, fons omnis Gratiæ in cor meum, posside & reple illud gratiâ tuâ, & conforma illud Sanctissimo Cordi tuo in vita, in morte, in æternitate. O JESU Dominus meus & DEUS meus, sim totus tuus, & Tu meus in æternum. In Te vivam, in Te moriar, in Te perennem, misericordias tuas decantans, & cum Cherubim, & Seraphim incessabili voce Tibi proclamans, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS Sabbaoth: Similem veniam & misericordiam omnibus, pro quibus mori dignatus es præsta, defunctis requiem, vivisquè gratiam concedens, ut Tibi perfectissimè, sicut scis, & vis placeant, Te ament, & glorificent, una cum DEO Patre & Spiritu Sancto nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Actus Adorationis Christi in SS. Sacramento affectu Sanctorum omnium.

DOmine JESU Christe, DEUS & Homo, in hoc SS. Sacramento præsens, ego pulvis tuus, & cinis, adoro Te illo affectu,

quo te in cunis adorârunt paſtores & Magi. Adoro Té illo affectu, quo te adorabat viventem hic in terris, & nunc in cœlo adorat pretioſiſſima Parens tua. Adoro Te illo affectu, quo Te adoravit Centurio, & omnes viatores devotè communicantes, quicunq; Tibi placuerunt. Adoro deniq; Te illis affectibus Laudis & Adorationis, quibus Te adorârunt, adorant, & tota æternitate adorabunt, omnes Beati Cœlites. Horum voce & affectu, Tibi DEO meo hic præſenti canto: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabbaoth. Dignus es Domine accipere Honorem, & Gloriam, & Benedictionem, Tibi hic verè præſenti DEO & Agno ſit Honor & Gloria, ab omnibus, in omnibus, ſuper omnia. O ſi omnium Electorum tuorum corda amore Tui inflammantiſſima, ſi ora in laudem tuam eloquentiſſima nunc haberem, omnibus illorum cordibus Te amarem, omnibus illorum vocibus Te laudarem. Sed quia id præſtare non poſſum; ecce nunc omnes illorum Laudis, Adorationis, Amoris affectus erga Te, ſive elicitos, ſive per totam æternitatem eliciendos, approbo, & Tibi nunc præſento ac offero in ſupplementum meæ tepiditatis. Vos verò omnes Sancti Angeli, vos Sancti Patroni mei, S. Joſeph & SS. NN. adjuvate meam impotentiam. Magnificate mecum & pro me iſtum Dominum meum hic præſentem, & exaltemus Nomen ejus nunc, & in æternum.

Alius

Alius Actus Adorationis.

ADoro Te Domine JESU Christe, in hoc Sanctissimo Sacramento, quod propter me inhabitare dignaris. Assumo omnes omnium creaturarū salutationes, & affectus, iisque Te omnibus adoro, veneror, & colo, hancq; adorationem in æternum continuare volo. Credo enim, & viva fide profiteor, quia in hoc Sanctissimo Sacramento, Tu es Rex gloriæ Christe. Tu Patris sempiternus es Filius, &c. &c. *ut in Hymno.* Te DEUM laudamus.

Rhytmus S. Thomæ Aquinatis, coram Sanctissimo Sacramento dicendus.

ADoro Te devotè latens Deitas,
Quæ sub his figuris verè latitas:
Tibi se cor meum totum subiicit,
Quia Te contemplans totum deficit.
Visus, gustus, tactus, in Te fallitur,
Sed auditu solo tutè creditur,
Credo quidquid dixit DEI Filius,
Nil hoc veritatis verbo verius.
In cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul & Humanitas;
Ambo tamen credens, atquè confitens,
Peto, quod petivit latro pœnitens.
Plagas sicut Thomas non intueor;
DEUM tamen meum Te confiteor.
Fac me Tibi semper magis credere,
In Te spem habere, Te diligere.

O memo-

O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam præſtans homini;
Præſta menti meæ de Te vivere,
Et Te illi ſemper dulce ſapere.
Pie Pelicane JESU Domine,
Me immundum munda tuo ſangvine.
Cujus una ſtilla ſalvum facere
Totum mundum quit ab omni ſcelere,
JESU, quem velatum nunc aſpicio,
Oro, fiat illud, quod tam ſitio,
Ut Te revelata cernens facie,
Viſu ſim beatus tuæ gloriæ, Amen.

Oratio Sancti Auguſtini coram Sanctiſſimo Sacramento dicendo.

DOmine JESU noverim me, noverim Te,
Nec aliud cupiam niſi Te. (pter Te.
Ut odiã me, & amẽ Te, Quidquid agã pro-
Humiliem me, exaltem Te. Nihil cogitem, niſi Te,
Mortificem me, & vivam in Te;
Quæcunquè veniant, accipiam à Te.
Perſequar me, ſequar Te; Semper optem ſequi Te,
Fugiã me, cõfugiã àd Te; Dignus ſim defendi à Te.
Timeam mihi, timeam Te, Simq; de Electis à Te.
Diffidã mihi fidã in Te. Obedire velim propter Te.
In nullo afficiar niſi in Te, Aſpice me, ut diligã Te.
Voca me, ut videam Te, Et in æternum potiar Te.

Similter

Similiter Oratio S. Ignatii.

ANima Christi sanctifica me:
Corpus Christi salva me:
Sangvis Christi inebria me:
Aqua lateris Christi lava me:
Passio Christi conforta me:
O bone JESU exaudi me:
Intra vulnera tua abscønde me,
Et ne permittas me separari à te:
Ab hoste maligno defende me:
Ab omni peccato libera me:
In hora mortis meæ voca me;
Et jube me venire ad Te,
Ut cum Sanctis & Electis tuis
Laudem Te, in sæcula sæculorum.

Oratio quoq; S. Francisci.

O Domine DEUS meus, quis es Tu, & quis ego? ecce hic sto ante Te Domine, tanquam mendicus ante divitem, petens, ut divitias Gratiæ tuæ mihi pro modulo meo participare velis.

O Domine JESU, hic sto ante Te, ut servus ante Dominum, petens cibum & potum Corporis & Sangvinis tui, simul & vestem Charitatis, quæ multitudinem operit peccatorum.

O Domine, hic sto ante Te, ut reus ante Judicem terribilem, petens ut mihi Judex pius esse velis, quando separabitur anima mea à corpore, & ante Tribunal tuum præsentabitur.

O Domine

O Domine hìc ſto ante Te, ſicut amicus ante Amicum, petens ut eximia Charitas tua trahat me ad Te, me liget in Te, & non permittat me unquam ſeparari à Te.

O Domine hìc ſto ante Te, tanquam filius ante Parentem, petens confidenter, ut neceſſaria, & ſalutaria quæq; mihi provideas, & Paternam hæreditatem mihi finaliter non velis denegare.

Actus variarum virtutum & affectuum coram Sanctiſſimo Sacramento exercendi.

CRedo firma fide, & confiteor Domine JESU Chriſte, Te in hoc Sacramento eſſe verum DEUM & Hominem, & quidquid Sancta Mater Eccleſia de hoc Sacramento credendum proponit, firmiſſimè amplector.

Adoro Te hìc præſentem, cultu latriæ, affectu totius Eccleſiæ militantis & triumphantis.

Gaudeo de omni honore & gloria, quam habes ab Angelis, & fidelibus, per totum mundum in hoc Sacramento.

Doleo de omnibus Hæreſibus, blaſphemiis, Sacrilegiis, irreverentiis, quibus ab hæreticis, & malis Catholicis in hoc Sacramento offenderis.

Ago Tibi gratias, cum tota Eccleſia tua, pro inſtitutione, adminiſtratione, & uſu hujus Sacramenti, tam mihi, quàm aliis conceſſo.

Deſidero, ut ab omnibus creaturis rationalibus adoreris, & glorificeris in hoc Sacramento, & dignè ſuſcipiaris.

O Domine, totus ſum tuus, eroq; in æternum, ſicut totus meus eſſe voluiſti in hoc Sacramento.

S. S. S. Trinitas, reſpice in faciem Chriſti tui hìc verè præſentis, quem Tibi nunc offero in Sacrificium Latreuticum, Euchariſticum, Propitiatorium.

O Domine, da mihi quæſo gratiam, ut Te in hoc Sacramento, prout oportet, colam, & ſuſcipiam, ac demum in cœleſti convivio, da ut Te fruar in æternum.

Miſerere omnium hominum, pro quibus Sacroſanctum Sangvinem tuum fudiſti. Converte, & renova miſeros peccatores. Da vivis veniam & gratiam: da fidelibus defunctis requiem, lucemquè ſempiternam, Amen.

Hæc ſunt, quibus uti poſſumus viſitando Sanctiſſimum Sacramentum, quod ad minùs ter in die facere deceret: etiam à longè converſa facie ad aliquam Eccleſiam.

ACTUS

Audiendo Miſſam exercendi.

TEmpore Miſſæ, quæ eſt repræſentatio vitæ & Paſſionis Chriſti D. N. *bonum eſt tunc iſta myſteria recolere; videlicet, ab Initio, ipſius ſacratiſſimam Incarnationem, Nativitatem, Infantiam. Ab Evangelio, ad Sanctus; ipſius laborioſam vitam & Prædicationem. A Canone, Captivitatem ejus, Flagellationem, Coronationem, Crucis bajulationem. In Elevatione, ipſius Cru-*

us Crucifixionem. In Communione ſepulturam. Vel attendendo ad illa, quæ à Sacerdote dicuntur, eadem mente revolvere, & meditari. Vel præmiſſa Directione, ſeu Oblatione audiendæ Miſſæ, Actus variarum virtutum & affectuum exercere; & ad Communionem ſpiritualem ſeſe diſponere.

Actus Oblationis Miſſæ.

O Pater æterne, qui ſic dilexiſti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares pro redemptione noſtra: quid pro tanto munere & amore retribuam Tibi? Ecce ipſum Filium tuum unigenitum; quo nihil Tibi charius, nihil nobis pretioſius, in Sacroſancto Miſſæ Sacrificio offert Tibi Sancta Eccleſia. Suſcipe igitur Sancta Trinitas unus DEUS hoc Sacroſanctum Sacrificium Corporis & Sangvinis Domini noſtri JESU Chriſti, quod ego indignus ſervulus tuus, unà cum Sacrificiis omnibus Tibi unquam oblatis aut offerendis, unitum Sanctiſſimo Sacrificio ab eodem Domino noſtro, in ultima cœna, & ara Crucis oblato, per manus Sacerdotis offero Divinæ Majeſtati tuæ, omni poſſibili pietatis affectu, ex puro amore tuæ infinitæ bonitatis, ſecundum Sanctiſſimam ejuſdem Domini noſtri, & Sanctæ Matris Eccleſiæ intentionem.

Ad maximam æternamquê Divinæ Majeſtatis tuæ Gloriam, Amorem, & Beneplacitum.

In proteſtationem ſupremæ excellentiæ, & Dominii

minii tui, & nostræ subjectionis, & dependentiæ à Te.

In perpetuam commemorationem Passionis ac Mortis ejusdem Domini nostri.

In honorem augmentumquè gloriæ B. Virginis, totiusquè Curiæ cœlestis.

In gratiarum actionem pro omnibus beneficiis Sanctissimæ Humanitati Christi Domini nostri, B. Virgini Matri ejus, omnibus Beatis, & Patronis meis, singulariter S. Joseph, & Sanctis N. N. atquè Prædestinatis, & mihi indignissimo hucusq; collatis & conferendis in æternum.

In satisfactionem peccatorum meorum, omniumquè fidelium vivorum & defunctorum.

Præcipuè verò offero pro his N.N. vel pro hac gratia obtinenda. Secundariò pro his NN. mihi peculiariter commendatis, omnibusquè pro quibus orare soleo & teneor: ad impetrandam defunctis, requiem, & vivis gratiam Te agnoscendi, amandi, glorificandi, nunc perfectè in via, deinde beatè in cœlesti patria.

O Si Divinissimo huic memoriali Passionis Domini nostri, monumento Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis ejus assistere possem ea attentione, devotione, reverentiâ, quàm exigit ipsius Divinæ Majestatis præsentia? Desidero id præstare, ex totis præcordiis meis. Suscipe & perfice hoc desiderium meum, ô clementissime DEUS meus, & ad id complendum copiosam gratiam & benedictionem, largire. Per merita ejusdem Christi

Domini

Domini nostri, & B. Virginis Matris ejus, ac omnium Sanctorum.

Post hæc, vel Actus virtutum pro singulis Feriis suprà destinatos: vel varios affectus in Pactis suprà positis contentos exercere licebit.

Actus tempore elevationis Hostiæ & Calicis exercendi.

O JESU Fili DEI & MARIÆ Virginis, Dominus meus, & DEUS meus infinitè amabilis, qui amore mei crucifigi, & in cruce mori dignatus es, adoro, amo & glorifico Te, omnium creaturarum possibilium possibili affectu, cum Patre & Spiritu Sancto; & ex animo desidero, ut adoreris, ameris, & glorificeris infinities ab omnibus, in omnibus, super omnia, omni possibili modo, gratis, propter Te, nunc, semper, in æternum, & ultrà.

Credo in Te, spero in Te, amo Te, & quidquid amas, propter Te; Doleo Purè propter Te, quòd unquam offenderim Te. Ignosce, indulge, supple per Te.

En ex hoc momento paratum cor meum ad omnem nutum tuum. Tuus sum, eroquè in æternũ, posside me, & tuæ voluntati penitus conforma.

Pater respice in faciem dilectissimi Filii tui, quem tibi in Sacrificium laudis, gratiarum actionis & propitiationis offero, & per illius lacrymas, sudorem & sangvinem, per gemitus & suspiria, per labores & obsequia, per dolores & supplicia,

per infinita ejus merita miserere mei, illorū N.N. & omnium, pro quibus mortuus est, gratiam largiens Te perfectè semper amandi, tuamq; Sanctissimam voluntatem amplectendi, & exequendi, in tempore & æternitate.

Per eundem dilectum Filium tuum miserere misericordissime Pater animarum fidelium defunctorum mihi peculiariter commendatorum N. N. omnibusquè pro quibus præcipuè me vis orare; veniam & requiem æternam illis clementer indulgendo, ut Te æternùm benedicant, laudent & glorificent, cui debetur omnis laus, Honor & Gloria.

Qui vult potest addere aliquem Actum ex illis, qui sunt suprà positi, pro visitando Sanctissimo Sacramento.

Actus Laudis Sanctissimi Sacramenti tempore elevationis exercendus.

DIgnus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, & Divinitatem, & Sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. *Apoc: 5.*

LAUDETUR SS. SACRAMENTUM Tot Laudibus.

QUot in cœlo Stellæ, in igne scintillæ, in àëre atomi, in mari guttæ, in terra pulveres: quot Vere flores, Æstate grana, Autumno folia, Hyeme nives, & grandines: quot corporeæ in universo creaturæ: quia dignus es, Domine

Domine universorum, qui sub corporeis vini & panis speciebus latens, verè Tu es DEUS abscon-ditus.

LAUDETUR SS. SACRAMENTUM
Tot Laudibus.

QUot ullo opere exhiberi, quot ore proferri, quot corde omnium hominum excogitari unquam potuêre vel possunt. Quia dignus es Tu Domine & Pater noster: qui nos cibas & potas quotidie, à quo semel redempti sumus preti-oso Corpore & Sangvine, quasi Agni immaculati.

LAUDETUR SS. SACRAMENTUM
Tot Laudibus.

QUot omnes Angeli, quot Sanctissima Tri-nitas suâ Potentiâ depromere, Sapientiâ concipere, Bonitate optare potest, omni modo, omni loco, omni tempore, in æternum, & ultrà. Quia dignus es Tu Dominus DEUS me-us, qui nobis donas non tantùm Humanitatem, verùm etiam Divinitatem tuam. Dominus meus & DEUS meus, laudabilis, & gloriosus, & super-exaltatus in sæcula.

Hoc Actu possumus uti, tum post Communio-nem Sacram; tum visitando SS. Sacramentum.

Actus pro Communione Spirituali.

O Domine JESU, agnosco Te verum esse panem vivum, qui de cœlo, ut nos teipso pasceres, descendisti, & intra has species

panis & vini mira dulcedine, stupenda dignatione, potentiâ admirabili Te abdidisti: scio Te cupidum pascendi animam meam.

Credo verbo quod dixisti: Qui manducat me, vivet propter me. Ecce panis vive, miser ego fame & frigore penè confectus, infirmitatibus multis obnoxius, accedo ad Te, ut manducans Te, plenius & verius vivam de Te, fovear à Te, & saner à Te; confido Te non aversaturum indignitatem, infirmitatem & inopiam meam.

Sed verè profiteor, quòd non sum dignus, ut intres sub tectum meum, propter multitudinem & gravitatem peccatorum meorum, de quibus nunc ex amore tui doleo; quia Te DEUM infinitè amabilem, offendi. Utinam non amplius Te offendam! Ideòq; etiam non præsumo Te modò inducere in hospitium cordis mei, Sacrosancti Corporis tui reali manducatione: sed scio & credo cum Centurione, Te etiam absentem, id est, sine Sacramentali Communione, uno solo verbo me posse curare, ditare, & sanctificare.

Veni igitur ad me Domine, & sana peccatricem animam meam, ciba esurientem, refice imbecillem: Tu qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti; vivifica me, pasce me, sanctifica me hoc Sacrosancto Corpore & Sangvine tuo.

Veni Domine JESU; veni dilecte mi; veni DEUS meus, Dominus meus, Spes mea, Amor meus & omnia; posside regnum cordis mei; conforma

forma illud Cordi tuo, ut idem velit, idem nolit tecum, nunc semper & in æternum: & spero, quia exaudies, vel jam ob tuam infinitam benignitatem exaudisti vota, desideria, & preces pauperis. Itaquè omni possibili affectu Tibi gratias ago: sit benedicta in æternum infinita Bonitas, Charitas & Misericordia tua, quam multiplicas super me indignum & ingratum, sic Te mihi communicando in socium, edulium, pretium, & præmium. En ex hoc momento Te, & quidquid amas, amo, & amabo super omnia in æternum: gaudeo de omni perfectione, beatitudine & beneplacito tuo, mequè Tibi usq; in mortem, & annihilationem mei resigno. Supple pie JESU, imperfectum meum, & miserere mei, libera me ab omni peccato, fac me tuis semper inhærere mandatis, & à Te nunquam separari permittas.

ACTUS

Pro Sacra Communione & Missa.

PRæmittitur de *Præparatione, tum ad piè communicandum, tum ad celebrandum Informatio.* Tantum tamq; ineffabile Christus in Sanctissimo Sacramento nobis præstitit beneficium, ut, *teste S. Augustino Tract: 84. in Joan: Cum Dominus sit Omnipotens, plùs dare non potuerit: cum sit Sapientissimus, plùs dare nesciverit: cum sit Ditissimus, plùs dare non habuerit:* quòd nihilominùs parvi æstimant tepidi, ignavi & ingrati Catholici, qui cum modica Præparatione, ponde-

ponderatione, & devotione ad illud ſumendum ſæpè accedunt, non conſiderantes quid percipiunt; nec infinitam hujus SS. Sacramenti præeminentiam & excellentiam. Itaquè ut, non ad judicium, nec ad damnationem noſtram, illud percipiamus, debitum modum ſeu Præparationem hac in re adhibeamus.

Præparatio hæc eſt duplex: Remota & Proxima. Remota conſiſtit in vitæ Sanctitate, quæ requirit, Fugam peccatorum etiam minimorum, Mortificationem & abnegationem ſui, Orationis exercitium, & Præſentiæ DEI, ac virtutum, ſingulariter Contemptum ſui, atq; continuum Conatum ad intimam Unionem cum DEO ineundam.

Proxima conſiſtit primò. In Puritate conſcientiæ, quam debemus procurare, vel per Sacramentalem Confeſſionem omnium peccatorum, etiam venialium voluntariè commiſſorum: vel per veram Contritionem etiam de minimis DEI offenſis dolendo. Verùm, ſi aliquis, quod abſit, in peccatum mortale laberetur, hoc omninò per Confeſſionem expiandum eſſet.

Secundò conſiſtit in Devotione, quæ naſcitur in nobis ex pia tanti myſterii conſideratione, ex cujus defectu nauſeat anima multorum ſuper cibo iſto, tanquam leviſſimo. Debemus enim conſiderare *Quis* nobis in SS.Sacramento offertur, *Quid, Cui, Cur, Quomodo?* Offertur enim nobis totus Chriſtus, qui eſt verus DEUS & Homo perfectus: itaquè datur hic nobis Divinitas & Humanitas

Chriſti:

Christi: datur Corpus, Sangvis, & Anima ejus benedicta: datur vita, actiones, labores, Passio & merita ipsius: datur Pater & Filius & Spiritus Sanctus: quia omnes tres Personæ Divinæ sunt unus DEUS; & ubi est una, ibi simul est & altera & tertia. Dantur omnes gratiæ & dona cœlestia: quia datur DEUS, qui est fons omnium gratiarum & donorum cœlestium. Insuper dantur hìc nobis omnia; quia DEUS est Omnia. *Quis offert?* Ipsemet Christus, qui est Unigenitus DEI Filius; offert & DEUS Pater suum Filium; offert & Spiritus Sanctus, qui est unum cum Patre & Filio. *Cui offert?* Homini vilissimo & abominabili peccatori, ingrato servo, infideli, inobedienti, & quod plùs est, inimico, & proditori. *Cur offertur?* In cibum & potum; in animæ nostræ Nutrimentum, & ut intimè Christo uniamur, ac in ipsum transformemur; ut maneamus & vivamus in illo, & ipse in nobis; ut repleat nos donis cœlestibus; ut pignus futuræ gloriæ & vitæ æternæ habeamus. *Quomodo offertur?* Cum admirabili Charitate, benignitate, clementia, humilitate, patientia; immò cum summa suæ Divinæ Majestatis exinanitione offert se hìc nobis Christus, Rex Regum, & Dominus Dominantium.

Hæc igitur ante SS. Communionem ponderanda sunt, ut excitemus in nobis veram Devotionē, & per hanc, simul profundam Humilitatem, debitam Reverentiam, ardentem DEI Amorem, præcipuè verò vehemens Desiderium, & inflammatū

Fervorem,

Fervorem, ut non ex arida consvetudine, & cum tepiditate ingratissima DEO, quæ impedit, ne hoc SS. Sacramentum in anima nostra suum effectum producat, & ne aliquam ipsi gratiam communicet: sed ex ardenti affectu, & desiderio ferventi honorandi DEUM, & uniendi se intimè cum eo, unusquisquè ad illud percipiendum accedat.

Possumus quoq; pro devotione nobis paranda, & illis affectibus prædictis, videlicet, Humilitatis, Reverentiæ, Amoris DEI &c. in nobis excitandis, considerare Christum Dominum sub variis titulis; nimirum, quòd sit DEUS, Dominus, Salvator, Rex, Judex, Pater, Magister, Advocatus, Pastor, Medicus, Frater, Amicus, Sponsus, Sol, Lux, Fons aquæ vivæ, Cibus animarum nostrarum, Leo, Agnus, Aquila &c. quorum nominum multorum considerationes habentur apud Molinam Carthus:

Et hæc accommodare unusquisquè valebit ad quotidianam Præsentiam DEI; nimirum.

Die Dominico; Quòd sit Pastor, qui nasci dignatus est in stabulo, ut ibi inveniret ovem perditam; seu hominem ut jumentum factum.

Fer: 2. Quòd sit Magister, qui pedes Discipulorum suorum lauando docuit nos humilitatem.

Fer. 3. Quòd sit Advocatus noster, qui in horto obtulit seipsum ad mortem, ut nos Patri Æterno reconciliaret.

Fer. 4. Quòd sit Iudex, qui pro nobis iniustè judicatus est; & ideò vivorum & mortuorum Judex factus est.

Fer:

Fer. 5. Quòd ſit Rex, qui pro nobis ludibrioſâ purpurâ indutus & ſpineâ coronâ ornatus eſt.

Fer. 6. Quòd ſit Pater noſter, qui tanquam Pelicanus verus Sangvine proprio pullos ſuos, id eſt, nos filios ſuos vivificavit.

Sabbato: Quòd ſit Medicus, qui per vulnera ſua ſanavit vulnera noſtra, & qui morte ſua ab infirmitatibus, & à morte nos liberavit.

Et quoniam Religioſi noſtri pro præparatione ad S. Communionem ſolent conſiderare aliquod Punctum ex Evangelio Feſti occurrentis; ideò credant ſe optimè facturos, illud Punctum conſiderationis dirigere ad Chriſtum Dominum ſub aliquo titulo; ita, ut, ſi in illa conſideratione adverterint, quòd ſint inobedientes; tunc conſiderent Chriſtum, ut Dominum, & ſupremum Superiorem ſuum, cuius mandata tranſgrediuntur: ſi verò cognouerint, quòd ſint tranſgreſſores legum & Conſtitutionum Religionis; tunc Chriſtum Dominum agnoſcant ut Regem, & Legiſlatorem, cuius leges non ſervant: ſi autem perſpexerint, quòd non habeant mortificatas paſſiones; quòd ſint procliues ad iram, ad commoditates, & æſtimationem ſui, vel honorem: tunc proponant ſibi Chriſtum Dominum ut Salvatorem noſtrum, qui pro ſalute noſtra factus homo, fuit manſvetus, humilis, fugiens commoditates, ac omnia oblectamenta, & honorem. Et hoc debet eſſe ante exercitium Actuum variorum affectuum, qui debēt exerceri proximè ante Communionem, ad quam eundo cogitandum eſt, quòd ego

venio

venio ad Regem meum, vel Dominum meum, vel JESUM Salvatorem meum, aut ſub aliis titulis. Nam talis cogitatio, & Recollectionem, & Devotionem affert nobis.

Quod ſi cuipiam id non placuerit, aut difficultatem aliquam in hoc ſentiret; tunc more ſolito, conſideret aliquod punctum ex Evangelio Feſti occurrentis, & aliqua faciat propoſita tum extirpandi hoc vel illud vitium, defectum & imperfectionem, quam ſæpius committit; tum mortificandi certam paſſionem ſibi magis moleſtam; tum exercendi quampiam virtutem ſibi magis neceſſariam (quod ſimiliter fiat ante exercitium Affectuū) & hæc Propoſita poſt Communionem renovet, & offerat Domino noſtro, à quo gratiam, ad exequenda illa, ferventer petat.

Poſſumus præterea & Orationem quotidianam matutinā mentalem pro Præparatione ad SS. Communionem dirigere, & Propoſita facta in Oratione, ſumpto SS. Euchariſtiæ Sacramento, renovare, & Chriſto Domino offerre, & ab illo auxilium, ad illa implenda, poſtulare.

Actus variorum Affectuum & virtutum, ante Missam & Communionem exercendi.

O Superdilectiſſime JESU, qui propter nos homines noſtramq; ſalutem deſcendere de cœlis, & incarnari de Spiritu S. ex MARIA Virgine, & Homo fieri; ac in laboribus jejuniis, vigiliis, in ſumma humilitate, paupertate, obedi-

entia; patientia, omniumq; virtutū perfecta exercitatione, in mundo vivere: præterea acerbissimos dolores, angustias, plagas, innumera cruenta vulnera, & varia Passionis tormenta perferre, Sacratissimum Sangvinem totum effundere; denique in Cruce mortem crudelissimam & ignominiosissimā pro nobis subire; & in horum perennem memoriam SS. Eucharistiæ Sacramentum instituere dignatus es, in quo Corpus tuum in cibum, & Sangvinem in potum fidelibus tuis dedisti, & à nobis offerri & sumi, in omnem desiderabilē fructum animarum nostrarum & salutem ordinasti.

Actus Admirationis. O admirandam tuam bonitatem, dulcedinem, pietatem ac liberalitatem, per quam, tam magnum ac singulare beneficium, tantum & tam ineffabile donum nobis contulisti, ita, ut, quamvis Omnipotens sis, plùs dare nobis non possis: quamvis infinitè Sapiens, plùs dare nescias: quamvis Ditissimus sis, plùs dare non habeas.

Actus Fidei. Credo enim firmissimè, & vera atq; viva fide profiteor, quia Tu ipse, DEO Patri æqualis in gloria & potestate, in hoc Sacramento, verè & realiter præsens es, perfectus DEUS, & Homo perfectus, Dominus, Creator & Gubernator universorum immensæ Majestatis, totus, qui es, & tantus, quantus es, cum omnibus gratiis, virtutibus, & meritis vitæ & Passionis tuæ; quæ omnia nobis in SS. Sacramento donas.

Humilitatis. Ad quod Sacramentum, & ad tuum Sacratissimum Corpus & Sangvinem pretiosum

ſum (offerendum &) ſumendum, ecce nunc, Benigniſſime JESU, me viliſſimum & indigniſſimum hominem, inutilem & infidelem ſervum tuum vocas. Sed, ô bone JESU, quomodo ſine pudore & confuſione, aut quomodo ſine timore ac tremore ad Te accedere audebo ego ingratiſſimus homuncio, qui pro tot beneficiis à Te ſuſceptis, & pro tam frequenti SS. Euchariſtiæ receptione, nihil niſi offenſas graviſſimas, & injurias maximas Tibi ſemper reddidi, & uſq; nunc reddo? Quomodo ego iniquiſſimus peccator, & homo flagitioſiſſimus, ac ſordibus innumerabilium ſcelerum plenus coram Te apparebo? Quomodo ego pulvis & cinis, viliſſimus terræ vermiculus, & abominatio omnium creaturarum maxima Tibi Domino tremendæ Majeſtatis appropinquabo? Verè agnoſco & confiteor, quia Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ob multitudinem & gravitatem peccatorum meorum. Et iterum non ſum dignus, ob multiplicitatem beneficiorum tuorum, & ingratitudinum mearum. Et centies millies, ac infinities non ſum dignus, ob corporis & animæ fœditatem, & abyſſalem mei nihili vilitatem. Nihil enim mihi debetur, niſi æterna à Te repulſa: niſi gehennæ cruciatus ſempiterni: niſi ut hoc momento aperiat ſuas fauces infernus, & me devoret propter plurima peccata, & abominabilia ſcelera mea.

Contritionis. De quibus peccatis omnibus & ſceleribus meis, jam non ex metu pœnarum inferni,

ferni, ſed ex puro & gratuito amore tui, atq; intenſiſſimo & omni poſſibili compunctionis affectu doleo, & dolere ſemper ſingulis momentis temporis, & æternitatis deſidero.

Spei. Et quia major eſt Bonitas & Miſericordia tua, quàm mea iniquitas & malitia; ideò confido me veniam peccatorum meorum, & gratiam emendandi vitam meam à te obtenturum: prætera per Sacramenti hujus vitaliſſimi virtutem ſpero æternæ me gloriæ compotem fore, tequê in ſempiternum fruiturum; quamvis omnia ſolus peccata commiſiſſem, quæ à mundi exordio non modò ab hominibus ſceleratis, verùm etiam à Dæmonibus ſunt commiſſa: Et quidni ſperem in te, ô ſumma Spes, & unica Salus animæ meæ! qui non veniſti vocare juſtos, ſed peccatores, & qui pro nobis impiis & peccatoribus mori dignatus es.

Charitatis. Verè enim DEUS Salvator meus es, & Bonus es ſuper omne bonum: & ideò diligo te Chriſte JESU, qui ex nimio amore mei in carnem veniſti, & ad mortem uſq; me dilexiſti, & in ſignum hujus amoris in Sacramento teipſum mihi dediſti. Amo, inquam, te ſuper meipſum & omnia; aut certè ſic amare te, & tibi ſoli ſemper adhærere vehemẽter deſidero. Utinam per virtutem Sacramenti hujus, tanta inter te & me coáleſcat amoris unio, ut nihil me ſeparare queat à Charitate Chriſti Salvatoris mei.

Conformitatis. Et quamvis ego ſim nequam & peſſimus, & indignus ullo tuo beneficio: tamen

quia tu es infinitè Bonus, qui ex tua infinita bonitate me ad te venire jubes, & ut ego Sacrũ Corp9 & Sangvinẽ tuum nunc (offeram &) sumam, vis & dignaris: ideò non ex aliqua præsumptione, neq; ex propria quæsitione, sed ex sola hac tua dignatione & voluntate, cui amanter obedire debeo & volo; neq; ex affectu meo tepido & indevoto; sed amantissimæ & devotissimæ Matris tuæ, Beatorum Angelorum, & hujus diei Sanctorum, Patronorumquè meorum specialium, & omnium glorificatorum, omniumq; justorum & animarum purgandarum, & universarum possibilium creaturarum possibili reverentiæ, gratitudinis, amoris & devotionis affectu, desidero ex toto corde superdignissimum hoc (Sacrificium offerre &) Sacramentum devotè sumere: idq; in unione excessivæ illius Charitatis, quâ tu DEUS noster pro nobis Homo fieri, pati & mori, & hoc Sacramentum in ultima cœna instituere & à nobis in tui memoriam (offerri &) sumi ordinasti & voluisti: & in unione devotionis & amoris, quo devotissima Mater tua & omnes Sancti ac justi, qui nos præcesserunt, te in hoc Sacramento tam fructuosè sumpserunt.

(*Pro Sacerdotibus.* Volo autem offerre hoc Sacrosanctum Sacrificium Corporis & Sangvinis tui, unitum illi Sanctissimo Sacrificio, quod tu ab æterno, & à primo in mundum ingressu, totâ vitâ offerre desiderasti, atquè in ultima cæna & cruce obtulisti, & nunc offers tanquam Summus

& sempiternus Pontifex assistens ad dexteram DEI Patris, & interpellans pro nobis; unâ cum Sacrificiis omnibus tibi placitis unquam oblatis, & hodie per totum mundum, & deinceps unquam offerendis, nomine totius Ecclesiæ tuæ Sanctæ, ex puro & sincero amore tui, ac desiderio placendi tibi, tuiq; Sanctissimi beneplaciti complendi, & faciendi, quod tu ipse instituisti ac præscripsisti, secundum tuam Sanctissimam, ac S. Matris Ecclesiæ intentionem.)

Intentionis. Ad maximam, infinitam æternamq; tuæ Divinæ Majestatis laudem, cultum, obsequium, honorem & gloriam.

In recognitionem & protestationem supremæ tuæ Excellentiæ & Dominii tui in me & in omnes creaturas, & omnimodæ nostræ subjectionis, servitutis, & dependentiæ à te.

In memoriam & venerationem tuæ Sacratissimæ Incarnationis, Nativitatis, Vitæ, Passionis, Mortis, Resurrectionis, & Ascensionis tuæ.

In honorem & augmentum gloriæ B. Virginis MARIÆ & Angelorum, Sanctorumq; hujus diei, & Patronorum meorum, omniumq; Beatorum.

In gratiarum actionem pro omnibus donis, gratiis, privilegiis & charismatibus Sanctissimæ tuæ Humanitati, & B. Virgini Matri tuæ, Sanctis hodiernis, Patronis meis, & omnibus Beatis ac prædestinatis, & pro beneficiis mihi indignissimo hucusq; collatis & conferendis in æternum.

In satisfactionem & propitiationem pro meis,

omniumquè fidelium vivorum, & defunctorum peccatis.

Ad efficaciter impetranda omnia bona nobis ad tuum Divinum obsequium, & salutem nostram necessaria, corporalia & spiritualia, temporalia & æterna: & pro impetrandis omnibus donis tuis, quibus egeo usq; ad beatitudinem vitamq; æternam consequendam. Specialiter autem pro obtinenda meritorum tuorum participatione, peccatorum meorum remissione, & à futuris præservatione, extirpatione vitiorum N. N. mortificatione passionum N.N. acquisitione virtutum N.N. vitæ Sanctitate, atquê cordis puritate, & pro finali in gratia tua perseverantia, & bona morte.

Sacerdotes addant. Pro Ecclesiæ tuæ custodia contra hostium insultus & pericula, Adunatione in vera fide, spe, & charitate: Directione per Spiritum tuum, Beatos Angelos, ac bonos Prælatos, Reges & Principes: ac in omnibus Reformatione.

Pro Summo Pontifice Papa nostro, Cardinalibus, Patriarchis, Episcopis, Abbatibus, Parochis & aliis curam animarum gerentibus: in speciali pro R.P.N. Generali, & aliis nostri Ordinis Prælatis, ut omnes dignè & utiliter præsint, ad suam & subditorum salutem.

Pro Sacerdotibus, & universo Clero, eorumquè vitæ sanctitate & cordis puritate.

Pro Statu Religionum sanctarum, & cunctis Religiosis, præsertim nostræ, & fratribus nostris: pro conservatione Observantiæ regularis, & perfecta Votorum nostrorum redditione. Pro

Pro Auguſtiſſimo Chriſtianorum Imperatore & Sereniſſimo Rege noſtro, & cunctis Magnatibus ac Senatoribus hujus Regni atq; Nobilibus: cæteriſq; Catholicis Principibus, eorumq; directione, proſperitate, mutua pace ac concordia: & adverſus hoſtes Eccleſiæ victoria.

Pro Turcarum, Infidelium, Hæreticorũ, Schiſmaticorum, eiſq; faventium, & cæterorum Eccleſiæ adverſariorum repreſſione, expugnatione, & converſione.

Pro univerſo omnium Statuum populo tuo, ut ſinguli juxta ſtatum ſuum dignè Tibi ſerviant.

Pro juſtorum conſervatione, profectu, & finali perſeverantia.

Pro peccatorum digna pœnitentia, emendatione & juſtificatione.

Pro captivorum, ægrotantium, tentatorum, peregrinantium, pauperum & omnium afflictorum conſolatione, & ſalutari liberatione, ſicut vis, ſcis, & potes.

Pro temporum tranquillitate, morborum depulſione, & omnium neceſſariorum convenienti proviſione.

Pro animarum purgandarum refrigerio, luce, & quiete.

Pro omnium negotiorum noſtrorum directione & felici conſummatione.

Pro meis & fratrum meorum parentibus, conſangvineis, fratribus, confœderatis, benefactoribus, amicis & inimicis noſtris, meæ curæ com-

missis & commendatis, & pro his, quos quovis modo offendi, vel qui me unquam offenderunt.

Deniq; pro omnibus ac singulis, pro quibus tu nos vis aut tenemur, vel intendimus orare: juxta singulorum gradum & necessitatem, meamquè obligationem, vel specialem intentionem, & maximè juxta sapientissimam tuam dispositionem, atq; Paternam bonitatem: non juxtà meam tepiditatem & indignitatem.

Petitio. O Pater misericordiarum dives in omnes qui invocant nomen tuum: me & omnes illos, quos cõmemoravi, cum necessitatibus nostris, tam interioribus quàm exterioribus in manus tuas paternas commendo & resigno; in ea perfectissima resignatione, qua tu teipsum in horto cum sudore sangvineo, & in Cruce, cum lachrymis DEO Patri commendasti & resignasti: ex affectu tuo, & tecum dicens: Abba, Pater, omnia tibi sunt possibilia; si vis potes nos exaudire. Ergo sicut scis expedire ad tuam gloriam & animarum salutem, & sicut vis & potes, exaudi nos.

Specialiter autem, obsecro te, Pastor bone, & Panis vive, JESU dulcissime, da nobis hodie sic carnem tuam manducare, & sangvinẽ tuum bibere: teq; perfectum DEUM & Hominem in hospitium cordis nostri sic recipere, ac retinere, ut fructum omnem, ad quem hoc Sacramentum instituisti, & quem in præcedentibus Sanctis tuis operatus es, in nobis etiam opereris: & maximè ut juxta verbum tuum, in te maneamus; & per

te,

te, ac propter te vivamus, & omnia operemur; tuq; viciſſim in nobis maneas, vivas, & liberè opereris quæcunq; volueris.

Suſcipe ergo me Domine JESU ſecundum eloquium tuum, & non confundas me ab hac expectatione mea: Et in Sacris vulneribus tuis & Sangvine ablue me, & emunda ab omnibus immunditiis meis & negligentiis: Sana & præſerva à peccatorum vulneribus & reliquiis: Da mihi omnes virtutes & juſtitias vitæ & Paſſionis tuæ; & præpara tibi locum in anima mea juxta beneplacitum & guſtum tuum, in quo teipſum recipere & habitare digneris.

Præterea da mihi omnia merita & virtutes, omnem fidem, reverentiam & devotionem: omnem puritatem, charitatem & gratitudinem; quibus devotiſſima Mater tua & Sancti hujus diei, & omnes Patroni mei, atq; Beati & Electi hoc Sacramentum, dum hic in terris adhuc eſſent, venerati ſunt, ſuſceperunt, & obtulerunt, atq; etiam nunc venerantur & adorant: & quibus tui amici, & juſti omnes ſpecialiter devoti adhuc in hac vita degentes, quotidie illud venerantur, & adorant, offerunt & ſuſcipiunt.

Deniq; in altiſſimo amore, quo poſſibile eſt cor noſtrum erga te affici, & cum vehementiſſimo deſiderio, & reverentia digniſſima, quibus unquam exceptus es ab aliquo Sanctorum; da mihi & omnibus tuis devotis hodie & deinceps Sacroſanctum Corporis & Sangvinis tui Sacramentum

(offerre &) sumere cum tali intentione, ac si omne desiderium & reverentiam, omnemq; amorem, quo unquam cor humanum aliquod flagravit, haberemus: Tu amorem illum in me suscipe, non prout est in me, sed ac si talis ac tantus esset, quantum eum esse vellem. Suscipe me etiam hodie in holocaustum perpetuum: ecce enim cum hac Sacra (Oblatione &) sumptione Corporis tui Sacratissimi, in ea Charitate, qua DEUS Pater te nobis dedit, & tu temetipsum in ara Crucis pro nobis DEO Patri obtulisti: & per Spiritum S. à fidelibus tuis in Missæ Sacrificio offeris, & teipsum offers: offero etiam tibi in æternum beneplacitum tuum meipsum totum, & quidquid possum, & habeo cum universa creatura ad relinquendum, agendum & patiendum quidquid volueris in tempore & æternitate.

Aspirationes B. Paschalis Babylonii, quibus ipse utebatur ante Communionem.

O Immense Domine DEUS meus, qualis hæc liberalitas tua, & quanta magnificentia tua, quam mihi tribuis, quòd cum sis DEUS Omnipotens & æternus, Creator & Redemptor meus, jubes ut te in cordis mei visceribus recipiam, & in pectoris mei abscondam arcanis.

O Bone JESU! O Salus mea! Pauperculam animam meam Tibi offero, & cor meum tepidũ Tibi trado. Fons aquæ vivæ munda me.

O Cœle-

O Cœlestis Pater, da mihi virtutem ad opus hoc maximum perficiendum!

O Fili, Sapientia Patris, da mihi intellectum & prudentiam!

O S. Spiritus, Amor Patris & Filii, accende cor meum, & animam meam igne tuæ charitatis purifica, ut hoc Sanctissimum Sacramentum, viva fide, & pura mente recipiam!

Istæ quoq; Petitiones multùm à multis commendantur.

INeffabilem misericordiam tuam DEUS æterne Pater omnipotens humiliter exoro, ut Filium tuum Unigenitum eo mihi affectu in SS. Eucharistia, & cum illa cœlestium donorum copia largiaris, cum qua eum Virgini Sanctissimæ in Incarnatione dedisti.

Obsecro te Unigenitum DEI Patris Verbum, ut cum eo affectu, & cum illa cœlestium donorum plenitudine animæ meæ peccatrici te communices, cum qua te communicare dignatus es Matri tuæ Sanctissimæ in tua Incarnatione.

Te quoq; Dator omnium bonorum, & Largitor Spiritus S. deprecor, ut ita præpares & disponas cordis mei tabernaculum, ad recipiendum SS. Sacramentum & per illud tantum donorum tuorum benignè impertiri digneris, sicut præparasti & disposuisti corpus & animam B. Virginis ad Verbum æternum concipiendum, & quantum per illud eidem gratiarum contulisti.

O inte-

O intemerata, & in æternum benedicta, singularis atq; incomparabilis Virgo Dei-genitrix MARIA, obsecro te, ut mihi impetres tantum erga Christum Dominum in Eucharistia recipiendum amorem, quanto eum prosecuta es, dum eum in vlnis gestares.

Vos, beatæ mentes Angelicæ, imploro, & humiliter exoro, ut mihi tantam reverentiam à Domino nostro impetrare velitis, quanta ei, & in terris commoranti servivistis, & quanta nunc in cœlis ad ejus obsequium vos impenditis.

Vestris meritis omnium Sanctorum Spiritus impetrare mihi dignemini, tantam devotionem, & tantam abundantiam virtutum, ad dignè recipiendum Redemptorem nostrum, cum quanta in carne mortali viventes SS. Eucharistiam recipiebatis, aut Missæ Sacrificium offerebatis.

Rogo te, Domine JESU Christe, per tuam Sanctissimam Humanitatem, ut cum eo, mihi te velis communicare in SS. Sacramento affectu, cum quo suscipere dignatus es carnem fragilitatis nostræ, & cum quo in Cruce Animam tuam dedisti pro nobis, & SS. hoc Sacramentum, in memoriam tuæ Passionis instituisti; & cum ea cœlestium donorum largitione, quæ respondeat tuis meritis per vitam, Passionem, & mortem tuam, pro humano genere acquisitis, in beneficium & ad salutem nostram, ut per hanc plenitudinem donorum cœlestium, humanitas mea, quàm simillima reddatur Sanctitati Humanitatis tuæ; ut fiam mem-

membrum quâm maximê proportionatum tibi Capiti meo.

Deniq; potest addi Actus, qui est suprà pag: 383. his verbis expressus: Actus majoris momenti Actionibus nostris præmittendus.

Præterea ut sit purior anima nostra, ad obtinendam plenariam indulgentiam: possunt, qui volunt, Religiosi, ante hanc præparationem hic positam, Psal: 50. Miserere mei DEUS &c. *devotè recitare.* Et Sacerdotes *pro lucranda indulgentia. 50. annorū, quam Gregorius XIII. concessit cuilibet Sacerdoti dicenti hanc Intentionis Formam.*

Ego volo celebrare Missam, & conficere Corpus, & Sangvinem Domini nostri JESU Christi, juxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ ad laudem Omnipotentis DEI, totiusq; curiæ triumphantis; & ad utilitatem meam, totiusquè curiæ militantis: pro omnibus qui se commendaverunt orationibus meis in genere & in specie, & pro felici statu S. Romanæ Ecclesiæ, Amen. Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam & consolationem S. Spiritûs, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis Omnipotens & misericors Dominus, Amen.

Hæc Præparatio ad Missam & Communionem, quia est prolixior pro impeditis, & variis negotiis distentis: ideò pro illis alia brevior ponitur, in qua multæ virtutes exercentur.

O Dulcis-

O Dulcissime Salvator Christe JESU, qui propter nos homines nostramqué salutem descendisti de cœlis; & incarnari de Spiritu Sancto, ex MARIA Virgine, & Homo fieri, ac mortem crucis acerbissimam & ignominiosissimam subire dignatus es. *Adoro te* in toto corde meo, laudo, & benedico: *& Gratias ago Tibi* ex intimis visceribus animæ meæ, quòd tanta Charitate nos miserè perditos redemeris pretio Sangvinis tui. Et in hujus Amoris tui memoriam, neç non in pignus futuræ gloriæ, tam admirabili Potentiâ, Sapientiâ, & Bonitate dederis nobis in cibum & potum ipsum Corpus & Sangvinem tuum: Deniq; ad hæc Divina Mysteria, me vilissimum peccatorem in numerum tuorum (Sacerdotum) Servorum, tuâ ineffabili clementiâ vocare dignatus sis.

Sed heu infelix ego homo, qui hactenus tam indignè vocatione mea vixi, & toties & tam graviter te DEUM meum offendi peccatis meis (præsertim his N.) At nunc de iis doleo ex intimo corde meo, ob amorem tui super omnia: & deinceps tibi soli servire, placere, & adhærere propono.

Proindeq; nunc accedens ad mensam Convivii tui, ex omni affectu cordis mei tibi (hoc Sacrificium Missæ) dignissimam Hostiam Corporis & Sangvinis tui, quam tu ipse semel pro nobis in ara Crucis obtulisti, pura & simplici intentione *offero* ad Laudem & gloriam æternæ Majestatis

tuæ.

tuæ. In memoriam Sacratiſſimæ Incarnationis, vitæ, Paſſionis ac Mortis tuæ.

In gratiarum actionem pro omnibus donis & beneficiis, toti cætui Electorum, & mihi licet indigniſſimo hucuſquè præſtitis: vel unquam præſtandis.

In propitiationem peccatorum meorum & hominum univerſorum.

Præterea pro ſalute fidelium omnium vivorum, pro Eccleſiæ tuæ Sanctæ Præſulibus & Prælatis atq; Paſtoribus, pro omnibus Statibus Eccleſiaſticis, ſæcularibus, Religioſis, pro omnibus Regibus, Principibus & Magiſtratibus Chriſtianis, pro parentibus, conſangvineis, fratribus, benefactoribus amicis, ac inimicis noſtris, pro illis qui ſe meis orationibus commendarunt, & qui me contriſtaverunt, aut quos ego contriſtavi, offendi, juvare dum potui, neglexi; pro omnibus afflictis, tentatis, infirmis, agonizantibus, in anguſtiis & periculis poſitis, & pro cunctis, pro quibus orare tu me vis, & ego teneor: deniquè pro fidelibus defunctis, ſpecialiter pro his N. N. & quorum nulla eſt apud homines memoria, & qui præ cæteris antiquiùs in purgatorio detinentur.

Et utinam ex omni affectu, fervore, & deſiderio amicorum tuorum, ſeu jam regnantium in cœlis, vel adhuc militantium in terris, hoc tam grande tuæ pietatis opus peragere poſſem, (vel potuiſſem.)

Corde ſiquidem *credo, mi JESU, & ore confiteor,*

fiteor, quia Pater æternus, DEUS seipso summè beatus, potens, perfectus, & nullius egens, secundum infinitam misericordiam suam sic dilexit mundum, ut te Filium suum Unigenitum nobis daret Salvatorem.

Credo quoq; quod tu ipse Patri æqualis per omnia, ex vi immensæ charitatis tuæ de sinu Patris descendisti in uterum Virginis, & propter nos homines Homo factus es.

Credo quod ex amore nostri hoc Sacramentum in ultima cœna instituens, verum Corpus & Sangvinem tuum, id est, teipsum nobis ad manducandum dedisti. Et deniq; Patri tuo factus obediens usq; ad mortem, temetipsum pro nobis hostiam in ara Crucis obtulisti.

Ideòq; *spero in te*, & magnâ fiduciâ venio ad te, ô Domine, qui nostri causâ tam mira facere, & tam dira pati voluisti. Quid enim negabis, qui sic amasti, ut teipsum dares?

Amo te quoq; ô Bone JESU, ex tota virtute cordis mei; & semper deinceps & in æternum amabo, si tu dederis.

Sed quid retribuam tibi Domine pro tanto munere, & pro omnibus quæ retribuisti mihi? *Ecce abnego memetipsum*, & totum me, id est, corpus, animam & omnia mea in omne beneplacitum benignissimæ Voluntatis tuæ plenè resigno.

Verùm, quid habeo, quod non acceperim? Quid est homo, si comparetur Factori suo? Quid vilis creatura, vermis terræ, miser peccator, &

servus

ſervus inutilis præſtare poterit DEO, Creatori, ac Domino ſuo?

Agnoſco quia inops & pauper ſum ego; Ideoquè *humilio me* ſub potenti manu tua, tu verò ô Domine JESU, utpote Advocatus & Mediator meus, dives in meritis & miſerationibus, ſuſcipe cauſam meam.

Et ex theſauro immenſæ Charitatis tuæ fer opem inopiæ meæ: & pretium Sangvinis tui, omniumq; meritorum tuorum repræſenta æterno Patri tuo: & hinc ſupple omnem defectum meum, præcipuè hujus meæ, heu, nimis modicæ & imperfectæ præparationis, quâ ad hæc SS. Myſteria venio, ut ſic ei per te placeat obſequium indigniſſimæ ſervitutis meæ.

Fac etiam, ô Bone JESU, per omnes miſerationes tuas, ut hoc tremendum Myſterium, & admirabile donum charitatis tuæ debita ſemper Fide, Reverentiâ & Gratitudine proſequar: idquè puro & ardenti corde nunc & ſemper recipiam: Statum hunc quoq; meum Religioſum, ad quem me ex ſingulari gratia vocare dignatus es, Charitate, Caſtitate, Humilitate, Manſvetudine, Patientia, Sobrietate *&c.* Moribuſq; Tibi placitis, & (Sacerdote) fideli ſervo tuo dignis excolere ſtudeam. Idq; ut ſervitus mea magis Tibi placeat ad majorem Gloriam tuam, Eccleſiæ utilitatem, & propriam, proximiq; ſalutem.

Unde tandem ſupplex obſecro, ut per virtutem Corporis & Sangvinis tui abſtrahas cor meum efficaciter

efficaciter ab omnibus noxiis affectibus N.N. qui gustum ac fructum hujus Sacramenti impediunt, & intimè tibi unias, & incorpores, ut gustem, quàm svavis sis Domine, & unus tecum efficiar spiritus, ut tu in me, & ego in te maneam; adeoq; nihil sit, quod me unquam separare valeat à te. Nam tibi adhærere mihi bonum est. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? ô pars mea DEUS in æternum!

Imploratio Beatæ MARIÆ Virginis Matris DEI ante Missam & Communionem.

O Domina mea Sancta MARIA: ô Mater DEI & Virgo dignissima: ô Angelorum & Sanctorum omnium Imperatrix gloriosissima; ô nostra singularis Mater & Advocata post DEUM potentissima, sapientissima, & benignissima! Multùm desidero sub honore tuo Filii tui Sacrum Corpus & Sangvinem hodie & deinceps (offerre &) sumere: sed quia ad hoc nimis sum indignus & insufficiens: per te, obsecro, accessum habeamus ad Filium, ô benedicta Inventrix Gratiæ, Genitrix vitæ, Mater salutis: ut per te nos suscipiat, purget, illuminet & perficiat: qui per te datus & natus est nobis. Excuset apud ipsum, tua puritas & integritas culpam nostræ impuritatis & corruptionis. Humilitas tua DEO grata; nostræ veniam impetret superbiæ & vanitati: copiosa Charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum: & fæcunditas gloriosa,

fæcunditatem nobis conferat meritorum. Domina noſtra, Mediatrix noſtra, Advocata noſtra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repræſenta & commenda, tuo Filio nos conjunge & incorpora. Fac ô benedicta per gratiam quam inveniſti; per prærogativam quam meruiſti: per miſericordiam quam peperiſti: ut qui te mediante dignatus eſt particeps fieri miſeriæ & infirmitatis noſtræ: te quoquè intercedente participes nos faciat Corporis, & Sangvinis ſui, gratiarumquè & virtutum Paſſionum & meritorum ſuorum: tandemq; gloriæ & beatitudinis ſuæ, JESUS Chriſtus, Filius tuus, Dominus noſter, DEUS benedictus in ſæcula.

Invocatio Angelorum & omnium Beatorum Spirituum.

O Michaël, Gabriel, Raphael. O Angele mi Cuſtos & Patrone. O Archangele hujus Monaſterii, & totius Ordinis noſtri Archangeli. O Princeps hujus Regni & Dominii ac Diœceſis. O omnes ac ſinguli beatorum Spirituum Ordines.

Angeli, (Poteſtates, (Throni,
Archangeli, (Virtutes, (Cherubim,
Principatus, (Dominationes. (Et Seraphim.

Ut ſub veſtro honore digniſſimum (Miſſæ Sacrificium offerre, &) Corporis & Sangvinis Domini Sacramentum devotè ſuſcipere poſſimus: ſtate, obſecro nobiſcum juxta aram templi; mittite ignem de altari Divini Cordis in corda noſtra;

ſuſcipite incenſa orationum noſtrarum in aurea thuribula cordium veſtrorum, ut ſic per vos aſcendat fumus aromatum noſtrorum in conſpectu DEI. Eja ſemper & ubiquè, ſed maximè in hoc tanto myſterio nos purgate, illuminate & perficite; nos protegite, dirigite, & honeſtate. Offerte etiam pro nobis, & nobis donate veſtram humilitatem, puritatem, & ſimplicitatem: veſtram charitatem, Sapientiam, & ſtabilitatem: veſtram deniquè devotionem, gratitudinem & fervorem, cæteraſquè virtutes & perfectiones veſtras, quibus ornati DEO placeamus, & gratum obſequium exhibeamus.

Invitatio Sanctorum.

O Sancti hujus diei, O Patroni mei ſpeciales S. Joſeph, N.N. O Sancti Patriarchæ, Prophetæ, glorioſi Apoſtoli, Evangeliſtæ & Diſcipuli Domini: inviċtiſſimi Martyres: Sanctiſſimi & devotiſſimi Pontifices, Sacerdotes, & Confeſſores: religioſiſſimi Anachoritæ, Monachi, & Regulares omnes: electiſſimæ Chriſti Sponſæ, Virgines & Continentes: ô omnes & ſinguli Sancti in cœlo cum Chriſto regnantes & epulantes: per illud ardentiſſimum charitatis incendium, quo toti ardetis in DEUM, noſtram purgate immunditiam, illuminate ignorantiam, & tepiditatem accendite: omnemquè veſtram fidem, reverentiam, puritatem, charitatem, & devotionem, cæteraſquè virtutes quibus Domino unquam placuiſtis (maximè in ſumptione & oblatione hujus Sacramenti

& Sacrificii, & in die gloriosæ assumptionis vestræ in cœlum) nobis donate; ut sic sub honore vestro Sacrosanctum Corpus & Sangvinem Domini nostri, devotè & fructuosè sumere (& offerre) possimus.

In honorem Spirituum beatorum tantorum Principum tuorum, & omnium Sanctorum, amantissime Domine offero tibi hoc permagnificum Sacramentum in laudem æternam, & in augmentum gaudii, gloriæ & beatitudinis ipsorum. *Sic Sancta Gertrudis aliquando ante Communionem oravit.*

O Virgo Beatissima, & omnes Angeli, Sanctiquè omnes ac Sanctæ DEI, offerte pro me Domino ad quem accedo, dignitatem omnem, quâ vestrûm quilibet paratus fuit ad quamlibet gratiam recipiendam. Domine JESU, dignare offerre pro me perfectionem illam, quâ in hora Ascensionis paratus adstitisti DEO Patri ad suscipiendam glorificationem. *Ita eadem S. Gertrudis Virgo.*

O dulcissima Virgo MARIA, oro per illam innocentissimam tuam puritatem, quâ Unigenito DEI Filio in tuo Sacratissimo virginali utero placitam mansionem præparasti, ut tuis precibus ab omni macula emunder.

Præterea rogo te per profundissimam illam tuam humilitatem, ob quam super omnes choros Angelorum & Sanctorum exaltari meruisti, ut omnes negligentiæ meæ suppleantur.

Insuper te deprecor, per amorem illum ineffa-

bilem, qui te inseperabiliter DEO conglutinavit, ut mihi meritorum diversorum copia præstetur. *Sic Beata Virgo MARIA Sanctam Gertrudem orare docuit.*

Actus Desideriorum ante ipsam Communionem exercendi.

O DEUS scrutator cordis mei, cupio sumere, utinam re ipsa possim, mirabile & cœleste Sacramentum, omni, quâ par est, pietate & religione, omni affectu, desiderio, & fervore Angelorum, & Electorum tuorum.

Domine, ante te omne desiderium meum: paratum cor meum DEUS, paratum cor meum: quod totum tibi offero.

Desiderium pauperis exaudi ô Domine, præparationem cordis ejus audiat auris tua.

Suppleat Divina & immensa tua benignitas, quidquid humana mea non valet infirmitas. Fac ut puro corde tibi conjungar, & intimo affectu Majestati tuæ Divinæ uniar.

Aufer à me piissime JESU, quidquid Tibi displicet in me: & quidquid oculos purissimæ tuæ Divinitatis offendit, procul remove à me; & effice me hominem secundum cor tuum.

Præpara tibi gratam & amænam habitationem in me, & exorna me inopem meritis Sacratissimæ Passionis tuæ, cujus memoriam in hoc augustissimo Sacramento reliquisti.

Desidero Te millies mi JESU; quando venies?

Me lætum quando facies? me Tibi quando unies?

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te DEUS.

Quis dabit mihi amantissime JESU pennas sicut columbæ, & volabo in desiderio, cupiens requiescere in te?

Ecce enim in siti desideriorum ferventi affectu confidens hodie venio ad te, & tibi cor meum in habitaculum humiliter offero, tuam exorans clementiam, ut dignanter advenias in animam meam, & in medio cordis mei sedem tibi colloces, ut delicias tuas in me, qualis qualis sim, etiam habere digneris.

Cum gaudio atquè humilitate obvians tibi, suscipio te amantissime JESU, ex affectu totius Universitatis, in unione amoris illius, quo tu Creator & Dominus pro nostra salute in mundum advenisti, & mortis amaritudinem non recusasti.

Heu dilecte mi, dilecte mi, ego indignissimus, nihil, quòd tuam Divinam condecet magnificentiam, præparavi: sed totam substantiam meam offero pietati tuæ, desiderans & orans, ut ipse tibimet digneris præparare, quidquid tuam Divinam in me summè delectare potest benignitatem.

O quis mihi det in hac hora cor purum, cor mundum, cor novum, ab omni fæce repurgatum, amore tuo Divino bone JESU succensum, ut veniens paratam tibi in corde meo invenias requiem, nihilquè reperiatur in me, quod oculos

purissimæ Majestatis tuæ offendere possit?

Heu me, quantis cum lacrymis lugere satis possum, quod nunquam tibi dulcissimo amatori meo, & dignissimo hospiti ad me adventanti, condignam in corde & anima mea exhibui mansionem, sed inhonestè nimis à me fugavi te, nequè unquam aurem tibi præbere volui. Ignosce JESU, dulcis amor, tantæ meæ infidelitati & irreverentiæ, nequè me in æternum proiicias à te, sed redde teipsum mihi, ut sub umbra alarum tuarum deinceps in pace quiescam, & sub protectionis tuæ firmissimo scuto omnes insidias inimici potenter à me propulsem, malaquè omnia dimittam, & perficiam omne bonum, donec svaviter totus liquefiat, & satietur ad plenum in te Spiritus meus.

O MARIA flos Virginum, contege nunc & deterge pallio tuæ misericordiæ, maculas cordis & animæ meæ, ne coram oculis divinæ justitiæ compareant: comitare me nunc dulciter euntem in occursum Filio tuo, da illum mihi, & pone svaviter inter ulnas animæ meæ, ut benedictionem ab ipso anima mea recipiat, eumquè cum omni sua Divina virtute, decenter præparatus suscipere, eidemquè reclinatorium gratum & dulce in anima mea præbere possim.

Virgo dulcissima MARIA; ecce nunc conspectui Divinæ Majestatis assistens, humiliter tuo me commendo patrocinio. Suscipe me tanquam bona Mater & Advocata, & loquere pro me bona apud

Filium

Filium tuum: offer illi in ſuppletionem meorum defectuum tua merita; quibûs decoratus, placeam in oculis Altiſſimi.

In ipſa Communione.

O Anima mea, ecce jam propè eſt Dominus tuus, ecce venit Sponſus tuus, exi obviam ei; aperi januam adventanti Domino & DEO tuo; da locum Creatori tuo; præbe acceſſum Sponſo tuo, qui tanto cum amore ad te properat.

Unde hoc mihi? unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me? Domine non ſum dignus, ut intres ſum tectum meum: verumtamen ſi ita placitum eſt tibi, nec aliter fieri vis, ecce ſervus tuus, ſiat mihi ſecundum voluntatem & beneplacitum tuum. Ingredere jam in animam meam benedicte Domine, & miſerere mei.

Sumpto SS. Sacramento. Corpus tuum Sanctiſſimum & Sangvis tuus pretioſus Domine JESU Chriſte, cuſtodiat corpus & animam meam in vitam æternam, & pax tua ſit mecum, Amen.

Actus Gratiarum actionis poſt Communionem Exercendi.

O JESU infinitè amabilis, DEUS meus, ſpes mea, amor meus, & omnia, unde mihi indigniſſimo terræ vermiculo, peccatori miſerrimo, filio ingratiſſimo tanta dignatio, tanta miſeratio, tanta dilectio, tantæ Majeſtatis,

benignitatis, charitatis, ut tu sic venias ad me? atquè Corpus & Sangvinem tuum, id est, teipsum modo prorsus admirabili in hoc Sacramento largiaris? O Charitas! ô pietas! ô novum & grande beneficium!

Tunc DEUS meus ad me venire dignaris? Rex ac Dominus summæ Majestatis, ad infimum servum? DEUS ad hominem? Creator ad creaturam?

An nescis, quis sim ego? pulvis utiquè & cinis, vas sordidum, esca vermium, & ad hunc tu de cœlo venis? Verè confiteor, quia aliis omnibus fidelibus debetur cœlum, mihi soli infernus, & ibi non alius locus, nisi sub pedibus omnium reproborum, damnatorumquè, infimus.

Ergo tu, quem ego credo esse DEUM verũ, Creatorem, Regem, ac Dominum universorum, ad me tam vilissimum & indignissimum venire dignatus es? O bonitas! ô benignitas! Quid igitur retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Utinam aperiantur labia mea, & repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam, & enarrem universa mirabilia tua!

Magnificet anima mea Dominum, tot tantisquè affecta ejus beneficiis: & exultet spiritus meus in DEO salutari meo: quia respexit humilitatem servi sui; & fecit mihi magna qui potens est, & esurientem implevit bonis.

Benedic ergo nunc anima mea Domino, & omnia

omnia quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus: benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus; Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat per hujus Sacramenti virtutem, omnes infirmitates tuas.

Benedicant te, ô DEUS salutis meæ, omnia interiora mea, & tota substantia & virtus mea. Jubilent tibi desideria Præcordiorum meorum & vota: quia tu es DEUS meus.

Magnus es Domine & laudabilis nimis; & quis narrabit potentias tuas, auditas faciet omnes laudes tuas? ego quidem, etsi omnia membra mea verterentur in lingvas, & omnes vitæ meæ respirationes in tui laudes, & gratiarum actiones: attamen longè minor essem cunctis miserationibus tuis. Unde agnoscens insufficientiam meam, id unum votis omnibus exopto, ut omnes creaturæ tuæ, mecum & pro me laudent, & benedicant nomen tuum in æternum.

Agnoscaris, adoreris, ameris, glorificeris, & superexalteris infinitè, infinities, ab omnibus, in omnibus, super omnia, gratis propter te, in æternum, & ultrà.

✠ Sed ante omnia, ô clementissime Pater æterne DEUS, accipe laudes & gratiarum actiones, quas Filius tuus Salvator noster, assumpta Humanitate, ab instanti Incarnationis toto vitæ suæ decursu persolvit.

Et illas præcipuè, cum instituens hoc Sacramentum, & quasi jam tum agnoscens impares nos

esse

esse gratiis tanto beneficio referendis, elevatis oculis in cœlum, ad te DEUM Patrem suum Omnipotentem, omnium nostrûm nomine tibi gratias egit.

Suscipe, & illas gratiarum actiones, quas Beata Virgo Unigeniti Filii tui Mater tibi obtulit, quando eum, quem ego ipse jam inclusum pectori meo complector, ipsa suis castissimis visceribus concepit, portavit, & peperit: nec non & illas, quas toto vitæ suæ tempore, & potissimùm quoties jam sublatum in cœlos, in Sacramento recepit, ex ardenti cordis desiderio, & intima devotione persolvit.

Benedicant quoquè, & laudent te omnes Angelici Spiritus, qui throno Majestatis tuæ jugiter trementes assistunt, & cantant incessabili voce dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Desidero quoquè ex toto corde, ut omnes Sancti & amici tui, tecum modo regnantes in cœlis, quorum Communionem credimus, compensent suis dignissimis laudibus, quas unquam hic in terris in usu, & veneratione hujus Sacramenti, devotissimè obtulerunt, & quas tibi modo decantant, cùm revelata facie comedunt panem vitæ, & torrente voluptatis tuæ potantur.

O utinam pariter omnium piorum fidelium affectus, fervores, & omnia tibi in terris placentium vota, desideria, & merita, in me unum colligere possem: & sic tota animi intensione te amare, & honorare, pro tanto amore & honore, quo me in hoc Sacramento dignatus es. Pro-

Profiteor enim, si quotquot in mundo fuerunt, sunt, aut erunt devotorum, qui debita cum praeparatione, devotione, & fructu, divinissimum hoc Sacramentum unquam acceperunt, vel accipient: Si inquam, eorum omnium conatus, desideria, & grati piiquè affectus, in me unum concurrerent, libens sanè & ultrò prorsus in laudem & gloriam Nominis tui, & debitam gratiarum actionem converterem. Et tamen (ingenuè fateor ô Domine) servus inutilis essem, nec condignè te laudare possem; quia major es omni laude.

Sed parce mihi Domine, quia inops & pauper sum ego, & saltem desiderium pauperis, seu obsequium bonae voluntatis non despicias.

O utinam benedicant omnia opera Domini Domino, laudent & superexaltent eum in saecula.

Quibus deerit tempus ad tam prolixam gratiarum Actionem faciendam, poterunt hoc totum à signo ✠ Crucis relinquere.

Actus Oblationis Christi DEO Patri.

O Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis quomodo dilexisti nos! ita nimirum, ut Filium tuum Unigenitum dares; semel quidem in pretium, sed in dies in cibum. Quid tibi pro tanta charitate vilis ego creatura retribuam? hoc ipsum, quô tu nihil dignius dare poteras; ego nihil majus accipere. Ipsum inquam, dilectissimum Filium tuum offero tibi mi Pater, quem pro salute mea tam amantem obtulisti;

tulisti; & in hoc (Sacrificio) Sacramento, quod pro jugi illius beneficii memoria celebramus, tam gratiosè (offerendum) sumendum dedisti.

Quem potius tibi offeram ô Pater æterne, quàm Filium tuum, in quo tibi benè complacuisti? Quem alium dirigam intercessorem ad te ego reus, nisi hunc, qui est propitiatio pro peccatis meis: Ecce spes mea, tota fiducia mea, Christus JESUS, Filius tuus, Salvator meus. Noli quæso, despicere hanc oblationem meam, quamvis id mereatur offerentis vilitas; sed aspice precor propitius, quia in infinitum est major oblati dignitas.

Respice in faciem Christi tui, qui tibi pro nostra salute factus obediens usquè ad mortem, in Cruce pro nobis sese hostiam obtulit.

Attende in Filio, quod te moveat, misereri servo; & dum dilecti Filii tibi patent vulnera, mea quæso tegantur scelera: & quia caro mea te lacessivit ad iram, Caro Filii tui te flectat ad misericordiam.

Suscipe igitur ô Sancte Pater omnipotens æterne DEUS sanctam hanc & immaculatam Hostiam Filii tui, quam ego indignus famulus tuus tibi offero, una cum omnibus ejus virtutibus, meritis, vulneribus, cruciatibus, plagis, suspiriis, Sacri sudoris ac cruoris guttis.

In unione illius amoris, quo ipse tibi in Ara Crucis semetipsum obtulit, in laudem & gloriam nominis tui; in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis tuis in me, & in totum genus huma-

num

num collatis, in expiationem quoquè peccatorum meorum; in suppletionem omnium defectuum meorum; in solatium & refrigerium omnium fideliũ vivorum & defunctorum.

Oblatio nostri ipsimet Christo.

O Amantissime Salvator, quâm magna est misericordia tua super me! qui ut me Satanæ mancipium liberares, tu verus DEI Filius temetipsum in Ara Crucis DEO Patri in redemptionis pretium obtulisti; ut verò me pasceres & confortares, temetipsum nunc in cibum dedisti, quâm parum hucusquè redamavi te sic amantem me? quid retribui tibi pro omnibus, quæ tribuisti mihi, nisi peccata, negligentias, & ingratitudinem, toties te offendendo, toties pretium Sangvinis tui conculcando? Agnosco & detestor ingratitudinem meam tantam erga te, atq; ex puro amore tui doleo, quòd unquam offenderim te infinitè amabilem. Ignosce, quæso omnia peccata mea DEUS meus, spes mea, amor meus & omnia.

Sed quid nunc retribuam tibi Domino pro his omnibus, quæ nunc retribuisti mihi? scio te velle ut præbeam tibi cor meum: Igitur offero tibi cordis mei & animæ meæ medullam, in æternam laudem & gloriam tuam: quia tu es ipse Paterni cordis medulla dulcissima, langventis animæ sagina, & perfectio beatissima. Offero memetipsum tibi totum, qui me totum fecisti, & qui te totum nunc mihi dedisti. Suscipe me in sacrificium

ficium & servum perpetuum. Totus tuus sum eroq; semper, sicut tu totus meus esse dignaris.

Tu es, erisquè DEUS cordis mei, & pars mea JESU in æternum! Credo in te, & quidquid revelasti ô infallibilis veritas, & pro hac S. Fide, per tuam gratiam, mori sum paratus.

Spero in te, ô æterna Beatitudo nostra, & per infinitam misericordiam tuam, & pretiosissima merita tua, veniam, gratiam & gloriam, cum omnibus necessariis mediis mihi promissâ te daturum confido, & me totum à te pendere, & nihil sine te posse agnósco & profiteor.

Amo, & amabo te, & omnia, quæ tu amas, propter te, ô Fons infinite omnis boni; quia bonus es in te, & infinitè amabilis.

Gaudeo de infinita perfectione, beatitudine & amabilitate tua, & de omni obsequio, laude, & gloria tibi ab Electis tuis, & creaturis omnibus unquam reddita, reddenda, ac reddi possibili.

Te, ut Principium ac finem meum supernaturalem, DEUM meum infinitæ Majestatis, omnium Sanctorum triumphantium & militantium affectu, supplex nihilum adoro, laudo, glorifico, ac glorificare cupio in æternum; & in centrum nihili mei, (cùm gratiâ tuâ solâ sim id, quod sum) infra omnes me demitto, & Majestati tuæ inclino.

Te, tuumquè in omnibus beneplacitum brachiis dilectionis & resignationis arctissimè complector, omniquè possibili reverentiæ, fiduciæ, amoris, & pietatis affectu veneror, & exosculor, ac comple-

cti, venerari, & exosculari semper in ævum percupio; licet me velles beata visione carere, modò gratiâ & amore tuo nunquam destituar.

Quidquid in me est affectûs erga creaturas, totum id in te solum transfero; quidquid egero in omnem æternitatem, aut passus fuero, hoc totum ad tuam solius gloriam & honorem offero.

Desidero novo fervore me totum tuo impendere servitio, & omnia vitia eradicare, atquè defectus omnes & imperfectiones, maximè hunc particularem defectum N. corrigere, in omnibus virtutibus proficere, præsertim in hac N. specialiter me exercere, firmissimê propono.

Et hic est locus renovandi proposita in consideratione ante Communionem & Missam facta.

Actus Petitionis.

VErùm ô Domine, velle quidem adjacet mihi, perficere autem non invenio; Ad te itaquè levavi oculos meos: quia imperfectum meum viderunt oculi tui. tu respice, precor, oculis misericordiæ tuæ infirmitatem meam: nam sine te nihil boni facere possumus; ex te autem est sufficientia nostra.

Da quod jubes, & jube quod vis, ô JESU DEUS meus, & omnia, per te, & infinita tua merita. Da ut te ferventer, continuè & efficaciter, amem super omnia; te in spiritu & veritate adorem, glorificem, & benedicam in omni tempore. Laus tua semper sit in ore meo, & amor tuus in corde meo. Cupio,

Cupio, Domine, desidero, & opto magis desiderare semper, ac magis amare te; atquè ideò, ut amare te magis possim, cupio dissolvi, & esse tecum, ubi perfectè amem te. Quia tamen adhuc manere me vis in corpore mortis hujus, volo & ego, quamdiu tibi sic placet.

Domine, à quo fluunt sancta desideria, desidero habere desiderium amandi Te tantum, quantum te amandi desiderium habuerunt, & habebunt omnes, qui tibi placuerunt, & placebunt ab Adamo, usquè ad ultimum omnium mortalium tibi placentium. Desidero quidquid habent Seraphini omnes, & omnes dilecti ac Electi tui, unâ cum teipso Rege ac Domino nostro, ac MARIA Virgine omnium Electorum Regina: Et si hoc desiderium non habeo, desidero ipsum habere; Da mihi quæso illud. Da præterea, ut ex amore tibi serviam fideliter, tuamquè beneplacentem voluntatem in omnibus semper, & ubiquè impleam: tibiq; in omnibus quàm maximè placeam.

O Scrutator cordis mei, vides quàm sim fragilis & pronus ad hoc N. vitium, & ad illos N. defectus: ego quidem lapsum cavere propono, sed tamen labor, nisi tu manum supponas. Scis quoquè optimè, ô Domine, quomodo Abnegatione, Humilitate, Contemptu mei, Obedientiâ, Patientiâ, Modestiâ, proximi Charitate, & aliis virtutibus indigeam: tribue itaquè mihi ad acquirendas istas virtutes & alias omnes gratiam tuam, qui tam copiosum gratiæ thesaurum, immò teipsum gra-

tiæ

tiæ Auctorem in hoc Sacramento dedisti, & me nunc ad illius participationem tam clementer admisisti.

Adjuva me DEUS, Salvator meus, & propter, gloriam Nominis tui ab omni peccato libera me, & salva me; quid est enim JESUS, nisi Salvator? verè non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

O Domine, quia tam dignanter venisti ad me, non dimittam te, nisi benedixeris mihi, tu qui aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione.

O utinam accipiam benedictionem à Domino, & misericordiam à DEO salutari meo! quatenus eam de virtute in virtutem, donec clarè te videam DEUM Deorum in Sion, quem nunc in Sacramento velatum, & per speculum in ænigmate video.

O Bone JESU, cujus viscera misericordiæ omnibus patent: qui neminem vis perire, sed omnes homines salvos fieri, ideoquè pro omnibus mortem subijsti: salvos fac servos tuos, DEUS meus, sperantes in te: Memor esto Congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.

Subveni quæso famulis tuis, quos pretioso Sangvine tuo redemisti. Mitte eis Domine auxilium de sancto, & de Sion tuere nos.

Miserere parentum, fratrum, amicorum, inimicorum, benefactorumquè nostrorum, omnium afflictorum, periclitantium, agonizantium, omnium-

què Infidelium, Hæreticorum, Schismaticorum, & peccatorum, & cunctorum, qui se commendaverunt, & commendant orationibus meis, & universorum, cujuscunquè sint statûs, hominum, & pro quibus teneor, & tu vis me orare. Communica iis meritum pretiosi Sangvinis tui, in salutem nostram effusi; ut in vita præsenti, gratiam ad serviendum & placendum tibi perficiant, & sic demum ad æternæ vitæ gloriam perveniant; ut ope gratiæ, sic vitam præsentem instituant, ut tandem in cœlis æternæ vitæ præmia recipiant, & teipso fruantur æternùm.

Insuper miserere omnium fidelium defunctorum: Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

O Dulcissima Virgo MARIA, quæ eundem Dominum quem ego modo suscepi, de Spiritu S. conceptum, in Sacratissimo utero tuo portare meruisti; intercede pro me apud eundem Filium tuum: omnisq; negligentiæ & indignitatis, in summi hujus Sacramenti sumptione commissæ, veniam mihi impetrare digneris.

O Sancti DEI omnes adeste mihi, quæso, precibus meritisquè vestris, ut panis ille cœlestis, & Viaticum divinum, quod modò sumpsi, mihi contra omnes infirmitates, pericula & insidias præstet robur & tutamen: ut in fortitudine cibi illius ambulem per hujus mundi desertum usquè ad montem DEI, & ibidem dulcissima illius fruitione vobiscum jugiter gaudeam; & DEUM unà vobiscū laudem per omnia sæcula, Amen.

Actus post Missam aut Communionē exercendus, à P. Anton: Molina Carth: multùm commendatus.

O Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis: qui ex abundantia infinitae charitatis tuae, dedisti nobis Unigenitum Filium tuum, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam: utquè ex immenso meritorum ejus thesauro nostra suppleatur inopia: Enègo miser peccator, sed per misericordiam tuam vocatus in societatem Filii tui: nunc quoquè particeps factus sum Corporis & Sangvinis ejus. Proindequè illum jam in pectore meo complector, & tunc jam rem meam intimè mihi conjunctam, possideo.

Atquè ut talem, in unione charitatis, quâ seipsum olim dedit pro nobis in ara Crucis & modò se dat & communicat in Sacramento Altaris; tibi eum offero, unâ cum omnibus meritis atquè virtutibus, in aeternam laudem & gloriam tuam: ut in illo tibi perfectè complaceat: & nos, qui tibi placere de actibus nostris non valemus, dilectissimi Filii tui meritis & patrocinio, perfectè placeamus.

Offero tibi Pater sanctissimè, omnem ejus charitatem, religionem, obedientiam, humilitatem, paupertatem, mansvetudinem, patientiam, cum aliis omnibus virtutibus, quibus excelluit, ut totum, quod mihi deficit, per illas suppleatur.

Cumquè ego debitas tibi gratias agere neque-

am pro beneficiis in me collatis, offero tibi omnes laudes, quas ipse obtulit, cum visibilis inter homines versaretur in terra; & quas tibi nunc offert in gloria.

Cum verò satisfacere nequeam tibi debitis seu peccatis meis: offero tibi omnes ejus labores, jejunia, vigilias, fatigationes, orationes; quidquid denique fecit aut pertulit, à primo instanti conceptionis, quousque spiritum emisit in Cruce: omnes angustias, dolores, ac tormenta passionis, omnem sangvinem pro me effusum, omnia vulnera pro me accepta, ac mortem pro me toleratam.

Ecce hic est thesaurus Pater clementissime, in quo totam spem reposui: hæ sunt divitiæ, quas offero in satisfactionem omnium debitorum meorum.

Aspice pie Pater in faciem Christi tui, & cum sit hic Filius tuus dilectus, in quo tibi semper benè complacuit, qui mihi nunc intimè conjunctus est; supplex rogo, ut me quoquè respicias oculis misericordiæ tuæ sub ejus protectione ac tutela, sub umbra meritorum ipsius compareo coram te, ut illum præcipuè intuens, me quoquè clementer ac benignè respicias, tanquam mancipium ejus; & servum perpetuum.

Ne permittas, obsecro, ut pereat illa anima, quæ toties in se recipit Filium tuum, qui à te missus venit in mundum, quærere & salvum facere quod perierat. Hoc præsta mihi per infinitam misericordiam tuam, Amen.

Aliqui

Aliqui Magiſtri ſpirituales ſvadent, ut poſt SanĆtam Communionem ſeptem dona petamus à Domino, ſimilia illis, quæ B. Virgo, (AuĆtore S. Bonaventura lib: 6. Medit: cap: 3.) quotidie à DEO poſtulabat.

Domine DEUS meus, te ſupplex per merita & intercesſionem B. V. MARIÆ obſecro, illa mihi tribuere digneris, quæ ipſa quotidiè olim vivens in terris à te poſtulabat: videlicet.

1. Auxilium efficax, ut præceptum amoris tui compleam.

2. Ut proximos meos, & quidquid tu diligis, conſtanter & ego diligam.

3. Ut quidquid tu ipſe odio habes, verisſimè & ego odio habeam.

4. Ut humilitate, caſtitate, obedientiâ, contemptu ſæculi, & univerſis virtutibus animam meam exornes.

5. Ut corpus meum ac mentem meam, dignũ tui habitaculum facias.

6. Ut aliquando tandem poſt hanc mortalitatem, Beatisſimam Virginem Matrem tuam, & Humanitatem Sanctisſimam tuam, oculîs carnis clarè videam, & oculîs mentis Divinitatem tuam aſpiciam atquè posſideam.

7. Ut in hoc templo, & in omnibus, quæ ſunt in toto terrarum orbe, ab univerſis Sacerdotibus & fidelibus dignam venerationem accipias.

Actus tempore Examinis conscientiæ exercendi.

CIrca hanc materiam aliqua prænotanda sunt. Et imprimis, quod *Examen conscientiæ nihil est aliud, quàm exquisita discussio, quâ cogitationes, verba, & opera nostra expendimus, & quæ sunt mala commissa, atq; bona omissa cognoscimus*; ut peccata nostra detestemur, & indignationem DEI à nobis avertamus, vitamquè nostram corrigamus. Est verò *Examen istud maximoperè necessarium* viris spiritualibus & religiosis. *Primò*, Ad acquirendam animæ puritatem, quæ comparatur per fugam peccatorum, extirpationem vitiorum, correctionem omnium defectuum & imperfectionum; quorum omnium habenda est clara cognitio, per exquisitam conscientiæ discussionem.

Secundò. Ad acquirendam vitæ sanctitatem, quæ comparatur per abnegationem perfectam sui, mortificationem sensuum, inordinatorum affectuum compositionem, & virtutum acquisitionem, in quibus quantum quisquè proficiat, Examen conscientiæ declarat.

Tertiò. Ad obtinendam perfectionem; quia Examen hoc, est singulare perfectionis instrumentum.

Est autem duplex. Generale & Particulare. *Generale examen est illud*, in quo omnes cogitationes, verba, actiones, omissiones examinantur, vel totius vitæ, vel unius anni (quod faciunt illi,

qui

qui per Confeſſionem generalem peccata ſua expiare volunt) vel unius Menſis, vel hebdomadæ, vel totius diei aut dimidii, vel unius horæ. *Particulare examen illud dicitur*, in quo inquirimus de uno aliquo vitio, quod ſpecialiter eradicare; vel defectu, quem corrigere; vel virtute, quam exercere aliquo Menſe, vel hebdomadâ, vel die, propoſuimus.

Sunt autem Examinis partes, ſeu puncta ſex, quæ in hoc Diſticho continentur.

Solve DEO grates, pete lumen, diſcute mentē,
Delicti veniam poſce, recide malum.

Hoc eſt, Gratiarum actio, Luminis petitio, Conſcientiæ diſcuſſio, Contritio, & veniæ poſtulatio, Firmum propoſitum emendationis.

In gratiarum actione commemoranda ſunt beneficia DEI tam generalia, quâm particularia illo die, & aliàs nobis conceſſa: & quantùm ad animam; ut eſt SS. Communio, inſpirationes Divinæ, tentationum victoria, ab hoſtibus defenſio, occaſionum peccandi remotio: & quantùm ad corpus; ut eſt cibi & potûs, indumentorum, commodæ habitationis, & aliorum neceſſariorū proviſio.

In petitione luminis rogandus eſt Dominus DEUS, ut nos faciat cognoſcere omnia peccata, negligentias, defectus & imperfectiones, ac omiſſiones eorum quæ facere debuimus.

In diſcuſſione conſcientiæ examinandæ ſunt. *Primò*, *Cogitationes*, an fuerint vanæ, otioſæ, noxiæ, ſuperbæ, mundanæ, de alienis factis cen-

ſoriæ. *Deinde verba*; an fuerint ſine licentia, in locis vetitis, tempore prohibito, contra charitatem prolata: præterea, an fuerint otioſa, inconſiderata, ſuperflua, detractoria, contentioſa, aſpera, ſæcularia, deceptoria, falſa, & ſcandaloſa. *Opera quoq;* examinanda ſunt *imprimis mala*, quæ ſunt contra DEI præcepta, contra Regulam, Conſtitutiones & Vota commiſſa. *Deinde bona*; ut ſunt, opera obligationis: videlicet, Officium Divinum, Oratio mentalis, Exercitium Præſentiæ DEI, Miſſæ celebratio vel auditio, Coronæ B.V. recitatio, Examen conſcientiæ, in Cella bona occupatio, Mortificatio, ſpiritualis Lectio, ſedula in virtutibus Exercitatio: in quibus quomodo nos geſſimus, an omnibus directiones præmiſimus, an bona intentione, hoc eſt, ſolô deſideriô placendi DEO, & ex amore ipſius; & an ferventer, attentè & perſeveranter cuncta fecimus, exactè omnia diſcutienda ſunt: & *ex his patebunt omiſſiones eorum, quæ facere obligati ſumus.*

Præcipuè autem inquirere debemus, quomodo circa vitium propoſitum aliquod eradicandum, & circa defectus corrigendos, atquê virtutis aſſumptæ exercitium laboravimus: quoties in eadem vitia lapſi ſumus, vel eoſdem defectus & imperfectiones commiſimus, aut actus virtutis elicere neglexímus. Hinc enim facilè deprehendemus, an proficiamus vel deficiamus.

In eliciendo actu contritionis veræ, & deteſtatione peccatorum etiam minimorum maximè deſudan-

deſudandum eſt. Nam hoc eſt unicum utiliſſimum & efficaciſſimum medium ad animum à vitiis purgandum, & à peccatis liberandum. Unde non mirum quòd poſt tot examina, ſicut etiam poſt tot Confeſſiones, facilè ad eadem peccata atquè defectus revertimur; quia non ſumus ſolliciti verum dolorem & abominationem delictorum noſtrorum, atquè ſpecificam particularium defectuum deteſtationem, cum firmo propoſito eoſdem vitandi atq; emendandi, habere.

Actus Gratiarum actionis.

O Beata Trinitas unus DEUS, quomodo multiplicas ſuper me miſericordiam tuam, ſic me ab æterno diligendo, in tempore creando, redimendo, juſtificando, vocando, conſervando, fovendo, ad bonum excitando, ab inimicis protegendo (die Communionis: Pane Angelorum animam nutriendo) Corpori cibum competentem, & veſtitum, & alia neceſſaria mihi providendo. Pro his igitur aliiſquè omnibus & ſingulis beneficiis mihi, & aliis omnibus unquam exhibitis & exhibendis, ex intimo corde meo tuæ Divinæ Majeſtati gratias ago, non ſolùm meo, ſed omnium creaturarum etiam poſſibilium nomine & affectu: idquè ſi fieri poſſet, continuare deſidero purè propter te omni poſſibili gratitudinis exceſſu in omnem æternitatem. Et in compenſationem, non ſolùm me totum cum omnibus, quæ dediſti mihi, ſed inſuper omnes omnium Sancto-

rum

rum triumphantium & militantium, humilitatis, gratitudinis, amoris, omniumque virtutum actus, & pia desideria, sacrificia laudis & obsequia, simili affectu tibi Domino DEO meo offero, in unione infinitorum meritorum Domini nostri JESU Christi, & omnium meritorum B. V. MARIÆ, ac omnium Sanctorum.

Qui vult poterit uti hac Gratiarum actione Sancti Francisci.

Omnipotens, sanctissime, altissime & Summe DEUS, quia nos omnes miseri & peccatores non sumus digni nominare te, suppliciter exoramus, ut Dominus noster JESUS Christus, Filius tuus dilectus, unã cum Spiritu S. Paraclito gratias agat tibi, sicut tibi & ipsis placet, pro omnibus beneficiis tuis mihi collatis All:

Et gloriosam Matrem Beatissimam MARIAM semper Virginem & omnes Sanctos qui fuerunt, erunt, & sunt, propter tuum amorem humiliter deprecamur, ut, sicut tibi placet, pro beneficiis tuis, tibi gratias referant summo DEO, verò, æterno & vivo, Alleluja.

Vel illa S. Gertrudis. DEUS meus, misericordia mea, persolve pro me, tibimetipsi pro omnibus bonis tuis, quæ fecisti, facis, & facturus es mihi, laudes æternas, immensas, quales tu potes; laudans te in te, in me, & pro me. Laudet te omnium misericordiarum tuarum immensum pondus. Jubilet tibi pro me gloriosissimæ Virginis Matris MARIÆ dignissimum cor & anima, admirabile tabernaculũ gloriæ tuæ. *Actus*

Actus Petitionis luminis.

O Sapientia æterna, Dulciſſime JESU, tu es Lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina quæſo tenebras meas, ut videam, & ſciam, quid deſit mihi. Tu noſti omnia abſcondita cordis; & omnes greſſus meos conſideras. Da ergo, ut quidquid hodie contra te, cogitando, loquendo, vel operando, aut omittendo deliqui, id plenè cognoſcam, & recogitem tibi in amaritudine animæ meæ.

Hic fiat Examen conſcientiæ, eo modo, ut dictum pag: 455.

Actus Contritionis, & Petitionis veniæ.

DOmine DEUS meus, ô quam graviter in multis peccavi hodie in cœlum & coram te? fateor quia plurima iniquè egi, & malum multiplex coram te feci: ideò nunc ex totis præcordiis meis,atq; ex amore tui,doleo de omnibus peccatis meis: doleo, quia te DEUM infinitè bonum, & ſummè dilectum offendi; Specialiter autem doleo ob amorem tuum, quia tam frequenter hodie, & aliàs, te Dominum meum offendi v.g. per inobedientiam, (vel per impatientiam; vel per immodeſtiam oculorum, vel per defectum ſilentii: vel per alios defectus N. N. vel per neglectos actus virtutis propoſitæ) deteſtor hæc omnia, quia ſunt offenſa tua, atquè tuæ infinitæ bonitati contraria, ſed quia major eſt miſericordia

tua,

tua, quàm malitia mea, propterea veniam à te, & gratiam emendandi vitam meam ſpero; & per infinitam miſericordiam tuam obnixê precor. Ego autem hæc omnia & alia peccata mea, occulta & oblita, gravia & minima, depono in chariſſima vulnera tua, & in pretioſiſſimum Sangvinem tuum: proijcio in immenſum ignem amoris tui: demergo in pelagus exuberantium meritorum tuorum: & abſcondo in abyſſo infinitarum miſericordiarum tuarum & miſerationum: ut ibi per merita Sanctiſſimæ Humanitatis tuæ, & acerbiſſimæ Paſſionis: nec non per preces & merita beatiſſimæ Matris tuæ Virginis MARIÆ, & beatorum Angelorum, atquè omnium Sanctorum expientur, abſorbeantur, & ad nihilum redigantur.

Actus Propoſitæ Emendationis.

O Utinam nunquam te amplius offendam. Utinam tibi ſemper in omnibus placeam. Utinam omnia quæ ad me ſpectant ex puro amore tui, modo ſupremo, ad honorem, tuumquè beneplacitum, impleam, ſicut me facturum firmiſſimê ſtatuo, decerno & volo; ſed quia ſine te non valeo; tu ergo qui das velle, adde poſſe, ac perficere. Da quod jubes, & jube quod vis; ut ſobriè, juſtê & piè vivam in hoc ſæculo: & æternùm te laudem cum Sanctis tuis in futuro.

Cui placet addat hanc Petitionẽ, quam Chriſtus Dominus docuit S. Birgittam. Rogo te piiſſime JESU, per quinquè vulnera tua, & per dolorem,

dolorem, qui dè venis tuis perforatis, ad cor proceſſit, ut conſervare me digneris hodie, ac ſemper, ne cadam in peccata. Da quoquè mihi virtutem reſiſtendi telis inimici. Domine DEUS, cui nihil eſt impoſſibile, & qui omnia potes, da mihi fortitudinem faciendi bona opera, & in bonis poſſe perſeverare.

Brevior modus exercēdi hæc Puncta Examinis.

ANte *omnia fiat Petitio luminis.* Benigniſſime JESU, qui es lux vera, illumina me, quæſo, & fac me cognoſcere omnia beneficia tua, quæ à te hodie percepi; & peccata mea, quibus tuam Divinam Majeſtatem offendi.

Deinde fiat recognitio beneficiorum DEI, & diſcuſſio conſcientiæ de actibus noſtris, ab ipſo diei principio: ſi alacriter ſurreximus, & primi ad Chorum venire curavimus: ſi Directionem generalem totius diei, & alias minores ante actiones noſtras fecimus: in Choro, in Oratione mentali, ſi debito modo nos geſſimus: in cella, ſi benè & fructuosè tempus expendimus: ſi numerum certum mortificationum, & actuum virtutum propoſitarum implevimus; ſi officium à Superioribus injunctum exactè egimus; ſi voluntariè ſæpiùs obedientiam tranſgreſſi ſumus: quoties illos defectus & delicta commiſimus, quæ vitare & corrigere ſtatuimus.

Poſt hæc fiat Gratiarum actio. Infinitas tibi gratias ago Domine DEUS meus, pro univerſis benefi-

beneficiis tuis mihi hac die, & totâ vitâ collatis: præsertim (die communionis: pro hodierna SS. Eucharistiæ perceptione) pro tua ab hostibus meis protectione, & à multis periculis animæ & corporis liberatione, & omnium commoditatum, rerumq; mihi necessariarum provisione &c. Pro quibus sit tibi laus, gloria, gratiarum actio in sempiterna sæcula. *Qui vult addat Psalm:* Laudate Dominum omnes gentes &c.

Contritio. Sed heu me, quàm ingratus hac die, & semper extiti in te Dominum meum: quia te in multis offendi, præsertim negligentiâ, tepiditate inobedientiâ, & aliis peccatis NN. de quibus omnibus & singulis etiam minimis, doleo ex amore tui: specialiter autem doleo ob amorem tuum, quia toties defectum hunc NN. commisi, quem vitare propter te proposui: & quia actus hujus virtutis NN. fideliter non exercui, prout ob amorem & honorem tuum statui.

Propositum emendationis, ac veniæ & auxilii DEI petitio. Ampliùs te, tuâ Divinâ gratiâ adjutus, offendere nolo; & veniam à te, ac emendationem spero, & humiliter peto; quia sine te nihil facere possum. Parce precor per mortem & amorem Filii tui JESU Christi mihi misero peccatori, & dimitte mihi, quidquid hodie, vel unquam in te, in proximum, & me ipsum peccavi. Miserere mei DEUS, sicut scis, vis, & potes.

ACTUS

ACTUS

In principio cujuslibet horæ exercendus.

GRatias tibi ago DEUS meus, pro omnibus & singulis totius vitæ meæ & horæ elapsæ, elapsuræque beneficiis. Doleo intimè ex amore tui, quòd hanc horam sine tua Præsentia, sine mortificatione, sine exercitio virtutum, & sine fructu animæ meæ expendi (si est verum, quòd ita expenderis) & non juxta beneplacitum tuum. Volo Domine sequentî horâ totâquè vitâ meâ, majori, quàm unquam hactenus fervore spiritûs, milliesquè millies majori proportione, & incremento fervoris, puritatis, charitatis, diligentiæ, ac dignificationis tui, vilificationis autem mei, ad purum & omnem gustum tuum, dignè te, omnia facere, ideò quia mihi places, ut mihi placeas, ut tibi placeam, ampliùs, & ampliùs, & ampliùs.

Vel sic brevius. Volo Domine, cum majori centuplò & millies, millies, millies, amore tui & fervore, sequentî horâ & aliis tibi servire, & in omnibus tibi placere, quàm præcedenti.

Similiter possumus facere in principio cujuslibet diei, & Hebdomadæ, & Mensis.

Actus ante somnum exercendi.

VIdelicet: Ratihabitionis omnium bonarum Actionum. Sanctissima Trinitas DEUS meus, ratas habeo propter te, & ex amore tui, omnes Actiones, & Passiones meas, quocunquè modo habitas, & quocunquè modo bonas, ratas etiam

habeo

habeo easdem omnium omnino creaturarum, incipiendo à Christo Domino, ad ultimum usquè atomum creatum: ratas habeo in specie etiam illas, quæ sunt occasione mea, aliquo modo in te DEUM meum exercita. Et ratas habeo omnes, ac singulas, in omni earum latitudine, sensu, circumstantia, in unione meritorum JESU Christi, B. V. MARIÆ, & Sanctorum, majori quàm unquam fervore spiritûs, milliesquè millies majori proportione fervoris, dignificationis, charitatis; quia hæc est voluntas tua, & dignitas voluntatis tuæ.

Actus Retractationis malarum Actionū.

O DEUS dignissime, qui nos creaturas tuas in gloriam tuam creasti, sed à nobis, infinitis modis, ac malitiis, quotidiè offenderis. Doleo, quantùm possum, ex amore tui, pro omnibus & singulis peccatis, atque malitiis in te, primùm quidem à me, deinde ab omni creatura commissis, atquè etiam committendis. Nolo mi DEUS, nolo ullam malitiam à me, ab omniquè creatura alia commissam esse, ac fore, eam ex nunc retracto, detestor & execror; quia te, DEUM dignissimum, agnosco, amo, æstimo. Nolo te in æternum offendere. Nolo te offensum esse. Nolo offendi te, à præterita, præsenti, futura, viva, & damnata creatu[r]a. O quis det, ut te omnes laudent, & ut omnia mala ab eis commissa, & committenda, non sint commissa, non sint committenda, sed potiùs, ut omnia sint in

laudem tuam, quàm maximam conversa. DEUS meus vides voluntatem meam, vides, quòd cupiam, ut nihil sit in creaturis tuis, malum in oculis tuis. Cupio, & propono, quantùm in me erit, impedire omnia mala & displicita tibi. Offero tibi totam vitam, vitam JESU Christi, Beatissimæ Virginis MARIÆ, Sanctorum omnium & singulorum; offero totum me, cum omni capacitate mea ad resarciendam læsam malitiis meis, bonitatem, dignitatem tuam: pro quibus malitiis offero tibi hunc Actum qui sequitur Amoris, (Æstimationis, Adorationis, Humiliationis, Doloris, Mortificationis, Abstinentiœ) in supplementum tibi dignissimo DEO meo, uniendo illum meritis mihi per gratiam tuam appropriatis, JESU Christi, Beatissimæ Virginis, Sanctorumquè omnium. Amo te igitur super omnia, æstimo, adoro, dignifico, exalto, benedico, toto me, totîs viribûs, actionibus, passionibusquè meis, majori quam unquam fervore spititûs, milliesquè millies majori proportione illius, semel pro semper, Seraphicè, Marianè, Christiformiter, atomicè, sacrificativè.

Actus Commendationis nostri Divinæ Majestati.

O Superamandissime DEUS meus, Creator corporis mei & animæ, qui temporum vicissitudines disponis nobis ad levamentum & solatium animæ & corporis nostri; quia tu vis, ut nunc quiescam & somnum capiam, ideò ut tibi obe-

bi obediam, & in hoc tuæ Divinæ Majestati quâm maximè placeam, in unione illius amoris, quo commodum hoc nobis providisti, & ipse in terris ad honorem Patris & hominum salutem consimili uti voluisti, ego peccator indignus omni bono tuo, hoc commodum in æternam laudem & gloriam tuam, Beatæ Virginis MARIÆ & omnium Sanctorum, atquè corporis mei necessitatem suscipio. Rogo te clementissime DEUS respice me misericordiâ tuâ, & præsta mihi gratiam tuam, ut è somni abundantia non tepescam in servitio tuo; nec somni inquietudine deficiam à servitio tuo; sed moderare somnum meum ad honorem & beneplacitum tuum, quem ad corporis levamentum habere præcepisti. Serva me illæsum à potestate & illusione inimici, ne mihi noceat in corpore & anima. Obsecro te, ut præserves me hac nocte, totâquè vitâ meâ, ab omni peccato, & periculo; foveas necessario & quieto somno: excites & facias alacriter surgere ad tuum servitium tempore statuto, quod per gratiam tuam facere propono.

Commendatio nostri B. V. MARIÆ.

O Amabilissima Mater, gloriosissima Dei-genitrix Virgo MARIA, tu es, erisquè æternùm Mater mea gratiosissima, unicè colenda, amãda, glorificãda. Sim ego quoq; servus tuus, & filius peculiarissimus. Monstra te mihi esse Matrem,

trem, nunc, semper, æternùm, ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA. Suscipe me in maternam tuam custodiam & protectionem, in gratiam & amorem, in patrocinium & tutelam materni cordis tui. Fac ut hac nocte inculpatè somnô utar, & ad te laudandum festinus expergiscar.

Qui vult addat Hymnum.

AVe Maris Stella &c. S. Angelo Custodi Commendatio. O Amantissime Angele DEI, qui hucusquè tam fidelis custos es mei, dignare insuper hac nocte, cor & corpus meum immaculatum servare, ut tecum merear SS. Trinitatem in æternum contemplari, amare, & glorificare.

Sanctis Patronis nostris Commendatio. O vos Sancti Patroni mei, S. Joseph & NN. & omnes Beati, supplete vices fragilitatis meæ, benedicendo nunc & semper pro me laudando & superexaltando Dominum DEUM nostrum, misericordias ejus in æternum cantantes; gratiamquè mihi impetrate, in gratia ejus vivendi, quiescendi, moriendi, & gloriâ ejusdem vobiscum per totam æternitatem perfruendi.

Petitio Benedictionis.

O Beata Trinitas unus DEUS, dignare mihi dare tuam sanctam Benedictionem uberemq; gratiam tibi in somno & vigilia, in vita & morte, puro corde & casto corpore per-

fectè ſemper placendi, teque glorificandi indeficienter nunc in terris, olim beatè in cœlis, cum quo tale Pactum facio; videlicet: Quoties per hanc noctem reſpirabo, toties in me volo trahere corda & affectus omnium Electorum tuorum, atq; illis toties te adorare, amare & laudare, & quidem in proportione Geometrica dupla, immò decupla aut centupla; ita ut ſequenti reſpiratione affectus ſit duplò, decuplò, centuplò intenſior, quàm fuerit præcedens. *Idem Pactum manè facere bonū eſt.*

Alia Benedictio, quam B. V. MARIA devotiſſimum ſibi ſervum Ord: S. Dom: Religioſum docuit, ut ſe præmuniret, contra Dæmonem, tentare eum & decipere volentem, ſignando ſeipſum hîs verbîs.

Benedicat me DEUS Pater, qui cuncta creavit ex nihilo.

Benedicat me DEUS Filius, qui hominem perditum reparavit ſangvine proprio.

Benedicat me DEUS Spiritus Sanctus, cujus me ſalvet piæ conſolationis infuſio.

Teſtatur id Thomas Cantiprat: 2. *Apum: cap:* 53. Antequam obdormiant Religioſi noſtri, *prævideant, quàm die ſequenti virtutem exercere, quem ſenſum & paſſionem mortificare, quos defectus, in quibus actibus & occaſionibus vitare debent; ſtatimq; Imaginariā DEI Præſentiam ſibi proponant, cui indormire curent, ingeminando:* JESUS, MARIA, JOSEPH, Angeli,

geli, Sanctiquè omnes ſint nobiſcum ſemper.

JESUS, MARIA, ſis mihi JESUS, MARIA.

JESUS, MARIA, vobis dono cor, & animam meam.

JESUS, MARIA, quoties reſpiro, toties ad vos ſuſpiro, & ſuſpirare volo.

Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus: Praevalui adverſus eum.

In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.

Pax Domini noſtri JESU Chriſti, & virtus ſacratiſſimae Paſſionis ejus. Signum S. Crucis, & titulus triumphalis, JESUS Nazaraenus Rex Judaeorum. Integritas quoquè Beatae V. MARIÆ: Cuſtodia SS. Angelorum, & ſuffragia omnium Electorum ſint inter me, & omnes inimicos meos, nunc & in hora mortis meae.
In nomine Patris, & Filii, &
Spiritus Sancti, Amen.

Ad M.D.T.O.M.G.B.V.MARIÆ
S.L.O.C.H. nec non OO. SS.
Cultum ac Venerationem.



TABELLA
ACTUUM ISTORUM
Per Hebdomadas & ferias distinctorum.
Actus Hebdomadæ I. Viæ Purgativæ.

	ACTUS CONTRITIONIS ET MORTIFICATIONIS.	ACTUS EXTIRPATIONIS VITIORUM.	ACTUS CONTRARIARUM VIRTUTUM.
Pro Dom: p. 2.	Sensuum & Passionum in comm: Amoris proprii pag: 3. 5. 7.	Acediæ. p. 8.	Diligentiæ. p 10.
Pro Fer: 2. p. 12.	Visus, Pass: Amoris & Desiderii, Judicii proprii. p. 14. 15. 17.	Superbiæ p. 18.	Humilitatis. p. 20.
Pro Fer: 3. p. 22.	Odoratus. Pass: Gaudii, Voluntatis propriæ. p 25. 26. 28.	Avaritiæ p. 30.	Paupertatis. p 32.
Pro Fer: 4. p. 34.	Tactus, Pass: Odii, & Fugæ, Tristitiæ. p. 36. 37. 39.	Luxuriæ p. 41.	Castitatis. p. 42.
Pro Fer: 5. p. 44.	Auditus, Pass: Spei, Audaciæ. p 46. 47 48.	Invidiæ p. 49.	Charitatis. p. 51.
Pro Fer: 6. p. 53.	Gustus. Pass: Desperationis Timoris. p. 56. 57 59.	Gulæ p. 60.	Abstinentiæ. p. 61.
Pro Sab: p. 62.	Sensuum & Passionum. Pass: Iræ. p. 65. 68. 69.	Iræ p. 70.	Mansvetudinis. p. 72.

Actus Hebdomadæ II. Viæ Illuminativæ.

Dō:	Imitationis Chris: p. 75.	Abnegationis, p. 77.	Conteptus mūdi, p. 78.	Diligentiæ, p. 80.
Fer: 2.	Humilitatis. p. 80.	Conteptus sui, p. 80.	Puritatis cordis, p 82	Prudentiæ, p.. 84.
Fer: 3.	Justitiæ p. 87.	Observātiæ, regul: p. 90.	Obediētiæ, p. 92.	Timoris Dei, p 93.
Fer: 4.	Fortitudinis. p. 96.	Patientiæ p. 98	Mansvetudinis, p. 99.	Castitatis, p. 100.
Fer: 5	Constantiæ p. 100.	Modestiæ, p. 101.	Veritatis, p. 102.	Charitatis, p. 103.
Fer: 6.	Temperantiæ, p 104.	Dilectionis inim: p. 105	Abstinētiæ, p. 107.	Compassionis, p. 107.
Sab:	Silentii, p 111.	Solitudinis p. 113.	Paupertatis p. 115.	Compassionis, p. 115.

Actus Hebdomadæ III. Viæ Unitivæ.

Dō:	Fidei, p. 119.	Spei veniæ, p. 122.	Spei vitæ æternæ p. 124	Desiderii perf: p. 126.
Fer: 2.	Amoris proximi, p 131	Benignitatis, p. 132	Zeli salut: prox: p. 134.	Desid. amādi Deūp 136
Fer: 3.	Religionis, p. 138.	Devotionis, p. 140	Pietatis, p. 142.	Petit: amor: Dei, p. 145.
Fer: 4.	Magnanimitatis, p. 147	Rectæ intētion: p. 149.	Perseverantiæ, p. 151.	Amoris Dei p. 153
Fer: 5.	Fiduciæ, p. 155.	Resignationis, p. 157.	Longanim: p. 160.	Ad Cor Domini, p. 162
Fer: 6.	Rectæ volūtat: p. 164	Vigilantiæ. p. 166.	Zeli hōoris Dei, p. 169.	Desid: patiendi, p. 171.
Sab:	Simplicitatis, p. 174.	Gratitudinis, p. 176.	Præsentiæ Dei, p. 177.	Pet: āor: D à V. SS. p. 180

Actus

Dō:	ACTUS AMORIS DEI.	Erga SS. Trinitatem, p. 183	Admirationis, p. 186	Gaudii, p. 189.	DESIDERII VIDENDI DEUM
Fer: 2.		Ob ejs infinitã Bonitatẽ, p 192	Desideriorũ p. 194.	Laudis, p. 197.	
Fer: 3.		Ob ejus infinit: Pulchr: p. 201	Delectationis, p. 203.	Des: ut ões ãẽt D. p 205	
Fer: 4.		Ob bẽefic: Creationis, p 209	Adorationis, p. 211.	Laudis, p. 213.	
Fer: 5.		Ob benefic: Redempt: p 216.	Laudis, p 219.	Oblationis p. 220.	
Fer: 6.		Ob benef: Justificat: p. 224.	Gratitudinis, p. 226.	Petit: lacrymã: p. 229.	
Sab:		Ut finis ultimi, p 231.	Gr pro Benef: voc: ad Rel: p. 233	Laudis, p. 235.	

Post hæc sequuntur exercitia variorum Affectuum & Actuum, in quacunquê perfectionis via peragenda, videlicet:

E R R A T A.

Sic Corrige.

Pag: 23. v. 21. piiſſime, l. piiſſimæ.
Pag: 29. v. 25. nocium, l, nocivum.
Pag: 52. v. 2. depecemur, l. deprecemur.
Pag: 56. v. 30. ſpotu, l. potu.
Ibid: v. 31. emper, l. ſemper.
Pag: 62. v. 13. ad cofortandũ, l. ad confortãdũ.
Pag: 70. v. 3. ex omnibns, l. ex omnibus.
Pag: 72. v. 24. voluit, l. noluit.
Pag: 84. v. 1. affectu, l. affectum.
P. 160. v. 1. taman, l. tamen.
P. 179. v. 24. mens, l. meus.
P. 200. v. *ult:* mple, l. imple.
P. 201. v. 24. ſactitate, l. ſanctitate.
P. 246. v. 13. Domino, l. dominio.
P. 248. v. 9. tnis, l. tuis.
P. 286. v. 7. totaq; l. roſaq;.
P. 353. v. 24. Urſula, l. Urſulæ.
P. 436. v. 1. inſeperabiliter, l. inſeparabiliter.
P. 464. v. 27. ereatura, l. creatura.



